1846

THE APPREHENDED FAMINE—FORM OF PUBLIC PRAYER.

His Grace the Archbishop of Canterbury, agreeably to the order of Privy Council, has issued the following form of prayer to Almighty God, for relief from the dearth and scarcity now existing in parts of the United Kingdom, owing to the failure of some of the crops of the present year. To be read in all churches and chapels of England and Wales, on Sunday, the 11th October, and two following Sundays. 1846

A FORM OF PRAYER TO ALMIGHTY GOD.

"O God, at whose bidding the earth, which sustaineth the life of man, hath withholden in parts of these islands the wonted provision of food, and turned abundance into scarcity, withdraw, we beseech Thee, the judgment of which we are justly afraid, that the poor perish not by famine.

"We acknowledge, O Lord, that by our strifes and divisions, misuse of Thy gifts, and forgetfulness of Thy manifold mercies, we have justly deserved punishment. We have sinned; we have grievously sinned against Thee. Yet knowing that Thou art full of compassion, we beseech Thee to pardon the offences of thy people, to relieve the poor and the needy in their present necessities, and to give and preserve to our use the fruits of the earth in all its seasons.

"But whatsoever may be Thy pleasure concerning us, give us grace to receive Thy dispensations, whether of judgment or mercy, with entire submission to Thy will; endeavouring to abate Thy displeasure by repentance, and showing forth our sense of Thy goodness by faithfully keeping Thy commandments.

"Of ourselves we are unable either to will or to do that which is acceptable in Thy sight. We therefore pray Thee so to open our hearts to the influences of Thy good Spirit, that, showing compassion and mercy each man to his neighbour, and bearing the burdens one of another, we may obtain of Thy favour the supply of our wants, and with hearts knit together in brotherly love, may partake of Thy bounties in peace and contentment, to the honour and praise of Thy name, through Jesus Christ our Lord. Amen."

The prayer is ordered to be read immediately before the Litany; and, when the Litany shall not be read, before the prayer for all conditions of men.

LA LITURGIE; OU FORMULAIRE DES PRIERES PUBLIQUES, SELON L'USAGE DE L'EGLISE ANGLICANE. (Wanostrocht's.) Royal 32mo, 4*s.* bound.

LITURGIA; OVVERO FORMOLA DELLE PREGHIERE PUBBLICHE, SECONDO USO DELLA CHIESA ANGLICANA. Da ROLANDI. Royal 32mo, 6*s.* 6*d.* bound.

LITURGIA (HARWOOD'S). Liber Precum Communium, in Ecclesia Anglicana Receptus. Editio Octava. Royal 32mo, 4*s.* bound.

Prayer book translated into Greek, Oxford. 24mo bds. 8s
Whittaker & Co London.
Rubric lines, with red titles. fine.
Pickering Pr. v. 90
The title of a ... written in red
Anderson

17800/A

F. xv. d.

CHURCH OF ENGLAND

Cum interim (dum, Tum) Ps. 37,20

Cum interea (dum, Tum) Ps. 104, 35.

Dum interim (dum, Tum) Ps. 141, 11

Magister orandi optimus necessitas

Pub. Syr.

M. H. Williams.



Agite, veneremur ſupplices, flexis ante Dominum Creatorem noſtrum genibus. PSAL. XCV. 6.

LITURGIA;

SEU

LIBER

PRECUM COMMUNIUM,

Et Adminiſtrationis

SACRAMENTORUM,

ALIORUMQUE

RITUUM et CEREMONIARUM

IN

ECCLESIA ANGLICANA

RECEPTUS:

Itémque FORMA et MODUS

Creandi, Ordinandi, et Conſecrandi

Epiſcopos, Preſbyteros, et Diaconos.

EPISTOLÆ, EVANGELIA, et PSALMI

Inſeruntur juxta *Sebaſtiani Caſtellionis* Verſionem.

Editio ſexta, prioribus longè emendatior.

LONDINI,

Typis G. *Bowyer*, Impenſis J. & J. BONWICKE, R. WARE, J. & P. KNAPTON, S. BIRT, T. LONGMAN, C. HITCH, T. OSBORN, & E. WICKSTED.

MDCCXLIV.

93634

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

REVERENDISSIMO in

CHRISTO Patri ac DOMINO,

D^no^ *GULIELMO*,

Providentiâ Divinâ

Archiepiſcopo *EBORACENSI*,

Necnon

ANGLIÆ Primati

ET

METROPOLITANO.

EN iterùm *liber hicce tibi, ampliſſime Præſul, ſeipſum ultrò commendat in clientelam: Cujúſnam ſcilicèt Patrocinium potiùs ambiret, quàm tuum? Immò, quémnam ſibi ardentioribus votis in vindicem appeteret, quàm te, Vir opti-*

a *me,*

me, atque digniſſime antiſtes, qui tot tantiſque nominibus eccleſiam noſtram tibi devinxiſti? Qui, cum nupera ſeditionum tempeſtas illi impenderet, ſalvam in portu collocâſti; qui, cum illius fundamenta jam tantùm non everſa eſſent, ſuffulciſti labentem; qui denique, cùm illius dogmata pari furore ac invidiâ oppugnarentur, acerrimè ea defendiſti.

Hiſce de cauſis, liceat mihi non eccleſiæ tantùm, ſed & patriæ noſtræ gratulari; quibus jamjam obtigit communis libertatis ſtrenuus adeò vindex & cuſtos: Liceat etiam ſcholæ noſtræ gratulari, quæ te olim accepit gremio, & diù fovit: Liceat denique & mihi gratulari, qui intra eoſdem parietes cælum hauſi Aventinum.

Jamdudùm ibì futuræ tuæ amplitudinis omen atque augurium accepimus; & ſanè nihil omninò mirandum eſt, ut, qui dotibus adeò eximiis ornatus fuerit, inter epiſcopos cooptetur. Hoc quidem * non claritate generis *(de quo non te jactas, uti nec de*

* Plin. Pan. ap. 58.

de aliis, quæ in te ſuſpiciunt omnes & admirantur) ſed integritate morum & pietate promeritus *es.*

Cùm ſis prognatus ab illuſtri genere, profectò magnum indè tibi nomen accedit; majus verò à præclaris tuis maximiſque virtutibus, quibus teipſum præſtas non minùs humani generis delicias *quàm epiſcopalis collegii decus & præſidium. Ortus es majoribus, quos pietas erga eccleſiam, ſumma erga regem fides, exornârunt: Quos damna ſua, quæ religionis ergô æquo animo tulerunt, reddiderunt illuſtres; illuſtriores autem, conſtantia & fides. En! lætantur manes, qui te illius eccleſiæ jam vident ornamentum, quam ipſi piis armis, ſed parùm, heu! felicibus, propugnârunt: Qui te eâdem fide erga Regem pientiſſimum intuentur, atque ipſi erant in beatum Martyrem.*

Te mirer magìs, quòd ſpecies tui oris auguſtior quàm humana appareat, an quòd

 mellea

mellea adeò ſit dicendo facultas, & † tanta tibi benefaciendi vis? *Quotiès enim in ſacra roſtra aſcendis; en, quantâ & quàm piâ admiratione, audientium turba rapitur! en puerorum egentium & orphanorum hiantia ora, quæ tu & pane & verbo Dei imples! &; te perorante, non alget charitas.*

† Plin. Pan. cap. 71.

Quæ quidem laudes tuæ ut dignè prædicentur, facundiam parem tuæ prorsùs deſiderant: Liceat itaque verbis uti Plinianis; * Mihi quidem non tam humanitas tua, quàm intentio ejus, admirabilis videtur. Orationi oculos, vocem, manus commodas. Equidèm parentis publici ſenſum, cùm exhortatione ejus, tum pronunciatione ipsâ perſpicere videor. Quæ illa gravitas ſententiarum? quàm inaffectata veritas verborum? Quæ aſſeveratio in voce? Quæ affirmatio in vultu? quanta in oculis, habitu, geſtu, toto denique corpore fides? iſta ſemper facias, nec unqam animus tuus laſſetur!

* Plin. Pan. *cap.* 71. 67. & 61.

Nolo

Nolo ulteriùs tuâ abuti patientiâ, nec velim tuæ modeſtiæ eſſe injurius; ſinas modò dicere, quòd gaudeo oblatam eſſe facultatem, quæ mihi contuliſti beneficia, palam agnoſcendi. Ut diù valeas, diúque tuo conſilio & ductu adminiſtretur eccleſia, omnibus precibus petit,

Tui obſequentiſſimus,

Tibíque devinctiſſimus

Dabam à Schola Mercat. Sciſſ. Londini, Kalendis Quintilibus.

THO. PARSEL.

SYLLABUS.

PRæfatio.
De Forma Adminiſtrandi in Eccleſia.
De Ceremoniis.
Ordo prælegendi Pſalterium.
—— reliquas Sacras literas.
Tabula propriarum Lectionum & Pſalmorum.
Calendarium cum Tabula Lectionum.
Tabulæ Feriarum Conceptivarum, & Stativarum, &c.
Ordo in Precibus Matutinis.
—— Veſpertinis.
Symbolum D. *Athanaſii*.
Litania.
Supplicationes, & Gratiarum Actiones.
Collectæ, ut & Epiſtolæ & Evangelia juxta *Caſtellionem*.
Ordo Adminiſtrandæ Cœnæ Domini.
Pædobaptiſmus Publicus.
—————— Privatus.
Baptiſmus Adultorum.
Catechiſmus.
Ordo Confirmationis.
Formula Matrimonii celebrandi.
Ordo Viſitandi Infirmos.
Communio Infirmorum.
Ordo pro Sepultura Mortuorum.
Purificatio Mulierum.
Comminatio.
Pſalterium juxta *Caſtellionem*.
Formula Precum in uſum Navigantium.
Forma Ordinandi Diaconos.
——— Preſbyteros.
Forma Conſecrandi Archiepiſcopum, aut Epiſcopum.
Forma Precum in utraque Domo Synodi, &c.
Formula Precum Quinto Novembris.
—— Trigeſimo Januarii.
—— Vigeſimo Nono Maii.
—— Secundo Die Septembris.
—— Undecimo Junii Die.
Forma Strumoſos Attrectandi.
Articuli Religionis.

PRÆFATIO.

EA fuit Eccleſiæ Anglicanæ prudentia, ex quo publicam liturgiam ſuam adornavit, ut medium ſemper tenuerit inter duo extrema, nimiam ſcilicèt obſtinationem in denegando, ne ulla omninò; & nimiam facilitatem in concedendo, ut quælibet fieret in ea immutatio. Quippè cum hinc communis experientia doceat, in immutatione rerum maturâ deliberatione conſtitutarum, (nullâ id poſtulante neceſſitate) varia ſequi incommoda, eáque ſæpenumerò plura atque graviora malis ipſis, quibus removendis eâ immutatione ſtudebatur, indè verò conſtet peculiares cultûs divini formulas, ritúſque atque ceremonias quæ in eo juxta præſcriptum ordinem adhibentur, res eſſe naturâ ſuâ indifferentes, adeóque mutabiles, ídque ſit in confeſſo; æquum eſt, ut, ob cauſas graves & magni momenti, pro varia temporum ac occaſionum exigentia, ejuſmodi fiant & admittantur hac in parte immutationes, quæ iis, quibus auctoritas publica commiſſa eſt, ſubindè neceſſariæ aut ſaltem conducibiles atque utiles eſſe videbuntur. Hinc videmus, ſub regnis variorum beatæ memoriæ principum, qui jam inde à reformatione floruerunt, in rebus nonnullis eas immutationes, quæ uniuſcujuſque tempori congruere viſæ ſunt, juſtis gravibúſque de cauſis, ab eccleſia factas; ità tamen, ut cultûs Divini quaſi corpus ipſum ac eſſentiale (tam quoad materiam ac partes præcipuas quàm quoad formam & ordinem) eadem ad hunc uſque diem permanſerint, & etiamnùm permaneant firma & inconcuſſa; quamvis ſæpiùs impetita vanis conatibus & violentis aggreſſionibus ſeditioſorum & levium hominum, qui ſemper

oſtenderunt

oſtenderunt ſe ejus eſſe ingenii, ut ſomnis ſuis plùs tribuerent, & privatæ rei magìs ſtuderent, quàm bono publico.

Quibus artibus & quàm pernicioſis conſiliis (nuperis & infelicibus turbis ſævientibus) uſus ſacræ liturgiæ, hujus regni ſtatutis huc uſque nunquàm abrogatis, ſancitus, abierit in deſuetudinem, toto terrarum orbi ſatis ſupérque notum eſt, neque nobis animus eſt hìc earum rerum renovare memoriam. Quum autem veriſimile videretur, poſt felicem regiæ Majeſtatis reſtitutionem, Liturgiæ uſum etiam inter alia, quaſi poſtliminio eccleſiæ redditum iri (cùm nullâ lege fuiſſet abrogatus) niſi maturè obicem ponerent quorundam artes ac diligentia, qui ſub nuperis uſurpatoribus in hoc maximè incubuerant, ut Liturgiæ ſacræ odium apud plebem crearent, iſti putârunt, ſi famæ & rebus privatis conſultum vellent, (niſi forte ingenuè fateri vellent ſe errâſſe, quod ab ejuſmodi ingeniis ægrè admodum impetraveris) ſibi totis viribus enitendum nè eccleſiæ redderetur. In hunc finem ſcriptiunculæ variæ in vulgus emiſſæ adversùs Liturgiam ſacram, ac veteres objectiones, denuò collectæ, novis etiam additis, ad augendum & molem & numerum. Poſtremò ſacratiſſima regia majeſtas magna cum importunitate rogata eſt, ut Liturgia recenſeretur, & ut in ea immutarentur aut etiam adderentur, quæ conducere viderentur ad pacificandas conſcientias teneras. Quod quidem à regia majeſtate, pro pia illa ſummaque voluntate ſatisfaciendi omnibus ſubditis ſuis cujuſcunque ſententiæ in negotio religionis, (quantum quidem cum ratione expectari potuit) clementèr conceſſum eſt.

In qua recenſione dedimus operam, ut eandem lenitatem adhiberemus, quam ſuperioribus temporibus videmus adhibitam in ſimili negotio. Itaquè ex variis immutationibus, quæ nobis propoſitæ ſunt, eæ omnes à nobis rejectæ, undè aliquod periculum oriri poſſet, (nempè quod clam impugnarent aliquod dogma receptum; aut laudabilem conſuetudinem Eccleſiæ Anglicanæ, aut revera totius eccleſiæ catho-

licæ Chriſti) vel quæ nullius erant prorsùs momenti, ſed planè futiles ac vanæ. Verùm quæcunque immutationes quibúſcunque auctoribus, de quocunque prætexu aut fine, nobis ſunt propoſitæ, quæ ullo modo viſæ ſunt requiſitæ aut conducibiles, iis omnibus, nullâ coacti argumentorum vi (unde quidem nobis conſtaret neceſſitas quicquam immutandi) ſed lubentèr ac ſponte aſſenſum noſtrum præbuimus. Hoc enim perſuaſum habemus, & mentibus noſtris infixum hæret, (ídque hìc coram mundo profitemur) in Liturgia proùt erat anteà legibus conſtituta, nihil fuiſſe quod verbo Dei aut ſanæ doctrinæ adverſaretur, aut quod uſurpare, & cui ſe ſubmittere, viro pio pro ſalva conſcientia non liceret; aut quod non contra quemlibet adverſarium (modò ne denegetur illi juſta ac candida interpretatio, qualem pro communi æquitate, omnibus humanis ſcriptis, iis præſertim, quæ auctoritate publicâ muniuntur, imò & accuratiſſimis ſcripturæ ſacræ verſionibus indulgeri par eſt) rectè defendi queat.

Non fuit igitur in hoc opere nobis propoſitum, his aut illis quarumcunque partium hominibus morem gerere in iniquis ſuis poſtulatis; verùm id præſtare quod maximè nobis videretur conducere ad eccleſiæ pacem & unitatem conſervandam, ad reverentiam conciliandam, pietatémque ac devotionem excitandam in cultu Dei publico; deniquè ad præcidendas occaſiones cavillandi, diſputandíque adversùs Liturgiam eccleſiæ, iis, qui nihil aliud ſtudent. Quod autem attinet ad ea, in quibus Liturgia ſacra, proùt nunc prodit, variat à priore, qualis extabat anteà, ſeu quid immutatum, ſeu quid additum, ſeu quid aliud factum, ſufficiat hæc in genere monuiſſe; maximam partem immutationum ad hæc capita revocari: Primò aut ad meliorem directionem eorum, qui ſunt ſacra peracturi, in quâcunque parte divinorum officiorum; quod præſtitum eſt maximè in Calendariis & Rubricis; aut ſecundò, ad immutationem quarundam dictionum, aut phraſium obſo-

obſoletarum, in alias hodierni temporis ſermoni magìs accommodatas, & clariorem explanationem aliarum dictionum ac phraſium, quæ aut dubiæ erant ſignificationis, aut alioquì pravis interpretationibus obnoxiæ: Aut tertiò, ad accuratiorem exhibitionem earum ſectionum ſcripturæ ſacræ, quæ Liturgiæ inſeruntur; quæ quidem ſectiones præſertim in Epiſtolis ac Evangeliis, & paſſim alibi nunc legendæ ſunt juxta noviſſimam ſacrorum bibliorum verſionem. Viſum eſt etiam nonnullas orationes & gratiarum actiones ad ſpeciales quáſdam occaſiones accommodatas propriis locis addere, maximè in gratiam eorum, qui mare navigant; unà cum officio pro baptiſmo adultorum. Quod quidem officium, etſi minùs neceſſarium fuerit, cùm adornaretur prior Liturgia, nunc tamen incrementis Anabaptiſmi, qui nuperorum temporum licentiâ apud nos irrepſit, factum eſt neceſſarium, & ſemper poterit uſurpari ad baptizanda mancipia, alióſque indigenas coloniarum noſtrarum, & alios ad fidem converſos. Siquis ſingularum immutationum in quâcunque parte Liturgiæ factarum rationem quærat, modò illam, qualis nunc extat, conferat cum priore, quin variationis ratio ipſi facilè conſtet, nulli dubitamus.

Atque ita officio noſtro in re tanti momenti pro viribus defuncti tanquàm in conſpectu Dei; & ſinceritate noſtrâ hac in parte quantum in nobis eſt, omnium conſcientiis approbatâ: quanquàm ſcimus in tanta diverſitate ſententiarum, morum & reſpectuum ad rem privatam, impoſſibile eſſe ut omnibus placeamus; nec licet expectare, ut hominibus factioſi, moroſi, ac perverſi ingenii quicquam, in eo genere, à quócunque, niſi à ſeipſis profectum, arrideat: Attamen non mediocris nobis ſpes affulget, ea quæ offeruntur, quæque utriúſque provinciæ ſynodorum diligenti examini ſubjecta ſunt, & ab iis approbata, accepta etiam & probata fore omnibus eccleſiæ Anglicanæ filiis, prudentiâ, ingenio pacifico, & rectâ conſcientiâ præditis.

De

De Forma Adminiſtrandi in Eccleſia.

NIhil unquam fuit ab humana ſapientia tam bene conſtitutum, aut tam firmitèr ſtabilitum, quod proceſſu temporis non corrumperetur, utì planè videre eſt, inter alia, in publicarum precum Eccleſiæ formulis, quæ vulgò *Divina Officia* appellantur. De harum origine ſi quis conſulat authenticos Scriptores, inveniet eas non niſi optimo conſilio inſtitutas, nempe ad pietatis incrementum. Nam ſancti Patres ita rem inſtituerunt, ut tota Biblia, aut major eorum pars ſemel in anno prælegeretur, hoc conſilio, ut Clerus, & præſertim Eccléſiæ Miniſtri, frequenti lectione ac meditatione Scripturæ, ſeipſos excitarent ad pietatem, & inſtructiores redderentur ad Eccleſiam in ſana doctrina erudiendam, & ad refutandos adverſarios veritatis; deinde ut populus ex quotidiana verbi divini lectione in Templis magis ac magis creſceret in cognitione Dei, & veræ religionis amore accenderetur. Sed multis retrò abhinc annis, hæc pia & ſalutaris Patrum conſtitutio, ità neglecta, mutata, & corrupta fuit, additione incertarum hiſtoriarum, & legendarum; ut & reſponſoriorum, verſuum, & inutilium repetitionum, commemorationum, & ſynodalium conſtitutionum multitudine, ut plerumquè cùm liber Scripturæ ſacræ legi cœpiſſet, poſt trium quatuórve capitum lectionem, cætera non legerentur. Sic lectio Prophetiæ *Eſaiæ* inchoabatur Dominicâ primâ Adventûs, & liber *Geneſeos* Dominicâ Septuageſimæ; ſed legi tantùm cœperunt, nunquam perlegebantur, & ſic de cæteris Scripturæ ſacræ libris. Præterea etiamſi D. Paulo videatur non niſi linguâ vulgari & plebi notâ utendum in Eccleſia, ut indè ædificetur; divina officia in hac Eccleſia Anglicana plebi Latinè non intelligenti per annos complures Latinè prælecta ſunt; ut auribus tantùm audierint, cor autem, ſpiritus & mens eorum nullum fructum indè perceperint. Ad hæc, quanquàm Patres antiqui Pſalterium integrum diviſerunt in ſeptem partes, quarum unaquæque *Nocturna* dicebatur: attamen ſuperioribus temporibus quidam Pſalmi tantùm, iique pauci numero, omnibus diebus legebantur, cæteris prorsùs omiſſis. Deindè tantus erat regularum, quas *Picam* vocabant, numerus, & tanta difficultas, tantáque officiorum varietas ut ſæpenumerò plus negotii faceſſeret ipſa libri revolutio ad invenienda ea, quæ legenda erant, quàm inventorum lectio.

His itaquè penſitatis, hic ordo jam conſtitutus, quo ſuprà memorata incommoda removentur. Atque ut omnia ſint in promptu, & expedita; præfixum eſt etiam Calendarium planum & intellectu facile in eum finem conſcriptum, in quo (quantum quidem fieri poteſt) Scripturæ ſacræ lectio ità proponitur, ut deincèps omnia ſint recto ordine, abſque hiatu, interruptione, & unius ejuſdem libri parte ab alia ſeparatione peragenda. Quam ob rem Antiphonæ, Reſponſoria,

Invitatoria,

Invitatoria, & ejuſmodi alia, quibus continuata Scripturæ ſacræ lectio interrumpebatur, expuncta ſunt.

Attamen quia remedium non datur abſque certis quibuſdam Regulis, ideò regulæ hìc nonnullæ præmittuntur, quæ ut numero paucæ, ità & intellectu facillimæ. Atque ità Ordo Precum ac lectionis Scripturæ ſacræ hìc jam exhibetur ad antiquorum Patrum mentem ac propoſitum valdè accommodatus, & eo, qui nuper erat in uſu, longè utilior atque commodior. Utilior eſt quia hìc multa expuncta ſunt, quorum alia conficta, alia incerta, alia deniquè vana atque ſuperſtitioſa; nec quicquam jam juxta præſcriptum ordinem legendum eſt, præter purum incorrruptúmque Dei verbum, nempe Scripturam ſacram, & quod cum verbo Dei & Scriptura ſacra planè congruit. Idque idiomate atque ordine ad captum tam lectorum quàm auditorum maximè accommodatis. Commodior eſt etiam, cùm ob brevitatem, tùm ob perſpicuitatem ordinis, tùm etiam quia regulæ ſunt & numero paucæ & faciles.

Cùm autem anteà magna fuerit varietas in dicendo & cantando in Eccleſiis hujus regni; aliis *Sariſburienſem*, aliis *Herefordienſem*, aliis *Bangorenſem*, aliis *Eboracenſem*, aliis *Lincolnienſem* uſum ſequentibus, unus idémque uſus in poſterum totius regni hujus futurus eſt.

Quia verò nihil adeò perſpicuum eſſe poteſt, quin indè in uſu quotidiano ſuboriantur dubitationes, ſi qui ſunt quibus ejuſmodi dubia ſuboriantur, aut quibus res hoc libro contentæ variè accipiantur, ſeu de ſenſu, ſeu de praxi earum quæſtio habeatur; ad tollendas omnes ejuſdem rei varias acceptiones, & dubia omnia ſolvenda, Diœceſeos Epiſcopum ſemper adibunt, qui pro prudentia ſua illis ſopiendis & diſſolvendis operam præſtabit, modò nihil ſtatuatur quod adverſetur iis, quæ hoc libro continentur. Sin autem dubius hæreat ipſe Diœceſeos Epiſcopus, rem deferre poterit ad Archiepiſcopum, ut ab eo decidatur.

Quanquam conſtitutum eſt, ut omnia dicantur ac cantentur Anglico idiomate in Eccleſia, in hunc finem, ut cœtus indè ædificetur; non tamen hoc ità accipitur, ut, ſi quis oret manè aut veſperi, nefas ſit eum linguâ eâ orare quam ipſe intelligat.

Omnes autem tum Sacerdotes tum Miniſtri tenentur quotidiè ſeu privatìm ſeu publicè Preces Matutinas & Veſpertinas recitare, niſi aut adversâ valetudine aut aliâ urgente causâ prohibeantur.

Sacrorum verò Miniſter in ſingulis Parochialibus Eccleſiis aut Sacellis, cùm domi adeſt, nec causâ legitimâ impeditur, eaſdem etiam Matutinas ac Veſpertinas Preces recitabit in Eccleſia Parochiali aut Sacello, ubi ſacra adminiſtrat; & curabit paulò antequàm incipiat, ut campana pulſetur, ut eo ſigno dato populus conveniat ad audiendum verbum Dei, & ad Deum orandum unà cum eo.

De Ceremoniis, cur aliæ quidem abrogatæ, aliæ verò retentæ.

CEremoniarum ex humana inſtitutione profectarum quibus utitur Eccleſia, aliæ primùm quidem pio propoſito excogitatæ in vanitatem & ſuperſtitionem tandem degenerârunt: Aliæ in Eccleſiam irrepſere quorundam præpoſterâ devotione & zelo ſcientiâ deſtituto, cæteris initio ad eas conniventibus, unde indies magis ac magis in abuſus abierunt. Hæ non tantùm quòd ſint prorſus inutiles, ſed quia & populum multùm obcæcarunt, & Dei gloriam obſcurârunt, dignæ ſunt quæ exſcindantur ac prorſus exterminentur. Aliæ verò ſunt ab hominibus etiam profectæ, quas etiamnum retinere viſum eſt, tum propter decorum & *ἐυταξίαν* in Eccleſia Dei, qui finis fuit primæ earum inſtitutionis; tum quòd ſpectent ad ædificationem, ad quam, docente Apoſtolo, referenda ſunt quæcunque fiunt in Eccleſia.

Et quamvis Ceremoniæ alicujus obſervatio aut prætermiſſio, ſi rem ipſam ſpectes, exigui ſit momenti; temeraria tamen & faſtuoſa publici ordinis ac diſciplinæ tranſgreſſio atque violatio, non eſt peccatum leve coram Deo. *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis*, inquit Apoſtolus. Ordinis autem illius conſtitutio non penes eſt homines privatos. Nemini fas eſt igitur, niſi legitimè vocato, in ſe ſuſcipere aut ſibi arrogare, ut conſtituat aut immutet ullum publicum ac receptum ordinem in Eccleſia Chriſti.

Quoniam vero hoc noſtro tempore tanta eſt in mentibus hominum varietas, ut aliis vel minima Ceremoniarum ſuarum omiſſio piaculum eſſe videatur, adeò depereunt veteres ſuas conſuetudines; alii verò rerum novarum amore ita capiuntur, ut omnia innovata vellent, & tanto odio feruntur in res antiquas, ut nihil niſi novum ipſis arrideat: Ideò viſum eſt, non tam his aut illis partibus morigerandum, quam Deo obtemperandum, & eorum omnium commodo ſtudendum. Nequis autem offendatur, qui rectæ rationi liberum apud ſe locum aperit, hìc quædam eduntur rationes, cur receptarum Ceremoniarum aliæ exſcindantur, aliæ verò retineantur & etiamnum obſerventur.

Quædam eliminantur, quoniam proximè elapſis temporibus in immenſum creverat earum numerus, adeò ut onus eſſet intolerabile. Quâ de re Divus Auguſtinus jam ſuo ſeculo querebatur, nempè quod in tantum numerum multiplicatæ eſſent, ut deterior foret hac in parte Chriſtianorum, quàm fuerat olim Judæorum conditio. Ac ſuadebat, ut jugum & onus illud, ſi quando commoda daretur occaſio, pacificè & ſine turbis amoveretur. Quid autem dixiſſet D. Auguſtinus, ſi oculis vidiſſet nuperas Ceremonias, quæ apud nos erant in uſu communi? Non fuit enim numerus Ceremoniarum temporis illius cum harum noſtrarum multitudine conferendus. Tanta fuit harum ceremoniarum noſtrarum congeries, & in his plurimæ adeo obſcuræ, ut Chriſti beneficia erga nos confunderent atque obſcurarent, potiùs quam ea nobis exponerent & illuſtrarent. Præterea Evangelium Chriſti non eſt Ceremoniale inſtitutum, uti magnam

partem fuit lex Moſaica: Sed religio eſt ad colendum Deum non in typorum & umbrarum ſervitute, ſed in libertate Spiritûs inſtituta; iis tantùm Ceremoniis contenta, quæ decoro & εὐταξίᾳ, piæque diſciplinæ conſervandis ſufficiant: Et quæ aptæ ſint ad excitandas inſigni ac ſingulari quadam ſignificatione ſtupidas hominum mentes in recordationem officii ſui erga Deum ad ædificationem. Præterea abolendarum quarundam ceremoniarum cauſa præcipua fuit, quòd partim imperitæ plebis ſuperſtitioſâ cæcitate; partim quorundam inexplebili avaritiâ, qui privato quæſtui magis quàm gloriæ Dei ſtudebant, earum abuſus in tantum creverat, ut rectè tolli non potuerit, ſalvis ipſis Ceremoniis.

Jam verò ut ad eos veniamus, qui fortè graviter ferent quòd nonnullæ antiquarum Ceremoniarum etiamnum retineantur; ſi animo reputaverint ſine quibuſdam Ceremoniis nullum ordinem aut tranquillam diſciplinam in eccleſia ſervari poſſe, facilè eis conſtabit ratio, cur ab illa ſententia ſua recedere atque ei renunciare debeant. Sin autem diſpliceat, quòd ulla antiqua Ceremonia maneat, & magis placeret omnia innovari; tum verò (quandoquidem concedunt expedire, ut ſint quædam Ceremoniæ) ubi antiquæ illæ rectè uſurpari poterunt, næ iſti eas ob ſolam antiquitatem repudiare nequeunt, quin ſuam prodant ſtultitiam. Tum enim, vel eo nomine quòd antiquæ ſunt, majori venerationi ipſis eſſe debent, ſi unitatis & concordiæ magìs quam innovationum ac rerum inuſitatarum ſtudioſi videri volunt & haberi. Innovationes enim (quantum quidem id conſiſtere poteſt cum inſtituto Chriſtianæ religionis) ſemper vitari debent. Neque verò erit, cur iſti ob retentas Ceremonias offendantur: Quemadmodum eæ Ceremoniæ rogatæ ſunt, quæ in majores abuſus abierant, & quæ fruſtra hominum conſcientias onerabant; ſic, quas retineri placuit, diſciplinæ ac ordinis gratiâ retinentur, & ob juſtas cauſas poterunt immutari & abrogari, ideóque pari exiſtimatione cum lege Dei nequaquam habendæ ſunt. Adde quòd neque obſcuræ, neque mutæ ſunt iſtæ Ceremoniæ, ſed ita comparatæ, ut cuivis obvium ſit intelligere quid ſibi velint & quis ſit earum uſus. Ut non ſit veriſimile fore olim ut, quemadmodum ceteræ quas abrogavimus, in abuſus degenerent. His autem inſtitutis noſtris alias nationes neutiquam damnamus, neque ullis niſi ſolis popularibus noſtris quicquam præſcribimus. In hac enim ſumus ſententia: Ut putemus expedire, ut quælibet regio iis utatur Ceremoniis, quæ magis conducere videbuntur ad Dei honorem & gloriam illuſtrandam, & ad populum ad perfectiſſimam & maximè piam vivendi rationem abſque errore aut ſuperſtitionem deducendum; & ut cætera quæ viderint maximè in abuſus degenerare (quod ſæpius in hominum inſtitutis variè pro variis regionibus contigit) rejiciant.

Ordo

Ordo prælegendi Pſalterii.

PSalterium tam ad Matutinas quam ad Veſpertinas preces ſingulis menſibus perlegetur, prout in ipſo Pſalterio præſcribitur. Sed menſe *Februario* non prælegetur ultra diem vigeſimum octavum aut vigeſimum nonum.

Cùm autem *Januarius, Martius, Maius, Julius, Auguſtus, October, & December* conſtant diebus triginta & uno ſinguli; conſtitutum eſt ut Pſalmi, qui die menſis penultimo prælecti fuerint, iidem ultimo die denuò prælegantur; ut Pſalterium ineunte quolibet menſe incipiat legi.

Quoniam verò Pſalmus 119 in 22 periodos dividitur, prolixiórque eſt, quàm ut totus eodem tempore prælegatur, conſtitutum eſt, ut quatuor aut quinque tantum periodi unâ vice prælegantur.

In fine autem uniuſcujuſque Pſalmi, ut & uniuſcujuſque periodi Pſalmi 119, Hymnus ſequens recitabitur:

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. Amen.

Obſerva * Pſalterium ſequi diviſionem Hebræorum, & verſionem Anglicam magnorum Bibliorum, quæ edita & vulgò uſurpata ſunt, ſub regibus *Henrico* Octavo, & *Edvardo* Sexto.

* *Hoc intelligitur de Pſalterio in editione Anglicanâ Liturgiæ; nam in hâc Latinâ editione, ſequuti ſumus Caſtellionis verſionem, quemadmodum in Epiſtolis & Evangeliis.*

Ordo reliquas Scripturas Prælegendi.

VEtus Teſtamentum priori lectioni, tam ad Matutinas, quàm Veſpertinas preces, aſſignatur; quo pacto ſingulis annis ſemel maxima pars perlegitur juxta Calendarium.

Novum Teſtamentum poſteriori lectioni, tam at Matutinas quàm Veſpertinas preces, aſſignatur; ordinéque ter quotannis perlegetur, præter Epiſtolas & Evangelia; exceptâ Apocalypſi; ex quâ quædam tantùm lectiones propriæ feſtis variis aſſignantur.

Ut autem ſcias quænam lectiones ſingulis diebus prælegendæ ſint, quære diem menſis in ſequente Calendario, in quo invenies capita quæ lectionibus, tam ad matutinas quàm ad Veſpertinas preces aſſignantur; exceptis tantùm feriis conceptivis, quæ non habentur in Calendario, & ſtativis è quarum regione ſpatium purum relinquitur in columna lectionum; quorum omnium dierum lectiones propriæ habentur in tabula propriarum lectionum.

Obſerva etiam, quòd quotieſcunque proprii Pſalmi aut Lectiones aſſignantur, tum Pſalmi & Lectiones in Pſalterio & Calendario aſſignatæ (ſi diverſi ſint ab illis) omittuntur.

Obſerva, inſuper, Collectam, Epiſtolam, & Evangelium, quæ Dominico aſſignantur, repeti per totam Septimanam, niſi aliter in hoc libro conſtitutum fuerit.

LECTIONES PROPRIÆ
A D
Matutinas & Veſpertinas Preces, Dominicis & aliis Feriis per totum annum prælegendæ.

Lectiones propriæ diebus Dominicis prælegendæ.

Dominica Adventûs.	*Matut.*	*Veſperi.*
1	Eſai. 1	Eſai. 2
2	5	24
3	25	26
4	30	32
Dominica à Nat.		
1	37	38
2	41	43
Dominica ab Epiph.		
1	44	46
2	51	53
3	55	56
4	57	58
5	59	64
6	65	66
Septuageſima.	Gen. 1	Gen. 2
Sexageſima.	3	6
Quinquageſima.	9 uſq; ad ℣ 20	12
Quadrageſima.		
Dominica 1	19 uſq; ad ℣ 30	22
2	27	34
3	39	42
4	43	45
5	Exod. 3	Exod. 5
6		
1 Lectio.	Exod. 9	Exod. 10
2 Lectio.	Mat. 26	Heb. 5 uſq; ad ℣ 11
Paſcha.		
1 Lectio.	Exod. 12	Exod. 14
2 Lectio.	Rom. 6	Act. 2 ℣ 22
Dominica à Paſch.		
1	Num. 16	Num. 22
2	23, 24	25
3	Deut. 4	Deut. 5
4	6	7
5	8	9
Dominica ab Aſcen.	12	13
Pentecoſte,		
1 Lectio.	Deut. 16 uſq; ad ℣ 18	Eſa. 11
2 Lectio.	Act. 10 ℣ 34.	Act. 19 uſq; ad ℣ 21

Dominica

Lectiones Propriæ.

Dominica Trinit.	Matut.		Veſpert.	
1 Lectio.	Gen.	1	Gen.	18
2 Lectio.	Mat.	3	1 Joh.	5
Dominica à Trinit.				
1	Joſ.	10	Joſ.	23
2	Judic.	4	Judic.	5
3	1 Sam.	2	1 Sam.	3
4		12		13
5		15		17
6	2 Sam.	12	2 Sam.	19
7		21		24
8	1 Reg.	13	1 Reg.	17
9		18		19
10		21		22
11	2 Reg.	5	2 Reg.	9
12		10		18
13		19		23
14	Jer.	5	Jer.	22
15		35		36
16	Ezech.	2	Ezech.	13
17		14		18
18		20		24
19	Dan.	3	Dan.	6
20	Joel	2	Mich.	6
21	Hab.	2	Prov.	1
22	Prov.	2		3
23		11		12
24		13		14
25		15		16
26		17		19

Lectiones Propriæ Feriis prælegendæ.

	Matut.	Veſpert.
D. *Andreæ.*	Prov. 20	Prov. 21
D. *Thomæ* Apoſt.	23	24
Nativit. Chriſti.		
1 Lectio.	Eſai. 9 uſq; ad ℣ 8	Eſai. 7. ℣ 10. uſq; ad (℣ 17
2 Lectio.	Luc. 2. uſq; ad ℣ 15	Tit. 3. ℣ 4. uſq; ad (℣ 9
D. *Stephan.*		
1 Lectio.	Prov. 28	Eccleſ. 4
2 Lectio.	Act. 6. ℣ 8. & c. 7. (uſq; ad ℣ 30	Act. 7. ℣ 30. uſq; ad (℣ 55
D. *Johan.*		
1 Lectio.	Eccleſ. 5.	Eccleſ. 6
2 Lectio.	Apoc. 1.	Apoc. 22
Innocent.	Jer. 31. uſq; ad ℣ 18	Sap. 1

LECTIONES PROPRIÆ.

	Matut.	Veſpert.
Circumciſio.		
1 Lectio.	Gen. 17	Deut. 10. ℣ 12
2 Lectio.	Rom. 2	Col. 2
Epiphan.		
1 Lectio.	Eſai. 60	Eſai. 49
2 Lectio.	Luc. 3. uſq; ad ℣ 23	Joh. 2. uſq; ad ℣ 12
Converſio D. *Pauli.*		
1 Lectio.	Sapien. 5	Sapien. 6
2 Lectio.	Act. 22. uſq; ad ℣ 22	Act. 26
Purific. Virg. Mariæ.	Sapien. 9	Sap. 12
D. *Matthiæ.*	19	Ecclus. 1
Annunciat. B. Virg.	Ecclus. 2	3
Feria 4 ante Paſch.		
1 Lectio.	Hoſ. 13	Hoſ. 14
2 Lectio.	Johan. 11. ℣ 45	
Feria 5 ante Paſch.		
1 Lectio.	Dan. 9	Jer. 31
2 Lectio.	Johan. 13	
Dies Paſſionis Dom.		
1 Lectio.	Gen. 22. uſq; ad ℣ 20	Eſai. 53
2 Lectio.	Johan. 18	1 Pet. 2
Paſchatis Vigil.		
1 Lectio.	Zach. 9	Exod. 13
2 Lectio.	Luc. 23. ℣ 50	Heb. 4
Feria 2 in Paſch.		
1 Lectio.	Exod. 16	Exod. 17
2 Lectio.	Matt. 28	Act. 3
Feria 3 in Paſch.		
1 Lectio.	Exod. 20	Exod. 32
2 Lectio.	Luc. 24. uſq; ad ℣ 13	1 Cor. 15
D. *Marc.*	Ecclus. 4	Ecclus. 5
D. D. *Phil. & Jacob.*		
1 Lectio.	7	9
2 Lectio.	Johan. 1. ℣ 43	
Aſcenſio Dom.		
1 Lectio.	Deut. 10	2 Reg. 2
2 Lectio.	Luc. 24. ℣ 44	Eph. 4. uſq; ad ℣ 17
Feria 2 in Pentecoſt.		
1 Lectio.	Gen. 11. uſq; ad ℣ 10	Num. 11. ℣ 16. uſq; (ad ℣ 30
2 Lectio.	1 Cor. 12	1 Cor. 14. uſq; ad ℣ (26
Feria 3 in Pentecoſt.		
1 Lectio.	1 Sam. 19. ℣ 18	Deut. 30
2 Lectio.	1 Theſſ. 5. ℣ 12. uſq; (ad ℣ 24	1 Joan. 4. uſq; ad ℣ (14
D. *Barnab.*		
1 Lectio.	Ecclus. 10	Ecclus. 12
2 Lectio.	Act. 14	Act. 15. uſq; ad ℣ 36
D. *Johan. Baptiſt.*		
1 Lectio.	Malac. 3	Malac. 4
2 Lectio.	Matth. 3	Mat. 14. uſq; ad ℣ 13

D. *Petri.*

Lectiones Propriæ.

	Matut.	Veſpert.
D. *Petri.*		
1 Lectio.	Ecclus. 15	Ecclus. 19
2 Lectio.	Act. 3	Act. 4
D. *Jacobi.*	Ecclus. 21	Ecclus. 22
D. *Bartholom.*	24	29
D. *Matthæi.*	Ecclus. 35	Ecclus. 38
D. *Michaelis.*		
1 Lectio.	Gen. 32	Dan. 10. ℣ 5
2 Lectio.	Act. 12. uſq; ad ℣ 20	Jud. ℣ 6. uſq; ad ℣
D. *Luc.*	Ecclus. 51	Job 1 (17
D. Simon. & D. *Jud.*	Job. 24,25	42
Omnium Divorum.	(10	
1 Lectio.	Sapien. 3 uſq; ad ℣	Sap. 5. uſq; ad ℣ 17
2 Lectio.	Heb. 11. ℣ 33. & c. (12. uſq; ad ℣ 7.	Apoc. 19. uſq; ad ℣ (17

Pſalmi Proprii, quibuſdam diebus.

	Matut.	Veſpert.
¶ *Die Natal. Chriſt.*	*Pſalm.* 19 45 85	89 110 132
¶ *Die Ciner.*	6 32 38	102 130 143
¶ *Dee Paſſionis Dom.*	22 40 54	69 88
¶ *Die Paſch.*	2 57 111	113 4 8
¶ *Die Aſcen.*	8 15 21	24 47 108
¶ *Die Pentecoſte.*	48 68	104 145

Januarius

CALENDARIUM.

Januarius conſtat XXXI *diebus.*

Luna conſtat XXX.

					Matut. 1 Lect.	*Matut.* 2 Lect.	*Veſpertin.* 1 Lect.	*Veſpertin.* 2 Lect.
	1	A	Calend.	*Circum. Dom.*				
	2	b	4 No.		Gen. 1	Mat. 1	Gen. 2	Rom. 1
11	3	c	3 No.		3	2	4	2
	4	d	Pr N.		5	3	6	3
19	5	e	Nonæ		7	4	8	4
8	6	f	8 Id.	*Epiph. Dom.*				
	7	g	7 Id.		9	5	12	5
16	8	A	6 Id.	Luci. Preſ. M.	13	6	14	6
5	9	b	5 Id.		15	7	16	7
	10	c	4 Id.		17	8	18	8
13	11	d	3 Id.		19	9	20	9
2	12	e	Pr. Id.		21	10	22	10
	13	f	Idus.	Hil. Ep. Con.	23	11	24	11
10	14	g	19 *C. Fe.*		25	12	26	12
	15	A	18 Cal.		27	13	28	13
18	16	b	17 Cal.		29	14	30	14
7	17	c	16 Cal.		31	15	32	15
	18	d	15 Cal.	Priſ. Virg. M.	33	16	34	16
15	19	e	14 Cal.		35	17	37	1 Cor. 1
4	20	f	13 Cal.	Fab. Ep. R. M.	38	18	39	2
	21	g	12 Cal.	Agn. R. V. M.	40	19	41	3
12	22	A	11 Cal.	Vinc. Dia. M.	42	20	43	4
1	23	b	10 Cal.		44	21	45	5
	24	c	9 Cal.		46	22	47	6
9	25	d	8 Cal.	*Conv. D. Pauli.*				
	26	e	7 Cal.		48	23	49	7
17	27	f	6 Cal.		50	24	Exo. 1	8
6	28	g	5 Cal.		Exod. 2	25	3	9
	29	A	4 Cal.		4	26	5	10
14	30	b	3 Cal.	*Car. Reg. Mar.*	*6	27	7	11
3	31	c	Pr. Cal.		8	28	9	12

* *N. B. Cap.* 6. *Exodi legi ad* ℣. 13.

Februarius

Februarius conſtat XXVIII. *diebus.*

Luna conſtat XXX.

					Matut. 1 Lect.	Matut. 2 Lect.	Veſpertin. 1 Lect.	Veſpertin. 2 Lect.
	1	d	Calend.	Eſur.	Exo. 10	Mar. 1	Exo 11	1 Cor. 13
1	2	e	4 Non.	*Purif. B. Mar.*		2		14
9	3	f	3 Non.		12	3	13	15
8	4	g	Pr. N.		14	4	15	16
	5	A	Nonæ	Agat. Vir. M.	16	5	17	2 Cor. 1
16	6	b	8 Id.		18	6	19	2
5	7	c	7 Id.		20	7	21	3
	8	d	6 Id.		22	8	23	4
13	9	e	5 Id.		24	9	32	5
2	10	f	4 Id.		33	10	34	6
	11	g	3 Id.		Lev. 18	11	Lev. 19	7
10	12	A	Pr. Id.		20	12	26	8
	13	b	Idus.		Nu. 11	13	Nu. 12	9
18	14	c	16 *C. M*	Val. Ep. M.	13	14	14	10
7	15	d	15 Cal.		16	15	17	11
	16	e	14 Cal.		20	16	21	12
15	17	f	13 Cal.		22	L. 1. 39	23	13
4	18	g	12 Cal.		24	1. 39	25	Gal. 1
	19	A	11 Cal.		27	2	30	2
12	20	b	10 Cal.		31	3	32	3
1	21	c	9 Cal.		35	4	36	4
	22	d	8 Cal.		Deut. 1	5	Deut. 2	5
9	23	e	7 Cal.	Eſur.	3	6	4	6
	24	f	6 Cal.	*Matthias D.*		7		Eph. 1
17	25	g	5 Cal.		5	8	6	2
6	26	A	4 Cal.		7	9	8	3
	27	b	3 Cal.		9	10	10	4
14	28	c	Pr.Cal.		11	11	12	5
	29				13	Mat. 7	14	Rom. 12

CALENDARIUM.

Martius conſtat XXXI *diebus.*

Luna conſtat XXX.

					Matut 1 Lect.	*Matut* 2 Lect.	*Veſpertin.* 1 Lect.	*Veſpertin.* 2 Lect.
3	1	d	Calend.	Da. Ar. Men.	Deu. 15	Luc. 12	Deu. 16	Eph. 6
	2	e	6 No.	Cad. Ep. L.	17	13	18	Phil. 1
11	3	f	5 No.		19	14	20	2
	4	g	4 No.		21	15	22	3
19	5	A	3 No.		24	16	25	4
8	6	b	Pr. No.		26	17	27	Eph. 1
	7	c	Nonæ.	Perpetua.	28	18	29	2
16	8	d	8 Id.		30	19	31	3
5	9	e	7 Id.		32	20	33	4
	10	f	6 Id.		34	21	Joſ. 1	1 The. 1
13	11	g	5 Id.		Joſ. 2	22	3	2
2	12	A	4 Id.	Greg. M.	4	23	5	3
	13	b	3 Id.		6	24	7	4
10	14	c	Pr. Id.		8	Joh. 1	9	5
	15	d	Idus.		10	2	23	2 The. 1
18	16	e	17 *C. A.*		24	3	Jud. 1	2
7	17	f	16 Cal.		Jud. 2	4	3	3
	18	g	15 Cal.	Edvard. Re.	4	5	5	1 Tim. 1
15	19	A	14 Cal.		6	6	7	2, 3
4	20	b	13 Cal.		8	7	9	4
	21	c	12 Cal.	Bened. Abb.	10	8	11	5
12	22	d	11 Cal.		12	9	13	6
	23	e	10 Cal.		14	10	15	2 Tim. 1
	24	f	9 Cal.	Eſur.	16	11	17	2
9	25	g	8 Cal.	*Annu. M. Vi.*		12		3
	26	A	7 Cal.		18	13	19	4
17	27	b	6 Cal.		20	14	21	Tit. 1
6	28	c	5 Cal.		Ruth 1	15	Ruth 2	2, 3
	29	d	4 Cal.		3	16	4	Philem
14	30	e	3 Cal.		1 Sam. 1	17	1 Sam. 2	Heb. 1
	31	f	Pr. Cal.		3	18	4	2

Aprilis

CALENDARIUM.

Aprilis conſtat XXX *diebus.*

Luna conſtat XXIX.

				Matut.		*Veſpertin.*	
				1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
	1 g	Calend.		1 Sam. 5	Joh. 19	1 Sam. 6	Heb. 3
11	2 A	4 No.		7	20	8	4
	3 b	3 No.	Ric. Ep. Cic.	9	21	10	5
19	4 c	Pr. No.	Am. Ep. Me.	11	Act. 1	12	6
8	5 d	Nonæ.		13	2	14	7
16	6 e	8 Id.		15	3	16	8
5	7 f	7 Id.		17	4	18	9
	8 g	6 Id.		19	5	20	10
13	9 A	5 Id.		21	6	22	11
2	10 b	4 Id.		23	7	24	12
	11 c	3 Id.		25	8	26	13
10	12 d	Pr. Id.		27	9	28	Jac. 1
	13 e	Idus.		29	10	30	2
18	14 f	16 *C.M*		31	11	2 Sam. 1	3
7	15 g	17 Cal.		2 Sam. 2	12	3	4
	16 A	16 Cal.		4	13	5	5
15	17 b	15 Cal.		6	14	7	1 Pet. 1
4	18 c	14 Cal.		8	15	9	2
	19 d	13 Cal.	Alp. Can. A.	10	16	11	3
12	20 e	12 Cal.		12	17	13	4
1	21 f	11 Cal.		14	18	15	5
	22 g	10 Cal.		16	19	17	2 Pet. 1
9	23 A	9 Cal.	D. Georg. M.	18	20	19	2
	24 b	8 Cal.		20	21	21	3
17	25 c	7 Cal.	*D. Ma. Ev.M.*		22		1 Joh. 1
6	26 d	6 Cal.		22	23	23	2
	27 e	5 Cal.		24	24	1 Reg. 1	3
14	28 f	4 Cal.		1 Reg. 2	25	3	4
3	29 g	3 Cal.		4	26	5	5
	30 A	Pr. Cal.		6	27	7	2, 3 Jo.

Calendarium.

Maius conſtat XXXI *diebus.*

Luna conſtat XXX.

					Matut. 1 Lect.	*Matut.* 2 Lect.	*Veſpertin.* 1 Lect.	*Veſpertin.* 2 Lect.
11	1	b	Calend.	D. D. *Ph. &*				Judæ.
	2	c	6 No.	*Jac. A. & M.*	1 Reg. 8	Act. 28	1 Reg. 9	Rom. 1
19	3	d	5 No.	Invent. Cru.	10	Mat. 1	11	2
8	4	e	4 No.		12	2	13	3
	5	f	3 No.		14	3	15	4
16	6	g	Pr. No.	D. Jo. Ev. ante	16	4	17	5
5	7	A	Nonæ.	Port. Lat.	18	5	19	6
	8	b	8 Id.		20	6	21	7
13	9	c	7 Id.		22	7	2 Reg. 1	8
2	10	d	6 Id.		2 Reg. 2	8	3	9
	11	e	5 Id.		4	9	5	10
10	12	f	4 Id.		6	10	7	11
	13	g	3 Id.		8	11	9	12
18	14	A	Pr. Id.		10	12	11	13
7	15	b	Idus.		12	13	13	14
	16	c	17 *C. J.*		14	14	15	15
15	17	d	16 Cal.		16	15	17	16
4	18	e	15 Cal.	Dun. Can. A.	18	16	19	1 Cor. 1
	19	f	14 Cal.		20	17	21	2
12	20	g	13 Cal.		22	18	23	3
1	21	A	12 Cal.		24	19	25	4
	22	b	11 Cal.		Ezr. 1	20	Ezr. 3	5
9	23	c	10 Cal.		4	21	5	6
	24	d	9 Cal.		6	22	7	7
17	25	e	8 Cal.	(Archiep.	9	23	Neh. 1	8
6	26	f	7 Cal.	Aug. Pri. Ca.	Neh. 2	24	4	9
	27	g	6 Cal.	V. Bed. Preſ.	5	25	6	10
14	28	A	5 Cal.		8	26	9	11
3	29	b	4 Cal.	*Car.* II. *Nat.*	10	27	13	12
	30	c	3 Cal.	(*& Redit.*	Eſth. 1	28	Eſth. 2	13
11	31	d	Pr. Cal.			Mar. 1	4	14

Junius

Calendarium.

Junius conſtat XXX *diebus.*

Luna conſtat XXIX.

					Matut.		*Veſpertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
	1	e	Calend.	Nico. Rom.	Eſth. 5	Mar. 2	Eſth. 6	1 Cor. 15
19	2	f	4 No.	(Pr. & M.	7	3	8	16
8	3	g	3 No.		9	4	Job 1	2 Cor. 1
16	4	A	Pr. No.		Job. 2	5	3	2
5	5	b	Nonæ.	Bonif. E. Mo-	4	6	5	3
	6	c	8 Id.	(gunt. & M.	6	7	7	4
13	7	d	7 Id.		8	8	9	5
2	8	e	6 Id.		10	9	11	6
	9	f	5 Id.		12	10	13	7
10	10	g	4 Id.		14	11	15	8
	11	A	3 Id.	*D. Barn. Ap.*				
18	12	b	Pr. Id.	*(& M.*	16	12	17, 18	9
7	13	c	Idus.		19	13	20	10
	14	d	18 *C. J.*		21	14	22	11
15	15	e	17 Cal.		29	15	24, 25	12
4	16	f	16 Cal.		26, 27	16	28	13
	17	g	15 Cal.	D. Alba. Ma.	29	Luc. 1	30	Gal. 1
12	18	A	14 Cal.		31	2	32	2
1	19	b	13 Cal.		33	3	34	3
	20	c	12 Cal.	Tran. Edvar.	35	4	36	4
9	21	d	11 Cal.	(R. Sax. Oc.	37	5	38	5
	22	e	10 Cal.		39	6	40	6
17	23	f	9 Cal.	Eſur.	41	7	42	Eph. 1
6	24	g	8 Cal.	*D. J. Bap. N.*				
	25	A	7 Cal.		Prov. 1	8	Prov. 2	2
14	26	b	6 Cal.		3	9	4	3
3	27	c	5 Cal.		5	10	6	4
	28	d	4 Cal.	Eſur.	7	11	8	5
11	29	e	3 Cal.	*D. Pet. Ap. &*				
	30	f	Pr. Cal.	*(Mart.*	9	12	10	6

Julius conſtat XXXI *diebus.*

Luna conſtat XXX.

					Matut.		*Veſpertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
19	1	g	Calend.		Prov. 11	Luc. 13	Pro. 12	Phil. 1
8	2	A	6 No.	Viſit.B.M.V.	13	14	14	2
	3	b	5 No.		15	15	16	3
16	4	c	4 No.	Tran. D. Ma.	17	16	18	4
5	5	d	3 No.	(Ep. & Con.	19	17	20	Col. 1
	6	e	Pr N.		21	18	22	2
13	7	f	Nonæ		23	19	24	3
2	8	g	8 Id.		25	20	26	4
	9	A	7 Id.		27	21	28	1 Theſ. 1
10	10	b	6 Id.		29	22	31	2
	11	c	5 Id.		Eccl. 1	23	Eccl. 2	3
18	12	d	4 Id.		3	24	4	4
7	13	e	3 Id.		5	Joh. 1	6	5
	14	f	Pr. Id.		7	2	8	2 Theſ. 1
15	15	g	Idus.	Sw. Ep. Win.	9	3	10	2
4	16	A	17 *C. A.*	(Tranſlat.	11	4	12	3
	17	b	16 Cal.		Jer. 1	5	Jer. 2	1 Tim. 1
12	18	c	15 Cal.		3	6	4	2, 3
1	19	d	14 Cal.	(Vir. & Mar.	5	7	6	4
	20	e	13 Cal.	Marga. Anti.	7	8	8	5
9	21	f	12 Cal.	D. Mar. Mag.	9	9	10	6
	22	g	11 Cal.		11	10	12	2 Tim. 1
17	23	A	10 Cal.		13	11	14	2
6	24	b	9 Cal.	Eſur.	15	12	16	3
	25	c	8 Cal.	*D. Ja. A. & M.*		13		4
14	26	d	7 Cal.	D. An. Ma. B.	17	14	18	Tit. 1
3	27	e	6 Cal.	(Mar. Virg.	19	15	20	2, 3
	28	f	5 Cal.		21	16	22	Philem
11	29	g	4 Cal.		23	17	24	Heb. 1
	30	A	3 Cal.		25	18	26	2
19	31	b	Pr. Cal.		27	19	28	3

Auguſtus conſtat XXXI *diebus.*

Luna conſtat XXX.

					Matutin.		*Veſpertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
8	1	c	Calend.	Pet. ad Vinc.	Jer. 29	Joh. 20	Jer. 30	Hebr. 4
16	2	d	4 No.		31	21	32	5
5	3	e	3 No.		33	Act. 1	34	6
	4	f	Pr. No.		35	2	36	7
13	5	g	Nonæ.		37	3	38	8
2	6	A	8 Id.	Tranſ. Dom.	39	4	40	9
	7	b	7 Id.	Nom. Jeſu.	41	5	42	10
10	8	c	6 Id.		43	6	44	11
	9	d	5 Id.	D. Lau. Arc.	45, 46	7	47	12
18	10	e	4 Id.	(Rom. & M.	48	8	49	13
7	11	f	3 Id.		50	9	51	Jac. 1
	12	g	Pr. Id.		52	10	Lam. 1	2
15	13	A	Idus.		Lam. 2	11	3	3
4	14	b	19 *C. Se.*		4	12	5	4
	15	c	18 Cal.		Ezec. 2	13	Ezec. 3	5
12	16	d	17 Cal.		6	14	7	1 Pet. 1
1	17	e	16 Cal.		13	15	14	2
	18	f	15 Cal.		18	16	33	3
9	19	g	14 Cal.		34	17	Dan. 1	4
	20	A	13 Cal.		Dan. 2	18	3	5
17	21	b	12 Cal.		4	19	5	2 Pet. 1
6	22	c	11 Cal.		6	20	7	2
	23	d	10 Cal.	Eſur.	8	21	9	3
14	24	e	9 Cal.	D. *Barth. Ap.*		22		1 Joh. 1
3	25	f	8 Cal.	*(& Ma.*	10	23	11	2
	26	g	7 Cal.		12	24	Hoſ. 1	3
11	27	A	6 Cal.	(Conf. Dod.	Ho. 2, 3	25	4	4
	28	b	5 Cal.	D. Au. Ep. Hi.	5, 6	26	7	
19	29	c	4 Cal.	Deco. Jo. Ba.	8	27	9	2, 3 Joh.
8	30	d	3 Cal.		10	28	11	Jud.
	31	e	Pr. Cal.		12	Mat. 1	13	Rom. 1

CALENDARIUM.

September conſtat XXX *diebus.*

Luna conſtat **XXIX.**

					Matut. 1 Lect.	Matut. 2 Lect.	Veſpertin. 1 Lect.	Veſpertin. 2 Lect.
16	1	f	Calend.	Ægidii Ab. &	Hoſ. 14	Mat. 2	Joel 1	Rom. 2
5	2	g	4 No.	(Conf.	Joel 2	3	3	3
	3	A	3 No.		Amos 1	4	Amos 2	4
13	4	b	Pr. No.		3	5	4	5
2	5	c	Nonæ.		5	6	6	6
	6	d	8 Id.	(relian.	7	7	8	7
10	7	e	7 Id.	Enu. Ep. Au-	9	8	Obad.	8
	8	f	6 Id.	Na. B. Vir. M.	Jon. 1	9	Jo. 2, 3	9
18	9	g	5 Id.		4	10	Mich. 1	10
7	10	A	4 Id.		Mich. 2	11	3	11
	11	b	3 Id.		4	12	5	12
15	12	c	Pr. Id.		6	13	7	13
4	13	d	Idus.		Nah. 1	14	Nah. 2	14
	14	e	18 *C.O.*	S. Crucis.	3	15	Hab. 1	15
12	15	f	17 Cal.		Hab. 2	16	3	16
1	16	g	16 Cal.		Zeph. 1	17	Zeph. 2	1 Cor. 1
	17	A	15 Cal.	La. Ep. & M.	3	18	Hag. 1	2
9	18	b	14 Cal.		Hag. 2	19	Zach. 1	3
	19	c	13 Cal.		Za. 2, 3	20	4, 5	4
17	20	d	12 Cal.	Eſur.	6	21	7	5
6	21	e	11 Cal.	D. *Mat. Ap.*		22		6
	22	f	10 Cal.	(*Ev. & M.*	8	23	9	7
14	23	g	9 Cal.		10	24	11	8
3	24	A	8 Cal.		12	25	13	9
	25	b	7 Cal.	(Car. & M.	14	26	Mal. 1	10
11	26	c	6 Cal.	S. Cyp. Arch.	Mal. 2	27	3	11
	27	d	5 Cal.		4	28	Tob. 1	12
19	28	e	4 Cal.	(*nium Ang.*	Tob. 2	Mar. 1	3	13
8	29	f	3 Cal.	D. *Mic. & om-*		2		14
	30	g	Pr. Cal.	D. Hie. P. C. (& Doct.	4	3	6	15

Maius

October conſtat XXXI *diebus.*

Luna conſtat XXX.

					Matut. 1 Lect.	*Matut.* 2 Lect.	*Veſpertin.* 1 Lect.	*Veſpertin.* 2 Lect.
16	1	A	Calend.	Rem. Ep. Re-	Tob. 7	Mar. 4	Tob. 8	1 Co. 16
15	2	b	6 No.	(menſ.	9	5	10	2 Cor. 1
13	3	c	5 No.		11	6	12	2
12	4	d	4 No.		13	7	14	3
	5	e	3 No.		Judit. 1	8	Judit. 2	4
10	6	f	Pr. No.	Fid. Vir. & M.	3	9	4	5
	7	g	Nonæ.		5	10	6	6
18	8	A	8 Id.		7	11	8	7
7	9	b	7 Id.	D. Dion. Arc.	9	12	10	8
	10	c	6 Id.	Ep. & Mar.	11	13	12	9
15	11	d	5 Id.		13	14	14	10
4	12	e	4 Id.		15	15	16	11
	13	f	3 Id.	Tra. D. Edv.	Sap. 1	16	Sap. 2	12
12	14	g	Pr. Id.	(Conf.	3	L. 1·39	4	13
1	15	A	Idus.		5	1·39	6	Gal. 1
	16	b	17 *C. N.*		7	2	8	2
9	17	c	16 Cal.	Ethelred. Vir.	9	3	10	3
	18	d	15 Cal.	D. *Luc. Evang.*		4		4
17	19	e	14 Cal.		11	5	12	5
6	20	f	13 Cal.		13	6	14	6
	21	g	12 Cal.		15	7	16	Eph. 1
14	22	A	11 Cal.		17	8	18	2
3	23	b	10 Cal.		19	9	Eccl. 1	3
	24	c	9 Cal.		Eccl. 2	10	3	4
11	25	d	8 Cal.	Criſpin. Mar.	4	11	5	5
	26	e	7 Cal.		6	12	7	6
19	27	f	6 Cal.	Eſur.	8	13	9	Phil. 1
8	28	g	5 Cal.	D. *Si.* & D. *J.*		14		2
	29	A	4 Cal.	(*Ap.* & *M.*	10	15	11	3
16	30	b	3 Cal.		12	16	13	4
5	31	c	Pr. Cal.	Eſur.	14	17	15	Col. 1

CALENDARIUM.

November conſtat XXX *diebus.*

Luna conſtat XXIX.

					Matut.		*Veſpertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
	1	d	Calend.	*Feſt. om. Div.*				
13	2	e	4 No.		Eccl. 16	Luc. 18	Eccl. 17	Col. 2
2	3	f	3 No.		18	19	19	3
	4	g	Pr. No.		20	20	21	4
10	5	A	Nonæ.	*Conjurat. Pa.*	22	21	23	1 Theſ. 1
	6	b	8 Id.	Leon. Conf.	24	22	(a) 28	2
18	7	c	7 Id.		27	23	21	3
7	8	d	6 Id.		29	24	(b) 30	4
	9	e	5 Id.		31	Joh. 1	32	5
15	10	f	4 Id.		33	2	34	2 Theſ. 1
4	11	g	3 Id.	D. Ma. Ep. &	35	3	36	2
	12	A	Pr. Id.	(Conf.	37	4	38	3
12	13	b	Idus.	Britii Epiſc.	39	5	40	1 Tim. 1
1	14	c	16 *C. D.*		41	6	42	2, 3
	15	d	17 Cal.	Machuti Ep.	43	7	44	4
9	16	e	16 Cal.		45	8	(c) 46	5
	17	f	15 Cal.	Hugon. Epiſ.	47	9	48	6
17	18	g	14 Cal.	(Lincoln.	49	10	50	2 Tim. 1
6	19	A	13 Cal.		51	11	Baru. 1	2
	20	b	12 Cal.	Edmund. Re.	Baru. 2	12	3	3
14	21	c	11 Cal.	(& Mart.	4	13	5	4
3	22	d	10 Cal.	Cec. V. & M.	6	14	Hiſt. S.	Tit. 1
	23	e	9 Cal.	D. Cle. 1 Ep.	B & D	15	Eſai. 1	2, 3
11	24	f	8 Cal.	(Rom. & M.	Eſa. 2	16	3	Philem.
19	25	g	7 Cal.		4	17	5	Heb. 1
	26	A	6 Cal.	Catha. Vir. &	6	18	7	2
8	27	b	5 Cal.	(Mart.	8	19	9	3
	28	c	4 Cal.		10	20	11	4
16	29	d	3 Cal.	Eſur.	12	21	13	5
5	30	e	Pr. Cal.	D. *An. A. M.*		Act. 1		6

(a) *N. B. cap.* 25. *Eccleſ. legi ad* ℣ 13.
(b) *Et cap.* 30. *ad* ℣ 18.
(c) *Et cap.* 46. *ad* ℣ 20.

December

Calendarium.

December conſtat XXXI. *diebus.*

Luna conſtat XXX.

					Matut. 1 Lect.	*Matut.* 2 Lect.	*Veſpertin.* 1 Lect.	*Veſpertin.* 2 Lect.
	1	f	Calend.		Eſa. 14	Act. 2	Eſa. 15	Heb. 7
13	2	g	4 Non.		16	3	17	8
2	3	A	3 Non.		18	4	19	9
10	4	b	Pr. N.		20, 21	5	22	10
	5	c	Nonæ	(Lyciæ.	23	6	24	11
18	6	d	8 Id.	Nicol. Ep. M.	25	7 ad 30	26	12
7	7	e	7 Id.	(Mariæ.	27	7 30	28	13
	8	f	6 Id.	Concep. B. V.	29	8	30	Jac. 1
15	9	g	5 Id.		31	9	32	2
4	10	A	4 Id.		33	10	34	3
	11	b	3 Id.		35	11	36	4
12	12	c	Pr. Id.		37	12	38	5
1	13	d	Idus.	Lu. Vi. & M.	39	13	40	1 Pet. 1
	14	e	19 *C. J.*		41	14	42	2
9	15	f	18 Cal.		43	15	44	3
	16	g	17 Cal.	O Sapientia.	45	16	46	4
17	17	A	16 Cal.		47	17	48	5
6	18	b	15 Cal.		49	18	50	2 Pet. 1
	19	c	14 Cal.		51	19	52	2
14	20	d	13 Cal.	Eſur.	53	20	54	3
3	21	e	12 Cal.	*D. Tho. Ap. &*		21		1 Joh. 1
	22	f	11 Cal.	*(M.*	55	22	56	2
11	23	g	10 Cal.		57	23	58	3
	24	A	9 Cal.	Eſur.	59	24	60	4
19	25	b	8 Cal.	*Nativ. Dom.*				
8	26	c	7 Cal.	*D. Step. Proto*				
	27	d	6 Cal.	*D. Joh. Evan.*		25		5
16	28	e	5 Cal.	*Sanctor. Innoc.*				
5	29	f	4 Cal.		61	26	62	2 Joh.
	30	g	3 Cal.		63	27	64	3 Joh.
13	31	A	Pr. Cal.	Silv. E. Ro.	65	28	66	Jud.

Tabula

Tabula & Regulæ de Feriis Conceptivis, & Stativis: Ut & de diebus Eſurialibus, per totum annum.

Regula de Feriis Conceptivis & aliis.

PAſcha (ex quo reliqua pendent) ſemper incidit in Dominicam, quæ proximè ſuccedit Pleni-Lunium, quod immediatè ſequitur 21 *Martii*. Sin vero Pleni-Lunium contingit die Dominicâ, Paſcha incidit in proximè ſequentem Dominicam.

Dominica Adventûs incidit in Dominicam Feſto D. *Andreæ* proximam, ſive illud ſequatur, ſive antecedat.

Septuageſima	antecedit Paſcha	Novem	Septimanis.
Sexageſima		Octo	
Quinquageſima		Septem	
Quadrageſima		Sex	
Dominica *Rogation.*	ſequitur Paſcha	Quinque	Septimanis.
Dies *Aſcenſionis*		Quadraginta	Diebus.
Pentecoſtes		Septem	Septimanis.
Dominica *Trinitat.*		Octo	Septimanis.

Tabula Feſtorum quæ obſervari debent in Eccleſia Anglicana, per totum annum.

Omnes Dominicæ in anno.

FESTA

Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.	D. *Jacobi* Apoſt.
Epiphaniæ.	D. *Bartholomæi* Apoſt.
Converſionis D. *Pauli.*	D. *Matthæi* Apoſt.
Purificationis B. Virg.	D. *Michaelis*, & omnium Angelorum.
D. *Matthiæ* Apoſtoli.	D. *Lucæ* Evangeliſtæ.
Annunciationis B. Virg.	D D. *Simonis* & *Judæ* Apoſt.
D. *Marci* Evangeliſtæ.	Omnium Sanctorum.
D D. *Philippi* & *Jac.* Apoſt.	D. *Andreæ* Apoſt.
Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.	D. *Thomæ* Apoſt.
D. *Barnabæ.*	Nativitat. Domini.
Nativ. D. *Johan.* Baptiſtæ.	D. *Stephani* Martyris.
D. *Petri* Apoſtoli.	D. *Johannis* Evangeliſtæ.
	Sanctorum Innocentium.

Feria Secunda & Tert. à Dom. *Paſchatis.* Secunda & Tert. à Dominic. *Pentecoſtes.*

Tabula Feriarum Præcidanearum, & Eſurialium, quæ obſervari debent ſingulis annis.

Feriæ præcidaneæ, ſeu Vigiliæ præcedentes

Nativitatem Domini.	D. *Petri.*
Purific. B. Virg. *Mar.*	D. *Jacobi.*
Annunc. B. Virg. *Mar.*	D. *Bartholomæi.*
Paſcha.	D. *Matthæi.*
Aſcenſionem.	DD. *Simonis* & *Judæ.*
Pentecoſten.	D. *Andreæ.*
D. *Matthiæ.*	D. *Thomæ.*
D. *Joan.* Baptiſt.	Omnium Sanctorum.

Obſerva, quòd ſi ulla harum Feriarum incidat in diem hebdomadis ſecundam, tum Vigilia, ſeu Feria Eſurialis obſervabitur die ultima præcedentis hebdomadis, non autem Dominica proxime antecedente.

Feriæ Eſuriales.

I. Quadrageſima.

II. Feriæ Eſuriales quatuor temporum, quarta ſcilicet, ſexta & ſeptima.

Poſt:
- Dominicam primam Quadrageſimæ.
- Feriam Penteco ſtes.
- 14 *Septembris.*
- 13 *Decembris.*

III. Dies Rogationum, Feria ſcilicet ſecunda, tertia & quarta ante Aſcenſionem Domini.

IV. Feria ſexta cujuſcunque hebdomadis in anno, præter diem natalem Chriſti.

Dies quidam ſolennes, quibus ſingularia quædam Officia aſſignantur.

Quintus *Novembris*, qui eſt dies *Conjurationis Pontificiorum.*

Trigeſimus *Januarii*, qui dies eſt *Martyrii* Caroli *Regis.*

Viceſimus nonus *Maii*, qui dies eſt *Nativitatis & Reſtorationis* Caroli *Regis* II.

Undecimus *Junii*, quo ſcilicet die Regia Majeſtas ſolium feliciter aſcendit.

Tabula

Tabula Feriarum Conceptivarum in Annos Quadraginta.

Annus Domini.	Aureus Numer.	Epacta.	Litera Dom.	Dom. poſt Epi.	Septuageſima.		Dominic. prim. Quadrageſimæ.		Paſcha.	
1730	2	22	D	2	Jan.	25	Feb.	11	Mar.	29
1731	3	3	C	5	Feb.	14	Mar.	3	Apr.	18
1732	4	14	BA	4		6	Feb.	23		9
1733	5	25	G	2	Jan.	21		7	Mar.	25
1734	6	6	F	4	Feb.	10		27	Apr.	14
1735	7	17	E	3		2		19		6
1736	8	28	DC.	6		22	Mar.	10		25
1737	9	9	B	4		6	Feb.	23		10
1738	10	20	A	3	Jan.	29		15		2
1739	11	1	G	6	Feb.	18	Mar.	7		22
1740	12	12	FE	3		3	Feb.	20		6
1741	13	23	D	2	Jan.	25		11	Mar.	29
1742	14	4	C	5	Feb.	14	Mar.	3	Apr.	18
1743	15	15	B	3	Jan.	30	Feb.	16		3
1744	16	26	AG	2		22		8	Mar.	25
1745	17	7	F	4	Feb.	10		27	Apr.	14
1746	18	18	E	2	Jan.	26		12	Mar.	30
1747	19	29	D	5	Feb.	15	Mar.	4	Apr.	19
1748	1	11	CB	4		7	Feb.	24		10
1749	2	22	A	2	Jan.	22		8	Mar.	26
1750	3	3	G	5	Feb.	11		28	Apr.	15
1751	4	14	F	3		3		20		7
1752	5	25	ED	2	Jan.	26		12	Mar.	29
1753	6	6	C	4	Feb.	7		24	Apr.	11
1754	7	17	B	3	Jan.	30		16		3
1755	8	28	A	6	Feb.	19	Mar.	8		23
1756	9	9	GF	5		11	Feb.	28		14
1757	10	20	E	2	Jan.	26		12	Mar.	30
1758	11	1	D	5	Feb.	15	Mar.	4	Apr.	19
1759	12	12	C	4		7	Feb.	24		11
1760	13	23	BA	2	Jan.	23		9	Mar.	26
1761	14	4	G	5	Feb.	11		28	Apr.	15
1762	15	15	F	3		3		20		7
1763	16	26	E	1	Jan.	19		5	Mar.	23
1764	17	7	DC	4	Feb.	8		25	Apr.	11
1765	18	18	B	3	Jan.	30		16		3
1766	19	29	A	6	Feb.	19	Mar.	8		23
1767	1	11	G	4		24	Feb.	21		8
1768	2	22	FE	2	Jan.	26		12	Mar.	30
1769	3	3	D	5	Feb.	15	Mar.	4	Apr.	19

Tabula

Tabula Feriarum Conceptivarum in Annos Quadraginta.

Annus Domini.	Dom. Rogat.		Aſcenſio Dom.		Pentecoſte.		Dom. poſt Trin.	Dom. Advent.	
1730	Maii	3	Maii	7	Maii	17	26	Nov.	29
1731		23		27	Junii	6	23		28
1732		14		18	Maii	28	25	Dec.	3
1733	Apr.	29		3		13	27		2
1734	Maii	19		23	Junii	2	24		1
1735		11		15	Maii	25	25	Nov.	30
1736		30	Junii	3	Junii	13	22		28
1737		15	Maii	19	Maii	29	24		27
1738		7		11		21	26	Dec.	3
1739		27		31	Junii	10	23		2
1740		11		15	Maii	25	25	Nov.	30
1741		3		7		17	26		29
1742		23		27	Junii	6	23		28
1743		8		12	Maii	22.	25		27
1744	Apr.	29		3		13	27	Dec.	2
1745	Maii	19		23	Junii	2	24		1
1746		4		8	Maii	18	26	Nov.	30
1747		24		28	Junii	7	23		29
1748		15		19	Maii	29	24		27
1749	Apr.	30		4		14	27	Dec.	3
1750	Maii	20		24	Junii	3	24		2
1751		12		16	Maii	26	25		1
1752		3		7		17	26	Nov.	29
1753		16		20		30	24		28
1754		8		12		22	25		27
1755		28	Junii	1	Junii	11	23	Dec.	3
1756		19	Maii	23		2	24		1
1757		4		8	Maii	18	26	Nov.	30
1758		24		28	Junii	7	23		29
1759		16		20	Maii	30	24		28
1760	Apr.	30		4		14	27	Dec.	3
1761	Maii	20		24	Junii	3	24		2
1762		12		16	Maii	26	25		1
1763	Apr.	27		1		11	27	Nov.	30
1764	Maii	16		20		30	24		28
1765		8		12		22	25		27
1766		28	Junii	1	Junii	11	23	Dec.	3
1767	Maii	17	Maii	17	Maii	27	25		2
1768		8		8		18	26	Nov.	30
1769		28		28	Junii	7	23		29

Obſerva Annum Domini, juxta Supputationem Eccleſiæ Anglicanæ, *incipere vigeſimo quinto Menſis* Martii.

Ad inveniendam diem Paſchatis in perpetuum.

Aureus Numer.	A		B	C		D	E		F		G	
I	Apr.	9	10		11	12		6		7		8
II	Mar.	26	27		28	29		30		31	Apr.	1
III	Apr.	16	17		18	19		20		14		15
IV	Apr.	9	3		4	5		6		7		8
V	Mar.	26	27		28	29		23		24		15
VI	Apr.	16	17		11	12		13		14		25
VII	Apr.	2	3		4	5		6	Mar.	31	Apr.	1
VIII	Apr.	23	24		25	29		20		21		22
IX	Apr.	9	20		11	12		13		14		8
X	Apr.	2	3	Mar.	28	29		30		31		22
XI	Apr.	16	17		18	19		20		21		8
XII	Apr.	9	10		11	5		6		7	Apr.	1
XIII	Mar.	26	27		28	29		30		31		25
XIV	Apr.	16	17		4	19		13		14		15
XV	Apr.	2	3		18	5		6		7		8
XVI	Mar.	26	27		28	22		23		24		15
XVII	Apr.	16	10		11	12		13		14		25
XVIII	Apr.	2	3		4	5	Mar.	30		31	Apr.	1
XIX	Apr.	23	2[illegible]		18	19		20		21		22

¶ *Cum inveneris literam Dominicalem in linea ſuperiore, dirige oculum deorſum, donec pervenias è regione Aurei Numeri. Ibi autem indicatur tum menſis, tum dies* Paſchatis *illius Anni. Obſerva verò Menſis nomen ſcribi à ſiniſtra aut una cum Die Menſis, non autem ſequi, ut fieri ſolet, in aliis Tabulis per deſcenſionem, ſed ſicut in Tabulis collateralibus.*

Ordo in Matutinis & Veſpertinis Precibus quotidie obſervandus per totum Annum.

PReces Matutinæ & Veſpertinæ celebrabuntur in conſueto loco Eccleſiæ, Sacelli, aut Sacrarii, niſi aliter præſcriptum fuerit ab Ordinario loci. Sacraria autem poſthac eodem, quo antea, ſtatu remanebunt.

Hìc etiam notandum eſt, quod eadem ornamenta Eccleſiæ & illius Miniſtrorum, quotieſcunque ſacra celebraverint, retinebuntur & uſurpabuntur, quæ uſurpata ſunt in hac Eccleſia Anglicana, auctoritate Parlamenti, anno ſecundo Regni *Edvardi* Sexti Regis.

ORDO

ORDO

IN

MATUTINIS PRECIBUS

Singulo totius anni die obſervandus.

¶ *Initio Precum Matutinarum, ſacrorum Miniſter harum ſententiarum quæ ſequuntur, ex ſcripturâ ſacrâ deſumptarum, unam aut alteram, aut etiam plures altâ voce prælegat; deinde dicet quod iis ſententiis proximè ſubjungitur.*

CUM impius, omiſsâ quam exercuit impietate, jus æquúmque facit, is vitam ſuam conſervat. *Ezek.* 18. 27.

Nam meam noxam agnoſco, meúmque peccatum mihi ſemper obverſatur. *Pſal.* 51. 3.

Abde faciem tuam à meis peccatis, & omnia vitia mea dele. *Pſal.* 51. 9.

Divina ſacrificia ſunt fractus ſpiritus: fractam afflictamque mentem Tu, Deus, non deſpicis. *Pſal.* 51. 17.

Veſtra corda lacerando, & non veſtes, redite ad Dominum Deum veſtrum; nam is eſt exorabilis & miſericors, ad iram tardus, multæque clementiæ, qui ſe ab inferendo malo contineat. *Joel* 2. 13.

Domini Dei noſtri eſt lenitas & placabilitas, in quem nos rebellavimus neque Domini Dei noſtri dicto audientes fuimus, ut ex ejus legibus viveremus, quas nobis propoſuerat. *Dan.* 9. 9, 10.

Caſtiga me, Domine; ſed ratione, non iratè, nè me diminuas. *Jer.* 10. 24. *Pſal.* 6. 1.

Corrigite vos: inſtat enim cœleſte regnum. D. *Mat.* 3. 2.

Recipiam me ad meum Patrem, eique dicam: Pater, & in cœlum & adverſùm te peccavi; ita ut jam non ſim dignus qui dicar tuus filius. D. *Luc.* 15. 18, 19.

Nè in jus mecum, qui tuus ſum, venito: nam coram Te nemo mortalium abſolvetur. *Pſal.* 143. 2.

Si nos peccati expertes eſſe dicimus, fallimus nos ipſos, nec eſt in nobis veritas. Si confitemur peccata noſtra, ille ita fidelis & juſtus eſt, ut nobis peccatorum veniam det, noſque ab omni culpâ expiet. 1 D. *Joh.* 1. 8, 9.

CHariſſimi fratres, literæ ſacræ nos paſſim hortantur, ut tot tantáque ſcelera & peccata noſtra tum agnoſcamus tum confiteamur, & nè ullum prætextum aut diſſimulationem, coram Deo Omnipotente, Patre noſtro cœleſti, iis obtendamus; verùm, quocunque ex genere ſint, ea animo humili, demiſſo, pœnitente & ſincero confiteamur, quò veniam ab ſummâ ipſus clementiâ, miſericordiâque conſequamur. Quanquam autem peccata noſtra in conſpectu Dei ſummiſsè ſemper denudare oportet, id tamen maximè decet fieri nobis eódem congreſſis, cùm primùm nos ſummas gratias agere convenit, pro magnis quibus nos affecit beneficiis; deinde laudes ejus meritiſſimæ prædicandæ ſunt, & ſacroſancto ipſius verbo attendendum eſt; ea denique petenda ſunt, quæ tum corporis tum animi ſtatus exigit. Vos itaque, quotquot adeſtis, oro atque obteſtor, ut me, verba præeuntem, & ſincero animo ſupplicique voce ad cœleſtis gratiæ ſolium ſequamini, dicentes:

¶ *Summaria Confeſſio ab univerſâ congregatione, Miniſtro præeunte, dicenda, ſingulis in genua provolutis.*

OMnipotens & clementiſſime Pater, tanquam oves perditæ, à tuis viis palantes aberravimus: conſiliis concupiſcentiiſque animorum noſtrorum nimiùm ſumus obſecuti: ſacroſanctas leges tuas violavimus: quæ à nobis præſtanda fuerant omiſſis; admiſſiſque iis, quæ non præſtanda: & in nobis nihil eſt ſanum. Tu autem, Domine, propitiare nobis miſeris pec-

peccatoribus: parce, Deus, peccata ſua confitentibus: ad frugem redeuntes in integrum reſtitue: pro tuis promiſſionibus humano generi in Chriſto Jeſu Domino noſtro patefactis. Ampliùs etiam propter Ipſum concede, ô Pater clementiſſime, ut dehinc piè, juſtè, & frugaliter vitam inſtituamus, in ſancti tui nominis gloriam. *Amen.*

¶ *Formula abſolvendi, ſeu peccata remittendi, à Preſbytero tantùm, eoque ſtante, plebe autem genua flectente, pronuncianda.*

OMnipotens Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui impium mori non placet, ſed recedere eum à viâ ſuâ, & vivere; quíque Miniſtris ſuis unà cum mandato poteſtatem dedit declarandi, & annunciandi populo ſuo, ſi ad frugem redeat tum veniam, tum gratiam peccatorum: ipſe adeò ſingulis, qui ex animo reſipiſcant, ſacroſancto ejus Evangelio ſincerè credentes, remittit, eóſque abſolvit. Rogemus itaque, ut Ipſe verè nos vitam corrigere præſtet, Sanctóque Spiritu nos impertiat; ut quæ impræſentiarum agimus, ea adversùs Ipſum grata ſint; & reliqua dehinc vita adeò pura & ſancta agatur in hoc ſeculo, ut in futuro in æternam ejus voluptatem ingrediamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Hâc & ſingulis aliis finitis ſupplicationibus reſpondebitur,* Amen.

¶ *Deinde Miniſter genibus flexis ſupplicationem Dominicam altâ voce recitabit, cœtu univerſo etiam genua flectente, eámque, præeunte Miniſtro, repetente: quod fiet tam hìc quàm alibi, ubicunque uſurpatur in ſacris officiis.*

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terrâ. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodié: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere: quoniam tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſempiternum. *Amen.*

 ¶ *Deinde,*

¶ *Deinde etiam ad hunc modum dicet,*

Domine, noſtra labia aperi.

Responsio.

Et os noſtrum laudem tuam prædicabit.

Presbyter.

Domine, ad ſuccurrendum nobis feſtina.

Responsio.

Deus, nobis ſuppetias veni.

¶ *Hîc ſtantibus omnibus Preſbyter dicet,*

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Responsio.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

Presbyter.

Collaudate Dominum:

Responsio.

Nomen Domini collaudetur.

¶ *Deinde cantabitur aut recitabitur ſequens Pſalmus, præterquam Paſchatis die, quo die canticum aliud uſurpandum eſt in eum diem deſtinatum; die etiam decimo nono menſis cujuſlibet non eſt in hoc loco, ſed unà cum cæteris Pſalmis ejus diei, pro conſueto more recitandus.*

Pſal. xcv.

Adeſte, cantemus Dominum, reſonemus Numen ſalutare nobis.

Veniamus in ejus conſpectum, celebrando, & cantionibus reſonando.

Etenim Deus magnus eſt Dominus, & rex omnium maximus Deorum.

Ejus in manu terræ penetralia, ejus ſunt montium altitudines.

Ejus eſt mare quod ipſe fecit, ſiccúmque ſuis is manibus formavit.

Agite, veneremur ſupplices, flexis ante Dominum creatorem noſtrum genibus.

Is enim Deus noſter eſt, & nos ejus gubernationis populus, ejuſque procurationis oves.

Ejus vocem ſi hodiè audieritis, nolite indurate corda veſtra, ut in illo jurgio, ut in die tentationis in ſolitudine.

Cùm me tentavere majores veſtri, cùm me probavere quamvis meum vidiſſent opus.

Quorum generis ego quadraginta pertæſus annos, dixi, Homines eſſe ſocordes, meæque ignaros viæ.

Iratus itaque juravi, non eſſe in meam requiem perventuros.

Gloria

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto ;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Deinde ſequentur Pſalmi juxta præſtitutum ordinem. Poſt finitum autem unumquemque Pſalmum per totum annum, ut & poſt finem Canticorum* Prædicate, Grates Domino, Magnificat *&* Nunc Dimittis, *ſequitur,*

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto ;

RESPONSIO.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Deinde clarâ atque altâ voce prælegetur Lectio prior ex vetere Teſtamento deſumpta, prout conſtitutum eſt in Calendario (niſi propriæ lectiones in eum diem fuerint aſſignatæ) lectore ita ſtante & ſe obvertente, ut à cunctis præſentibus commodè poſſit audiri. Poſteà recitabitur aut cantabitur linguâ vernaculâ Hymnus* Te Deum laudamus, *idque ſingulo totius anni die.*

¶ *Nota, quod ante quamlibet Lectionem Miniſter dicet,* Hic incipit Caput, *aut* Verſus Capitis hujus, aut illius Libri : *& finitâ unaquâque lectione,* Hic deſinit Lectio prior, *aut* poſterior.

TE Deum laudamus : Te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli : Tibi cœli & univerſæ poteſtates ;

Cherubim & Seraphim, ſine ullâ intermiſſione dicunt,

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt cœli & terra tuæ excelſitatis majeſtate.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus ;

Te Prophetarum laudabilis numerus ;

Te Martyrum candidatus laudat exercitus ;

Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia.

Patrem immenſæ Majeſtatis ;

Venerandum tuum, verum & unicum Filium ;

Sanctum quoque Paracletum Spiritum.

Tu Rex gloriæ, Chriſte :

Tu Patris ſempiternus es Filius :

Tu, ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis uterum:

Tu, devicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum:

Tu ad dexteram Dei ſedes in gloriâ Patris:

Judex crederis eſſe venturus.

Te ergò quæſumus famulis tuis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Æternâ fac eos cum ſanctis tuis in gloriâ numerari.

Serva tuos, Domine, tuæque hereditati fave:

Et rege eos, & extolle illos, uſque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus Tibi:

Et laudamus nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Dignare, Domine, die iſto à peccato nos tueri.

Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in Te.

In Te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum.

¶ *Aut hoc Canticum,* Prædicate omnia opera Domini, *vulgò* Benedicite, *&c.*

PRædicate, omnia opera Domini, Dominum, & æternâ commendatione extollite.

Prædicate, Angeli Domini, Dominum, & æternâ commendatione extollite.

Prædicate, cœli Domini, Dominum, & æternâ, *&c.*

Prædicate, omnes cœleſtes aquæ, Dominum, & æternâ *&c.*

Prædicate, omnes Domini poteſtates, Dominum, & æternâ, *&c.*

Prædicate, ſol & luna, Dominum, & æternâ *&c.*

Prædicate, cœleſtia ſydera, Dominum, & æternâ *&c.*

Prædicate, omnes imber & ros Dominum, & æternâ *&c.*

Prædicate, omnes ſpiritus, Dominum, & æternâ *&c.*

Prædicate, ignis & ardor, Dominum, & æternâ, *&c.*

Prædicate, hiems & æſtas, Dominum, & æternâ *&c.*

Prædicate, rores & pruinæ, Dominum, & æternâ *&c.*

Prædicate, gelu frigúſque, Dominum, & æternâ, *&c.*

Prædicate, glacies nivéſque, Dominum, & æternâ *&c.*

Prædicate, dies noctéſque, Dominum, & æternâ *&c.*

Prædicate, lumen tenebræque, Dominum, & æternâ &c.

Prædicate, fulgura nubéſque, Dominum, & æternâ &c.

Prædicet terra Dominum, & æternâ commendatione extollat.

Prædicate, montes & colles, Dominum, & æternâ commendatione extollite.

Prædicate, omnia ex terrâ naſcentia, Dominum, & æternâ &c.

Prædicate, fontes, Dominum, & æternâ &c.

Prædicate, mare fluviique, Dominum, & æternâ &c.

Prædicate, cete omniaque in aquis moventia, Dominum, & æternâ &c.

Prædicate, omnes volucres aëreæ, Dominum, & æternâ &c.

Prædicate, omnes beſtiæ pecoráque, Dominum, & æternâ &c.

Prædicate, hominum gentes, Dominum, & æternâ &c.

Prædicent Iſraëlitæ Dominum, & æternâ commendatione extollant.

Prædicate, Domini ſacerdotes, Dominum, & æternâ commendatione extollite.

Prædicate, Domini cultores Dominum, & æternâ &c.

Prædicate, juſtorum mentes animíque, Dominum, & æternâ &c.

Prædicate, ſancti & animo humiles, Dominum, & æternâ &c.

Prædicate, Anania, Azaria, Miſaël, Dominum, & æternâ &c.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Deinde eodem modo prælegetur Lectio poſterior ex novo Teſtamento deſumpta; deinde ſequens Canticum, niſi cùm fortè prælectum fuerit in Lectione alicujus diei, aut in Evangelio in Divi Johannis Baptiſtæ diem aſſignato.*

Luc. i. 68.

GRates Domino Iſraëlitarum Deo, qui populi ſui liberationem procuret:

Erigatque nobis cornu ſalutis, in domo ſui Davidis:

Quemadmodùm promiſerat priſcorum ore ſanctorum ſuorum vatum,

Quò vindicemur ab hoſtibus noſtris, & ex omnium manu qui nos odêre:

Ut

Ut utatur clementiâ erga majores noſtros, & ſui ſancti fœderis recordetur:

Qui jurejurando promiſerit Abrahamo patri noſtro,

Daturum ſe nobis, ut intrepidè, ex hoſtium noſtrorum manu liberati,

Ipſum coràm piè juſtéque colamus, toto vitæ noſtræ tempore.

Et tu, puer, Supremi vates vocabere: præibis enim Domino, paratum vias ejus,

Ad dandum ſalutis cognitionem ejus populo, quòd eis venia datur peccatorum,

Per intimam Dei noſtri miſericordiam, quâ nos ex alto viſit ortus;

Qui appareat iis qui in tenebris & atrâ nocte degunt, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Aut hic Pſalmus,* Pſal. c.

JUbilate Deo, totus orbis: ſervite Domino cum lætitiâ: venite in ejus conſpectum cum modulis.

Cognoſcite Dominum Deum eſſe: ab ipſo, non à nobis ipſis facti ſumus, ejus populus, ejuſque paſcui oves.

Ingredimini ejus portas cum commendatione, atria cum laudibus: eum celebrantes, ejus nomen collaudantes.

Nam bonus eſt Dominus, perpetuæ clementiæ, & ſempiternæ fidei.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Deinde* Symbolum Apoſtolorum *à Miniſtro, & cætu univerſo ſtantibus, cantabitur aut recitabitur, niſi quibus diebus Divi* Athanaſii *Symbolum recitatur.*

CRedo in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Mariâ Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferos; tertio die reſurrexit à mortuis; aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, ſanctam eccleſiam catholicam,

tholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam. *Amen.*

¶ *Deinde ſequentes hæ preculæ, ſingulis religiosè genua flectentibus; Miniſtro altâ voce præeunte,*

Dominus vobiſcum:

RESPONSIO.

Et cum ſpiritu tuo.

PRESBYTER.

Oremus.

Miſerere noſtri, Domine.
Miſerere noſtri, Chriſte:
Miſerere noſtri, Domine.

¶ *Deinde Miniſter, Clerici, ut & univerſus cœtus altâ voce ſupplicationem Dominicam recitabunt.*

PAter noſter, qui ĕs in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Vĕniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terrâ. Victum noſtrum alimentarium da nobis hŏdie: Et remitte nobis dēbita noſtra, ut & nos remittimus dēbitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

¶ *Deinde ſtans Preſbyter dicet.*

Exhibe nobis tuam, Domine, clementiam;

RESPONSIO.

Tuámque nobis defenſionem præſta.

PRESBYTER.

Defende Regem, Domine;

RESPONSIO.

Et pro tuâ clementiâ, noſtram invocantium vocem exaudi.

PRESBYTER.

Tui ſacerdotes juſtitiâ veſtiantur;

RESPONSIO.

Tuíque pii ovent.

PRESBYTER.

Serva tuos, Domine;

RESPONSIO.

Tuæque hereditati fave.

PRESBYTER.

Pacem præbe nobis noſtri ævo, Domine;

RESPONSIO.

Quia tu, Domine, ſolus pro nobis pugnas, & prætereà nullus.

PRESBYTER.

Cor mundum crea nobis, Deus;

RESPONSIO.

Néve Spiritum tuum Sanctum nobis auferas.

¶ *Deinde ſequentur tres Collectæ: Prima diei, quæ eadem erit cum eâ quæ in formulâ ſacram Communionem adminiſtrandi recitanda eſt. Secunda pro Pace*

Pace impetrandâ. Tertia ut Gratia concedatur ad rectè vivendum. Duæ poſteriores Collectæ nunquam variabuntur, ſed quotidiè in Matutinis Precibus recitabuntur per totum annum, prout ſequuntur, ſingulis genua flectentibus.

Collecta ſecunda pro Pace.

DEus auctor pacis, & concordiæ amans, quem nôſſe eſt vita æterna, & cui ſervire eſt vera libertas; nos ſupplices tuos contra omnem impetum hoſtilem protegas, ut, qui prorſus in tuo auxilio confidimus, nullius hoſtis arma timeamus, per potentiam Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

Collecta tertia pro gratiâ petendâ.

O Domine pater noſter cœleſtis, omnipotens & ſempiterne Deus, tuis nos hodie præſtantiſſimis viribus protege, quos ad initium hujus diei incolumes duxiſti; da etiam, ut per totum hunc diem in nullum peccatum incidamus, neque ullo verſemur in periculo; ſed ut ſingulæ noſtræ actiones tuo ductu ita dirigantur, ut, quod in oculis tuis juſtum eſt, perpetuò agamus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *In Choris & Locis, in quibus pſallitur, hìc ſequitur Antiphona.*

¶ *Deinde ſequentes hæ quinque ſupplicationes hìc recitandæ ſunt, niſi cùm Litania recitatur. Tum enim duæ poſteriores tantum recitandæ ſunt eo ordine, quo ibi collocantur.*

1 Tim 2, 2.

Supplicatio pro Regiâ Majeſtate.

O Domine pater noſter cœleſtis, qui maximus potentiſſimúſque es Rex regum, & Dominus dominantium, principum omnium ſolus & unicus moderator, quíque de ſacrâ ſede tuâ omnes orbis incolas intueris; ex animo te ſuppliciter quæſumus, clementiſſimum Principem & ſupremum Dominum noſtrum Regem GEORGIUM benigno vultu reſpicias; & ita eum repleas Sancti tui Spiritûs gratiâ, ut ſemper ad tui voluntatem ſe conformet, & in tuis viis gradiatur: accumules ei dona cœleſtia, permittáſque vitâ longævâ & proſperâ uti, eique adeò opituleris, ut

hoſtes

hoſtes ſuos omnes fundatque & ſuperet; &, exacto demum hujus vitæ ſtadio, felicitate æternâ & gaudio perfruatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Supplicatio pro ſtirpe Regiâ.

OMnipotens Deus, omnis boni fons, magnâ cum animi demiſſione quæſumus, *Frederico Walliarum* Principi, Principiſſæ *Walliarum*, Duci, Principiſſis, *Walliarum* principum Soboli, & univerſæ ſtirpi regiæ favere digneris; Sancto tuo Spiritu eos imperti, cœleſtique tuâ gratiâ locupleta; iiſque fauſta omnia & proſpera largitus in æternum tuum regnum admittas, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Supplicatio pro Clero & Populo.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui ſolus es miraculorum effector, Spiritu ſalutari gratiæ tuæ afflato Epiſcopos Curatoſque noſtros & quotquot greges eorum fidei committuntur; & quò tibi reverà placeant, eos perpetuo favoris tui rore irrigato. His annue, Domine, in honorem Advocati & Mediatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

Supplicatio Divi Chryſoſtomi.

OMnipotens Deus, qui nobis gratiam impertitus es, per quam uno ore unóque animo publicas haſce ſupplicationes apud Te effundimus: quíque polliceris, ubi ſunt duo tréſve tuo nomine congregati, Te eorum poſtulata exauditurum: nos tuos, Domine, votorum, & petitionum redde compotes, prout tibi maximè nobis expedire videbitur; conceſſâ nobis in hoc ſeculo veritatis tuæ cognitione, & vitâ æternâ in futuro. *Amen.*

2 *Cor.* xiii. 14.

DOmini Jeſu Chriſti gratia, & Dei amor, & Sancti Spiritûs communio nobis adſit omnibus, in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Hic deſinit ordo Matutinarum precum per totum annum.*

Ordo

ORDO
IN
VESPERTINIS PRECIBUS

Singulo totius anni die obſervandus.

¶ *Initio Precum Veſpertinarum, ſacrorum Miniſter harum ſententiarum quæ ſequuntur ex ſacrâ ſcripturâ deſumptarum, unam, aut alteram, aut etiam plures altâ voce præleget; deinde dicet quod iis ſententiis proximè ſubjungitur.*

CUM impius, omiſsâ quam exercuit impietate, jus æquúmque facit, is vitam ſuam conſervat. *Ezek.* 18. 27.

Nam meam noxam agnoſco, meumque peccatum mihi ſemper obverſatur. *Pſal.* 51. 3.

Abde faciem tuam à meis peccatis, & omnia vitia mea dele. *Pſal.* 51. 9.

Divina ſacrificia ſunt fractus ſpiritus: fractam afflictámque mentem Tu, Deus, non deſpicis. *Pſal.* 51. 17.

Veſtra corda lacerando, & non veſtes, redite ad Dominum Deum veſtrum; nam is eſt exorabilis & miſericors ad iram tardus, multæque clementiæ, qui ſe ab inferendo malo contineat. *Joel* 2. 13.

Domini Dei noſtri eſt lenitas & placabilitas in quem nos rebellavimus, neque Domini Dei noſtri dicto audientes fuimus, ut ex ejus legibus viveremus, quas nobis ſervorum ſuorum vatum operâ propoſuerat. *Dan.* 9. 9, 10.

Caſtiga me, Domine, ſed ratione; non iratè, nè me diminuas. *Jer.* 10. 24. *Pſal.* 6. 1.

Corrigite vos: inſtat enim cœleſte regnum. D. *Mat*. 3. 2.

Recipiam me ad meum Patrem, eique dicam: Pater, & in cœlum & adverſùm te peccavi; ita ut jam non ſim dignus qui dicar tuus filius. D. *Luc*. 15. 18, 19.

Nè in jus mecum, qui tuus ſum, venito: nam coram Te nemo mortalium abſolvetur. *Pſal*. 143. 2.

Si nos peccati expertes eſſe dicimus, fallimus nos ipſos, nec eſt in nobis veritas. Si confitemur peccata noſtra, ille ita fidelis & juſtus eſt, ut nobis peccatorum veniam det, nóſque ab omni culpâ expiet. 1 D. *Joh*. 1. 8, 9.

CHariſſimi fratres, literæ ſacræ nos paſſim hortantur, ut tot tantáque ſcelera & peccata noſtra tum agnoſcamus tum confiteamur, & nè ullum prætextum aut diſſimulationem coram Deo Omnipotente, Patre noſtro cœleſti, iis obtendamus; verum, quocunque ex genere ſint, ea animo humili, demiſſo, pœnitente & ſincero confiteamur, quò veniam ab ſummâ ipſius clementiâ miſericordiâque conſequamur. Quanquam autem peccata noſtra in conſpectu Dei ſummiſsè ſemper denudare oportet, id tamen maximè decet fieri nobis eódem congreſſis; cùm primùm nos ſummas gratias agere convenit, pro magnis quibus nos affecit beneficiis; deinde laudes ejus meritiſſimæ prædicandæ ſunt, & ſacro-ſancto ipſius verbo attendendum eſt; ea denique petenda ſunt, quæ tum corporis tum animi ſtatus exigit. Vos itaque, quotquot adeſtis, oro atque obteſtor, ut me, verba præeuntem, & ſincero animo ſupplicique voce ad cœleſtis gratiæ ſolium ſequamini, dicentes:

¶ *Summaria Confeſſio ab univerſâ congregatione, Miniſtro præeunte, dicenda, ſingulis in genua provolutis.*

OMnipotens & clementiſſime Pater, tanquam oves perditæ, à tuis viis palantes aberravimus: conſiliis concupiſcentiiſque animorum noſtrorum nimiùm ſumus obſecuti: ſacroſanctas leges tuas violavimus: quæ à nobis præſtanda fuerant omiſſis; admiſsiſque iis, quæ non præſtanda: & in nobis nihil eſt ſanum. Tu autem, Domine, propitiare nobis miſeris peccatoribus; parce, Deus, peccata ſua

 con-

confitentibus: ad frugem redeuntes in integrum reſtitue; pro tuis promiſſionibus humano generi in Chriſto Jeſu Domino noſtro patefactis. Amplius etiam propter ipſum concede, ô Pater clementiſſime, ut dehinc piè, juſtè, & frugaliter vitam inſtituamus, in ſancti tui nominis gloriam. *Amen.*

¶ *Formula abſolvendi, ſeu peccata remittendi, à Preſbytero tantùm, eoque ſtante, plebe autem genua flectente, pronuncianda.*

OMnipotens Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui impium mori non placet, ſed recedere eum à viâ ſuâ, & vivere; quíque Miniſtris ſuis unà cum mandato poteſtatem dedit declarandi, & annunciandi populo ſuo, ſi ad frugem redeat, tum veniam, tum gratiam peccatorum: ipſe adeò ſingulis, qui ita ex animo redeant, ſacroſancto ejus Evangelio ſincerè credentes, remittit, eóſque abſolvit. Rogemus itaque, ut verè nos vitam corrigere præſtet, Sanctóque Spiritu nos impertiat; ut quæ impræſentiarum agimus, ea adversùs Ipſum grata ſint; & reliqua dehinc vita adeò pura & ſancta agatur in hoc ſeculo, ut in futuro in æternam ejus voluptatem ingrediamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Deinde Miniſter genibus flexis ſupplicationem Dominicam recitabit, univerſo cœtu etiam genua flectente, eámque cum ipſo repetente.*

PAter noſter, qui es in cœlis, ſánctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terrâ. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodié: Et remitte nobis debita noſtra, ut et nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere: quoniam tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſempiternum. *Amen.*

¶ *Deinde etiam ad hunc modum dicet,*

Domine, noſtra labia aperi;

RESPONSIO.

Et os noſtrum laudem tuam prædicabit.

PRESBYTER.

Domine, ad ſuccurrendum nobis feſtina;

RESPONSIO.

Deus, nobis ſuppetias veni.

¶ *Hic*

¶ *Hic ſtantibus omnibus Preſbyter dicet,*

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

RESPONSIO.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

PRESBYTER.

Collaudate Dominum;

RESPONSIO.

Nomen Domini collaudetur.

¶ *Deinde recitabuntur aut cantabuntur Pſalmi juxta præſtitutum ordinem: Tum Lectio ex vetere Teſtamento, prout conſtitutum eſt. Poſteà verò* Magnificat *ſeu Canticum Beatæ Virginis, linguâ vernaculâ, prout ſequitur.*

D. Luc. i. 46.

MAgnificat animus meus Dominum, exultátque mea mens de Deo ſervatore meo:

Qui ſpectaverit humilitatem ancillæ ſuæ, unde me in poſterum beatam prædicatura ſunt omnia ſecula;

Quoniam mihi magna fecit præpotens ille, cujus & nomen ſanctum eſt,

Et clementia perennis erga reverentes eum:

Qui fortia patrat ſuo brachio, profligat eos qui animi faſtu inſoleſcunt.

Deturbat potentes de ſoliis, & humiles extollit.

Eſurientes bonis explet, & divites inanes dimittit.

Subvenit Iſraëlitis ſuis clementiæ memor;

Quemadmodum majoribus promiſerat noſtris, Abrahamo, & ejus futuræ poſteritati.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula, *Amen.*

¶ *Aut hic Pſalmus, præterquàm die menſis decimo nono, quo cum cæteris Pſalmis pro conſueto more recitatur.*

Pſal. 98.

CAntate Dominum novo carmine, quippe qui mira fecit.

Suâ ſibi dextrâ, ſuo ſacro brachio victoriam peperit.

Oſtendit Dominus ſuam victoriam, in oculis gentium ſuam patefecit juſtitiam:

Memor ſuæ erga domum Iſraëliticam manſuëtudinis, atque fidei; ſpectantibus Dei noſtri victoriam omnibus terrarum finibus.

Reſonate Dominum totus orbis: prorumpite, ovate & cantate.

Cantate Dominum citharâ, citharâ & canorâ voce.

Buccinis & tubæ ſonitu perſonate ante regem Dominum.

Reboët & mare, & quod eo continetur: orbis, & ejus habitatores.

Ipſi manibus plaudant amnes, ſimulque montes ovent in adventum Domini, qui venit judicatum terras:

Orbem juſtè, & populos judicabit ex æquo.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Deinde Lectio ex Novo Teſtamento deſumpta, prout conſtitutum eſt. Poſtea verò* Nunc Dimittis, *ſeu Canticum Simeonis, linguâ vernaculâ, prout ſequitur.*

D. Luc. ii. 29.

NUnc dimittis tuum me, Domine, ſecundùm promiſſionem tuam placidé:

Quandoquidem vidi meis oculis ſalutem tuam,

Quam omnibus expoſitam populis parâſti;

Lumen gentibus patefaciendum, & tuorum Iſraëlitarum gloriam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Aut verò hic Pſalmus, præterquàm die menſis duodecimo.*

Pſal. 67.

DEus, miſerere noſtri & nobis fave; tuóque nos illuſtrando vultu, noſtri miſerere. Sela.

Ut in terris tua ratio, ut apud omnes gentes tua cognoſcatur tutela.

Te populi, Deus, celebrent: te populi celebrent univerſi.

Gaudeant ovéntque nationes; Tu enim populos æquo reges, & nationes moderabere per terras. Sela.

Te populi, Deus, celebrent: te populi celebrent univerſi.

Edet ſuum tum terra proventum: & Deus nobis, Deus favebit noſter.

Favebit nobis Deus, eúmque omnes terrarum tractus reverebuntur.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Deinde* Symbolum Apoſtolorum *à Miniſtro & cætu univerſo ſtantibus cantabitur aut recitabitur.*

CRedo in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Mariâ Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus; deſcendit ad inferos, tertio die reſurrexit à mortuis; aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remiſſionem Peccatorum, Carnis Reſurrectionem, & Vitam Æternam. *Amen.*

¶ *Deinde ſequentes preculæ, ſingulis religioſè genua flectentibus, Miniſtro altâ voce præeute,*

Dominus vobiſcum:

RESPONSIO.

Et cum Spiritu tuo.

MINISTER.

OREMUS.

Miſerere noſtri, Domine.
Miſerere noſtri, Chriſte.
Miſerere noſtri, Domine.

¶ *Deinde Miniſter, Clerici, ut & univerſus cætus altâ voce ſupplicationem Dominicam recitabunt.*

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terrâ. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodié: Et remitte nobis debita noſtra, & ut nos remittimus debitoribus noſtris. Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

¶ *Deinde ſtans Preſbyter, dicet,*

Exhibe nobis tuam, Domine, clementiam;

RESPONSIO.

Tuámque nobis defenſionem præſta.

PRESBITER.

Defende Regem, Domine;

RESPONSIO.

Et, pro tuâ clementiâ, noſtram invocantium vocem exaudi.

PRESBYTER.

Tui ſacerdotes juſtitiâ veſtiantur;

 RESPONSIO.

RESPONSIO.

Tuíque pii ovent.

PRESBYTER.

Serva tuos, Domine;

RESPONSIO.

Tuæque hereditati fave.

PRESBYTER.

Pacem præbe nobis noſtrî ævo, Domine;

RESPONSIO.

Quia tu, Domine, ſolus pro nobis pugnas, & prætereà nemo.

PRESBYTER.

Cor mundum crea nobis, Deus;

RESPONSIO.

Néque Spiritum tuum Sanctum nobis auferas.

¶ *Tum ſequentur tres Collectæ, Prima Diei, Secunda pro Pace impetrandâ, Tertia pro Auxilio adversùs omnia pericula, prout habetur in ſequentibus: quæ quidem duæ poſteriores Collectæ quotidiè recitabuntur in Veſpertinis Precibus abſque ullâ variatione.*

¶ *Collecta ſecunda in Veſpertinis Precibus.*

DEus, à quo omnia ſancta deſideria, omnia recta conſilia, omniáque juſta opera dimanant; da tuis pacem, quam mundus dare nequit; ut, tum animis ad tua præcepta attentis, tum etiam ſublato hoſtium terrore, facilis & tranquillus noſtri temporis decurſus ſit, ob merita Jeſu Chriſti Servatoris noſtri. *Amen.*

¶ *Collecta tertia pro auxilio adversùs omnia pericula.*

QUæſumus, Domine, diſcutias tuo lumine tenebras noſtras; &, pro ſingulari tuâ clementiâ, contra omnia hujuſce noctis pericula & diſcrimina nos protege, ob amorem Filii Tui unici Jeſu Chriſti Servatoris noſtri. *Amen.*

¶ *In Choris & Locis ubi pſallitur hìc ſequitur Antiphona.*

Supplicatio pro Regiâ Majeſtate.

O Domine pater noſter cœleſtis, qui maximus potentiſſimuſque es Rex regum, & Dominus dominantium, principum omnium ſolus & unicus moderator, quîque de ſacrâ ſede tuâ omnes orbis incolas intueris; ex animo te ſuppliciter quæſumus, clementiſſimum Principem & ſupremum Dominum noſtrum Regem GEORGIUM

benigno

benigno vultu reſpicias; & ita eum repleas Sancti tui Spiritûs gratiâ, ut ſemper ad tui voluntatem ſe conformet, & in tuis viis gradiatur: accumules ei dona cœleſtia, permittáſque vitâ longævâ & proſperâ uti, eíque adeò opituleris, ut hoſtes ſuos omnes fundátque & ſuperet; &, exacto demum hujus vitæ ſtadio, voluptate æternâ & gaudio perfruatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Supplicatio pro ſtirpe Regiâ.

OMnipotens Deus, omnis boni fons, magnâ cum animi demiſſione quæſumus Celſitudinibus regiis *Frederico Walliarum* Principi, Principiſſæ *Walliarum*, Duci, Principiſſis, *Walliarum* Principum ſoboli, & univerſæ ſtirpi regiæ favere digneris; Sancto tuo Spiritu eos imperti, cœleſtique tuâ gratiâ locupleta; iiſque fauſta omnia & proſpera largitus in cœleſte tuum regnum admittas, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Supplicatio pro Clero & Populo.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui ſolus es miraculorum effector, Spiritu ſalutari gratiæ tuæ afflato Epiſcopos Curatóſque noſtros, & quotquot greges eorum fidei committuntur; & quò tibi reverà placeant, eos perpetuo favoris tui rore irrigato. His annue, Domine, in honorem Advocati & Mediatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

Supplicatio Divi Chryſoſtomi.

OMnipotens Deus, qui nobis gratiam impertitus es, per quam uno ore unóque animo publicas haſce ſupplicationes apud Te effundimus: quique polliceris, ubi ſunt duo tréſve tuo nomine congregati, Te eorum poſtulata exauditurum: famulos tuos, Domine, votorum & petitionum redde compotes, prout tibi maximè illis expedire videbitur; conceſsâ nobis in hoc ſeculo veritatis tuæ cognitione, & vitâ æternâ in futuro. *Amen.*

2 Cor. xiii. 14.

DOmini Jeſu Chriſti gratia, & Dei amor, & Sancti Spiritûs communio nobis adſit omnibus, in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Hic deſinit ordo Veſpertinarum Precum per totum annum.*

¶ *Hiſce*

QUICUNQUE VULT.

¶ *Hiſce Feſtis Diebus, ſcilicet* Natalis Chriſti, Epiphaniæ, *Divi* Matthiæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, *Divi* Johannis Baptiſtæ, *Divi* Jacobi, *Divi* Bartholomæi, *Divi* Matthæi, *Divorum* Simonis *&* Judæ, *Divi* Andreæ, *ut & in Feſto Trinitatis, in Matutinis Precibus, loco Symboli Apoſtolorum, hæc Chriſtianæ noſtræ Fidei Confeſſio, Divi* Athanaſii *Symbolum vulgò dicta, cantabitur aut recitabitur à Miniſtro ac univerſo cætu ſtantibus.*

QUicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam Fidem;

Quam niſi quiſque integram inviolatámque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur:

Neque confundentes Perſonas, neque Subſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti.

Sed Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti una eſt divinitas, æqualis Gloria, coæterna Majeſtas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, Increatus Filius, Increatus Spiritus Sanctus.

Immenſus Pater, Immenſus Filius, Immenſus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, Æternus Filius, Æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Æterni, ſed unus Æternus.

Sicut non tres Increati, nec tres Immenſi; ſed unus Increatus, & unus Immenſus.

Similiter Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Omnipotentes, ſed unus Omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii, ſed unus eſt Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus.

Quia ſicut ſigillatim unamquamque Perſonam, Deum ac Dominum confiteri Chriſtianâ veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere Catholicâ Religione prohibemur.

Pater

Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, non creatus, nec genitus, ſed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hâc Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus; ſed totæ tres Perſonæ co-æternæ ſibi ſunt & co-æquales.

Ita ut per omnia, ſicut jam ſuprà dictum eſt, & Unitas in Trinitate, & Trinitas in Unitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus & Homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantiâ Patris ante ſecula genitus, & Homo eſt ex ſubſtantiâ matris in ſeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus Homo, ex animâ rationali & humanâ carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundum Humanitatem.

Qui, licet Deus ſit & Homo; non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem, non converſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumptione Humanitatis in Deum.

Unus omnino; non confuſione Subſtantiæ, ſed unitate Perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt Homo, ita Deus & Homo unus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtrâ, deſcendit ad inferos, tertâ die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines reſurgere debent cum corporibus ſuis, & redditurì ſunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmitérque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

Gloria

Gloria Patri, &c.
Sicut erat in principio, &c.

¶ *Hîc ſequitur Litania ſeu Supplicatio ſummaria, finitis Precibus Matutinis, cantanda aut recitanda diebus Dominicis, feriâ quartâ & ſextâ, & quotieſcunque viſum eſt Ordinario.*

PAter de Cœlis Deus, miſericordiam exhibe nobis miſeris peccatoribus.

Pater de Cœlis Deus, miſericordiam exhibe nobis miſeris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus, miſericordiam exhibe nobis miſeris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus, miſericordiam exhibe nobis miſeris peccatoribus.

Spiritus Sancte Deus, à Patre & Filio proficiſcens, miſericordiam exhibe nobis miſeris peccatoribus.

Spiritus Sancte Deus, à Patre & Filio proficiſcens, miſericordiam exhibe nobis miſeris peccatoribus.

Sancta, beata & glorioſa Trinitas, tres Perſonæ, unus Deus, miſericordiam exhibe nobis miſeris peccatoribus.

Sancta, beata & glorioſa Trinitas, tres Perſonæ, unus Deus, miſericordiam exhibe nobis miſeris peccatoribus.

Noli, Domine, meminiſſe iniquitatum noſtrarum vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris: parce, Domine, parce populo tuo, quem redemiſti pretioſiſſimo ſanguine tuo, & ne in perpetuum iraſcaris nobis.

Parce nobis, Domine.

Ab omni malo & infortunio, à peccato, ab inſidiis & aggreſſionibus Diaboli ab irâ tuâ & æternâ damnatione,

Libera nos, Domine.

Ab omni cæcitate cordis, à ſuperbiâ, vanâ gloriâ & hypocriſi; ab invidiâ, odio & malitiâ, & ab omni affectu charitate vacuo.

Libera nos, Domine.

A fornicatione & alio omni peccato mortali, & ab omnibus fallaciis carnis, mundi, & diaboli,

Libera nos, Domine.

A fulgure & tempeſtate, à plagâ, peſtilentiâ & fame, à bello & cæde, à ſubitaneâ & improvisâ morte,

Libera nos, Domine.

Ab omni ſeditione, occultâ conſpiratione & rebellione, ab omni falſo dogmate, hæreſi & ſchiſmate; à duritiâ cordis, & contemptu verbi & mandati tui,

Libera nos, Domine.

Per

Per myſterium ſanctæ Incarnationis tuæ; per ſanctam Nativitatem & Circumciſionem tuam; per Baptiſmum, Jejunium & Tentationem tuam,

Libera nos, Domine.

Per Agoniam & ſanguineum Sudorem; per Crucem & Paſſionem; per pretioſam Mortem & Sepulturam; per glorioſam Reſurrectionem & Aſcenſionem tuam in cœlos & per Adventum Spiritûs Sancti,

Libera nos, Domine.

In omni tempore tribulationis, omni tempore proſperitatis noſtræ, horâ mortis, & in die judicii,

Libera nos, Domine.

Te rogamus, ô Deus, nos peccatores exaudias, & Eccleſiam Tuam ſanctam Catholicam in viis tuis regere & gubernare digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut famulum tuum GEORGIUM Regem & Gubernatorem noſtrum clementiſſimum, in vero Tui cultu, in juſtitiâ, & ſanctitate vitæ cuſtodire & confirmare digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut cor illius in Tuâ fide, in Tuo timore & amore dirigere digneris; & ut Tibi ſemper confidat, & in omnibus quærat honorem & gloriam tuam;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut eum ſervare & defendere, & ei victoriam contra omnes hoſtes ſuos concedere digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut Celſitudinibus regiis *Frederico Walliarum* Principi & Principiſſæ *Walliarum*, Duci, Principiſſis, *Walliarum* Principum Soboli, & univerſæ ſtirpi regiæ benedicere, eoſque ſervare digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos, verâ cognitione & recto intellectu verbi Tui illuminare digneris; & ut tam doctrinâ, quam moribus, illud pro viribus patefaciant ac promoveant;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut conſiliarios Regios & cunctam Nobilitatem regni, gratiâ, ſapientiâ & intellectu donare digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut Magiſtratui noſtro favere, eum protegere, eíque gratiam concedere digneris, ut juſtitiam rectè adminiſtret, & veritatem propugnet;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut

Ut populo Tuo univerſo benedicere, eúmque ſervare digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut omnibus gentibus unitatem, pacem & concordiam donare digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut in nobis cor Tui amore inflammatum & timore plenum, & ad diligentem mandatorum tuorum obſervationem inclinatum creare digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut univerſo populo Tuo incrementum gratiæ, quò verbum Tuum humiliter audiat, & puro corde amplectatur, & fructus Spiritûs proferat, donare digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut errantes & ſeductos in viam veritatis revocare digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut ſtantes confirmare, imbecillos conſolari & ſuſtentare, & lapſos erigere, ac Satanam ſub pedibus noſtris tandem conculcare digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut omnes quotquot in periculis, neceſſitatibus & anguſtiis verſantur, defendere, juvare, & conſolari digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut omnes terrâ maríque peregrinantes; omnes parturientes, ægrotantes, & infantes ſervare, & captivorum carceréque detentorum miſereri digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut orphanis omnibus & viduis, deſolatis & oppreſſis proſpicere digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut omnium hominum miſereri digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut inimicis noſtris, iiſque qui nos perſequuntur & calumniantur, ignoſcere, & eorum corda convertere digneris;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut terræ fructus tempeſtivos in uſum noſtrum dare & conſervare digneris; adeò ut ſuo tempore iis fruamur;

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Ut veram reſipiſcentiam nobis largiri; omnia peccata noſtra, negligentias & ignorantias nobis condonare, & gratiâ Sancti Spiritûs Tui nos induere digneris, quo

mores

mores noſtros ad ſancti verbi Tui normam emendemus:

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

Fili Dei, quæſumus Te, exaudi nos.

Fili Dei, quæſumus Te, exaudi nos.

Agnus Dei, qui mundi peccata tollis,

Tuâ Pace nos dona.

Agnus Dei, qui mundi peccata tollis,

Miſerere noſtri.

Exaudi nos, Chriſte.

Exaudi nos, Chriſte.

Miſerere noſtri, Domine.

Miſerere noſtri, Domine.

Miſerere noſtri, Chriſte.

Miſerere noſtri, Chriſte.

Miſerere noſtri, Domine.

Miſerere noſtri, Domine.

¶ *Deinde Miniſter, ut & univerſus cœtus, ſupplicationem Dominicam recitabunt.*

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terrâ. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodié: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

PRESBYTER.

Ne nos, Domine, pro noſtris peccatis tracta:

RESPONSIO.

Neque nos, quo digna ſunt noſtra vitia, remunerare.

OREMUS.

DEus Pater clemens, qui cordis contriti gemitum afflictæque mentis affectum non deſpicis, propitius adeſto precibus noſtris, quas, quotieſcunque vel anguſtiis vel rebus adverſis premimur, apud Te fundimus: & pro clementiâ Tuâ nos exaudi, ut quæ mala tum diabolus, tum homo, ſuis artibus & inſidiis in nos machinantur, redigantur ad nihilum, & ſingulari Tuâ providentiâ evaneſcant; ut nos Tui, neutiquam infeſtati, in ſanctâ Eccleſiâ Tuâ tibi gratias in perpetuum prorſus habeamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Exurge, Domine; ſuccurre nobis, & libera nos propter nomen Tuum.

DEus, auditione & majorum noſtrorum narratione accepimus, qualia Tu opera olim eorum temporibus & diebus antiquis patraviſti:

Exurge, Domine, ſuccurre, nobis, nóſque libera, Tuæ gloriæ cauſâ.

Gloria Patri, & Filio, & Spíritui Sancto.

RESPONSIO.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen.*

Defende nôs à noſtris hoſtibus, Chriſte.

Reſpice clemens miſerias noſtras.

Animorum noſtrorum angores exorabilis aſpice.

Tui populi peccatis clemens ignoſce.

Benignus & clemens noſtras auſculta orationes.

Miſerere noſtri, Davidide.

Et nunc & ſemper nos invocantes exaudi, Chriſte.

Clemens exaudi nos, Chriſte, clemens exaudi nos, ô Domine Chriſte.

PRESBYTER.

Utere tuâ erga nos, Domine, clementiâ.

RESPONSIO.

Uti nos tibi confidimus.

OREMUS.

QUæſumus, Pater, noſtras infirmitates benigno vultu reſpicias, &, Nominis Tui gloriæ cauſâ, mala ea omnia, quæ juſtiſſimè ſumus promeriti, nobis avertas: & da, ut anguſtiis affecti omnem ſpem nobis & fiduciam in Tuâ clementiâ collocemus, & Te in perpetuum prorſus piè ſanctéque colamus, ad honorem & gloriam Tuam, per Mediatorem noſtrum & advocatum unicum, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Supplicatio D. Chryſoſtomi.*

OMnipotens Deus, qui nobis gratiam impertitus es, per quam uno ore unóque animo publicas haſce ſupplicationes apud Te effundimus: quíque polliceris, ubi ſunt duo tréſve tuo nomine congregati, Te eorum poſtulata exauditurum: tuos famulos, Domine, votorum & petitionum redde compotes, prout tibi maximè illis expedire videbitur; conceſsâ nobis in hoc ſeculo veritatis tuæ cognitione, & vitâ æternâ in futuro. *Amen.*

2 *Cor.* xiii. 14.

DOmini Jeſu Chriſti gratia, & Dei amor, & Sancti Spiritûs communio nobis adſit omnibus in perpetua ſecula. *Amen.*

Hic deſinit Litania.

¶ *Suppli-*

Supplicationes ac Gratiarum actiones pro variis quæ ſeſe offerunt occaſionibus, quæ recitabuntur ante duas dimiſſorias ſupplicationes Litaniæ, aut Matutinarum & Veſpertinarum Precum.

SUPPLICATIONES.

¶ *Pro Pluviâ.*

DEUS Pater cœleſtis, qui ex ore Filii Tui Jeſu Chriſti, ſingulis quærentibus regnum Tuum juſtitiámque ejus, quæcunque ad corpus ſuſtentandum conducunt, pollicitus es; demitte, quæſumus, premente nos hâc neceſſitate, pluviam & imbres adeò tempeſtivos, ut fructus terræ ad ſolamen noſtrum & Tui honorem percipiamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Pro Cœlo Sereno.*

OMnipotens Domine Deus, qui propter mortalium perditiſſimos mores univerſum mundum, octo hominibus ſolùm exceptis, olim ſubmerſiſti; & poſtea ſingulari tuâ miſericordiâ commotus, pollicitus es, te nunquam illum ad eundem modum ſubmerſurum: Supplices quæſumus, qui ob peccata noſtra pluvias & aquarum diluvium commeriti ſumus, digneris tamen nobis verè à peccatis deſciſcentibus talem cœli ſerenitatem dare, ut fructus terræ ſuo tempore percipiamus; tuóque hoc ſupplicio admoniti, tum ad vitam corrigendum, tum clementiam tuam laudibus efferendum, animos adjungamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tempore Caritatis & Famis.*

DEus Pater cœleſtis, cujus beneficio delabitur pluvia, terra manat ubertate, animantia fœtificant, & piſces replent aquas; benignè, quæſumus, nos reſpice, qui anguſtiis urgemur, & præſta, ut hæc penuriæ annonæque difficultas (quas ob peccata noſtra meritiſſimò jam patimur) pro benignitate tuâ & miſericordiâ, copiâ & vilitate commutentur, propter amorem Jeſu Chriſti Domini noſtri, cui tecum & Spiritui Sancto ſit omnimodus honor & gloria, & nunc & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Aut hæc.*

DEus Pater miſericors, qui ſub Elizæo vate, ex improviſo in Samariâ penuriam difficultatémque annonæ copiâ & vilitate commutâſti; nobis tuam clementiam exhibe, quæ nobis etiam (qui iiſdem anguſtiis propter peccata noſtra jam urgemur) itidem opportunè opituletur; Tuo divino favore terra ſuum proventum edat; da etiam ut nos perceptâ Tuâ ſingulari benignitate, eâ utamur in gloriam Tuam, egentium levamen, & ſolatium noſtrum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tempore Belli & Tumultuum.*

OMnipotens Deus, Rex regum, omniúmque rerum moderator, cui reſiſti non poteſt, cujus juſtitiæ congruum eſt nocentes punire, eorum verò, qui ſincerâ afficiuntur pœnitentiâ, miſereri; ſupplices, quæſumus, tuearis nos, manúque hoſtili nos eripias: Superbiam eorum cohibe, malevolos affectus compeſce, & cónſilia perime; ut Te nobis præſidio freti ex omnibus periculis ſecuri evadamus, Tuíque gloriam illuſtremus, qui ſolus es victoriæ arbiter, propter merita unici Filii Tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

¶ *Tempore graſſantis Peſtis ſive morbi.*

OMnipotens Deus, qui irâ commotus populum Tuum in ſolitudine, contra Moſen Aaronémque pervicaciter conjurantem peſte immiſsâ caſtigaveris, quíque etiam, Davide regnante, ſeptuaginta millia hominum graſſante peſte letho dederis; & tuæ tamen miſericordiæ memor cæteros ſervâſti; utere tuâ erga nos clementiâ, qui miſeri ſumus peccatores, morbis graviſſimis peſtéque jam laborantes; ut quemadmodum tunc temporis, expiatione à Te acceptâ, vaſtatori Angelo imperâſti ut manum ſuam cohiberet, ita nunc quoque hanc peſtem & gravem morbum à nobis avertere digneris, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *In feriis quatuor temporum, ſupplicatio in diem ſingulum recitanda pro iis qui ad ſacros Ordines admittendi ſunt.*

OMnipotens Deus, Pater cœleſtis, qui Filii tui pretioſo ſanguine tibi ipſi

Eccleſiam

Eccleſiam univerſalem comparâſti; benigno vultu eam aſpicere digneris, & jam animos famulorum tuorum Epiſcoporum & Paſtorum tui gregis ita dirige & guberna, ut nemini manus ſubitò imponant, ſed fideli prudentíque conſilio idoneos ad ſanctum Eccleſiæ miniſterium obeundum aſciſcant; omnéſque, qui ad ullo ſacro munere fungendum ordinati fuerint, gratiâ & cœleſti favore repleas, utì exemplo tum vitæ, tum doctrinæ, gloriam tuam prædicent, ſalutíque univerſorum proſpiciant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Aut hæc.*

OMnipotens Deus, à quo ſolo omnia oriuntur bona, qui Eccleſiæ tuæ benignè conſulens varios in eâ ordines inſtituiſti; gratiam, quæſumus, impertias omnibus, qui ad ullum munus aut miniſterium in eâ vocandi ſunt. Et faxis, ut tanta doctrinæ veritas morúmque probitas in ipſis eluceat, ut in conſpectu tuo fideliter ſuo munere fungantur, ad magni tui nominis gloriam, & tuæ Eccleſiæ commodum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Supplicatio pro Supremâ Senatûs curiâ Conventum agente dicenda.*

CLementiſſime Deus, ſupplici prece poſtulamus, ut univerſo huic regno, præcipuè autem ſupremæ Senatûs curiæ, ſub pientiſſimo clementiſſimóque Rege noſtro jam conventum agenti faveas; ut tuo ductu conſilia omnia eorum eventus proſperos ſortiantur, unde adaugeatur gloria tua, commodum percipiat Eccleſia, & ſalus, decus, felicitas Regi noſtro populíſque ei ſubditis oboriatur: Ut omnia ipſorum conatibus ita conſtituta, optimis firmiſſimíſque fundamentis ſuffulciantur, ut Pax & Felicitas, Veritas & Juſtitia, Religio & Pietas, per omnia ſecula in tuto apud nos collocentur. Hæc & quæcunque alia, illorum, noſtra & univerſæ Eccleſiæ tuæ neceſſitas poſtulat, ſummiſsè rogamus in nomine & per mediationem beatiſſimi Domini & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

¶ *Collecta ſeu ſupplicatio pro cujuſcunque ordinis hominibus iis temporibus uſurpanda, quibus Litania non recitatur juxta conſtitutum ordinem.*

DEus, qui univerſum humanum genus è nihilo condidiſti, & adhuc conſervare pergis, pro omnibus hominibus cujuſcunque ordinis aut conditionis, te ſupplices obteſtamur, ut apud eos tua ratio, apud omnes gentes tua cognoſcatur tutela: Prece autem magis importunâ ſtatum Eccleſiæ Catholicæ proſperum expetimus, ut bono tuo Spiritu ita ducente & dirigente, omnes Chriſti nomen præ ſe ferentes ſibique vindicantes in viam veritatis deducantur, fidemque in unitate Spiritûs, pacis vinculo vitæque juſtitiâ, tueri ſtudeant. Poſtremò autem paterno tuo favori omnes habemus commendatos, quos mala aut animi, aut corporis, aut rerum domeſticarum affligunt [**præcipuè autem eos, qui nos pro ſe ſupplicare expetunt*] ut eam conſolationem, & auxilium iis ferre velis, quæ variæ eorum neceſſitates poſtulant, & efficere item, ut æquo animo afflictiones ferant, felicitérque ex omnibus malis emergant. Quæ omnia rogamus gratiâ Jeſu Chriſti. *Amen.*

* *Hoc dicendum, quum aliquis Eccleſiæ precibus commendari poſtulat.*

¶ *Supplicatio, quæ poſt quamlibet præcedentium ſupplicationum recitari poſſit.*

DEus, cujus natura & proprium eſt miſericordiam veniámque peccatorum uſque exhibere, humiles noſtras ſupplicationes propitius exaudi; & licèt nos arcto nexu impeditos teneant peccatorum vincula, ſingularis tamen tua clementia nos expediat, in honorem Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

GRATIARUM ACTIONES.

¶ *Gratiarum Actio Generalis.*

OMnipotens Deus, clementiſſime Pater, nos indigni famuli tui ex animo tibi gratias habemus ſingulares, pro omnibus bonis de favore tuo in nos totúmque genus humanum collocatis [**præſertim in hos qui*

* *Hoc dicendum, quum aliqui*

quis Eccleſiæ precibus Deo pridem commendatus gratias referre cupit.

nuper tuis beneficiis affecti, tibi laudibus & gratiis agendis ſacrificare geſtiunt.] Gratâ commemoratione prædicamus creationem noſtrám, conſervationem, ōmniáque hujus vitæ bona; præ omnibus autem inæſtimabile illud amoris tui exemplum, redemptionem mundi per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; gratiæ media, & ſpem gloriæ. Et à Te ſupplices poſtulamus, nos adeò grato ſenſu beneficiorum tuorum affici, ut ſincerè ex animo gratias habeamus, laudéſque tuas non minùs factis quàm dictis celebremus, cultui tuo prorſus intenti, & ſanctè piéque per omnem ætatem noſtram in conſpectu tuo greſſus noſtros dirigentes, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; Cui, Tibi, & Spiritui Sancto ſit omnimodus honor & gloria in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Propter Pluviam terris immiſſam.*

DEus Pater cœleſtis, qui, benignè rebus naturæ providens, pluviâ tum primore, tum ſerotinâ terram irrigas, quò fructus in humanos uſus edat; Tibi ſummiſsè gratias agimus qui, dum ſumma nos neceſſitas urgeret, tandem pluviâ magnificè tuum conſperſiſti patrimonium, aridúmque recreâſti, ad magnum noſtrum, qui indigni ſumus qui tui famuli habeamur, ſolamen, ſanctique tui nominis gloriam, propter beneficia tua in Jeſu Chriſto Domino noſtro. *Amen.*

¶ *Propter Cœlum Serenum.*

DOmine Deus, qui nos meritò ad humilem animi ſtatum demiſsâ undante pluviâ aquíſque revocâſti; miſericordiâ tamen motus levamen ſolatiúmque animis noſtris tempeſtivâ hac commodâque cœli immutatione præſtitiſti: Laudes & gloriam tuo Nomini ob hoc beneficium tribuimus, & tuam clementiam in perpetua ſecula prædicabimus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Propter Annonæ copiam.*

CLementiſſime Pater, qui pro ſummâ tuâ clementiâ piis tuæ Eccleſiæ precibus aurem præbuiſti, & penuriam caritatémque annonæ vilitate copiâque commutâſti; inſigne hoc

tuum beneficium grato ſummiſsóque animo recolimus, petentes ut tuum hunc erga nos favorem perpetuum eſſe velis, quo terra ſuum proventum edat in Tui gloriam noſtrúmque ſolatium, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Propter Pacem & ab Hoſtibus liberationem.*

OMnipotens Deus, qui loco turris validæ famulos tuos adversùs ipſorum inimicos protegis; Te laudibus gratiarúmque actionibus celebramus, qui nos ab ingentibus iſtis impendentibúſque periculis, quibus undique premebamur, eripere dignatus ſis: Clementiæ tuæ acceptum ferimus, qui nos non paſſus ſis illis in prædam cedere, rogantes ut hæc beneficia perpetua nobis eſſe velis, ſciántque mortales omnes Te noſtrum eſſe ſervatorem potentémque vindicem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Propter reſtitutam domi Pacem Publicam.*

ÆTerne Deus, Pater noſter cœleſtis, qui ſolus efficis eandem domum in concordiâ eſſe, & tumultus rabidi effrænìſque populi compeſcis; ſanctum tuum nomen laudibus efferimus, qui tumultus ſeditionéſque inteſtinas nuperrimè concitatas comprimere dignatus ſis; tuæque gratiæ auxilium ſummâ cum animi demiſſione imploramus, quo deinceps per omnia tuis præceptis obediamus, & per totum vitæ noſtræ curriculum, & tranquillam quietámque vitam agentes cum omni pietate & gravitate, continenter laudibus & gratiis agendis tibi ſacrificemus, ob hæc in nos collata beneficia, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Propter liberationem à Peſte, aut alio quolibet morbo Epidemico.*

DOmine Deus, qui propter peccata vitiáque noſtra vulnera nobis inflixiſti, & nupero tuo gravi & terribili ſupplicio peremiſti nos; nunc verò in judicii medio clementiæ memor ex ipſis mortis faucibus animas noſtras vindicâſti; noſmetipſos, animas & corpora, quorum ſalutem paternæ tuæ benignitati acceptam referimus, tibi hoſtias viventes præſtamus, ſemper collaudantes gratâque mente omnia tua beneficia commemorantes

morantes in Eccleſiâ tuâ, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Aut hæc.*

PAter clementiſſime, eâ quâ par eſt animi demiſſione coram Te confitemur, crimina noſtra multiplicia & pervicaciam omnibus pœnis, quæ in lege tuâ peccatoribus intentantur, jure merito nos feciſſe obnoxios; cùm tamen ſummæ tuæ clementiæ viſum fuerit, nos imperfectâ licèt indignâque humiliatione pœnam deprecati ſimus gravem peſtilentiam, quâ nuper conflictati fuimus, levare, efficeréque ut ſalutis & gaudii cantu noſtræ domus iterum perſonarent; divinæ tuæ Majeſtati laudis gratiarúmque actionis ſacrificio facto, illuſtre tuum Nomen celebramus, qui ſaluti noſtræ proſpexiſti, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Collectæ, Epiſtolæ, ac Evangelia, per totum Annum uſurpanda.

¶ *Obſerva, quod Collecta pro quâlibet die Dominicâ, aut quolibet Feſto (quod Vigiliam habeat) aſſignata recitabitur in Veſpertinis Precibus proximè præcedentibus Dominicam aut Feſtum.*

Dominica Prima Adventûs,

Collecta.

OMnipotens Deus, quæſúmus, impertias nobis gratiam, per quam deponamus opera tenebrarum & arma lucis induamus, dum vitam hanc mortalem agimus (in quâ Filius tuus Jeſus Chriſtus, ſeſe adeò dejiciens, ut nos viſeret, advenit) ut in poſtremo die, quum iterum adveniet cum gloriâ Majeſtatis ſuæ vivos mortuóſque judicatum, ad vitam æternam reſurgamus, per eum, qui vivit & regnat tecum & cum Spiritu Sancto nunc & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Hæc Collecta in ſingulos dies repetenda eſt, unà cum reliquis Collectis Adventûs, uſque ad Vigiliam Nativitatis Chriſti.*

Epiſtola

Epiſtola Rom. xiii. 8.

NIhil cuiquam debete, niſi ut ametis vos inter vos. Nam qui alios amat, is lege perfunctus eſt. Etenim, Ne adulterato, Ne occidito, Ne furator, Ne falſum teſtator, Ne concupiſcito, & ſi quod aliud præceptum eſt, id in hoc dicto ſummatim comprehenditur; Alterum ut teipſum amato. Charitas alteri non malefacit. Itaque legis perfunctio charitas eſt: Præſertim cùm ſciamus, veniſſe tempus & horam quâ jam ſit nobis à ſomno expergiſcendum. Nunc enim propiùs nos eſt ſalus quàm tum cùm credidimus. Diſceſſit nox, dies adeſt. Quare deponamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Honeſtè nos, ut in die, geramus: Non comeſſationibus & ebrietatibus, non concubitibus & libidinibus, non jurgiis & æmulatione: Sed induite Dominum Jeſum Chriſtum: Néve carnis curam gerite, cupiditatibus indulgendo.

Evangelium D. Matth. xxi. 1.

POſtquam autem Hieroſolymis propinquarunt, & Bethphage ad Olivarum montem venerunt, miſit Jeſus duos diſcipulos, dicens eis: Ite in vicum qui contra vos eſt, & protinus invenietis aſinam ligatam, & pullum cum eâ: Solvitote, & mihi adducitote. Quòd ſi quis vobis aliquid dixerit, dicetis, Dominum eis egere, & ſtatim dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt, ut id accideret quod à vate dictum fuerat his verbis: Dicite, puellæ Sioni: Ecce rex tuus tibi venit manſuetus inſidens aſinæ, & aſello jumenti pullo. Igitur profecti diſcipuli fecerunt ſicut mandaverat eis Jeſus; aſinámque & pullum adduxerunt, & eis veſtimenta ſua impoſuerunt, & eum ſuper ea collocaverunt. Maxima autem hominum multitudo ſuis veſtimentis viam conſternere: Alii abſciſſos ex arboribus ramos per viam ſternere. Vulgus autem partim præcedens, partim ſubſequens, ſic acclamare: Hoſanna Davidide, bene ſit ei qui venit in nomine Domini. Hoſanna in ſupremis. Eo autem ingreſſo Hieroſolymam, commota eſt tota civitas, dicens: Quis eſt hic? Vulgus autem dicebat: Hic eſt Jeſus vates, à Nazaretha Galilææ. Et Jeſus in Dei templum ingreſſus, ejecit omnes

omnes in templo vendentes & ementes, & nummulariorum menſas ſelláſque vendentium columbas evertit. Scriptum eſt, inquit eis: Domus mea domus ſupplicationis vocabitur: At vos ex eâ feciſtis ſpeluncam latronum.

Dominica Secunda Adventûs.

COLLECTA.

DOmine beneficentiſſime, qui feciſti ut omnia ſcripta ſacra ad noſtram doctrinam ſcripta eſſent; concede, ut ea ita audiamus, legamus, obſervemus, diſcamus, & animis meditemur, ut per patientiam & ſacrarum literarum conſolationem amplectamur, & nunquam felicem ſpem æternæ vitæ dimittamus, nobis à Te exhibitam per Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

Epiſtola Rom xv. 4.

QUæcumque enim antè ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & literarum conſolationem ſpem habeamus. Faxit autem Deus, & patientiæ & conſolationis auctor, ut idem inter vos ſentiatis, ſicuti Chriſto Jeſu dignum eſt, ut uno animo unóque ore concelebretis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quocirca opitulamini mutuò, ut & Chriſtus nobis ad Dei glorium opitulatus eſt. Dico autem, Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter Dei veritatem, ad ea confirmanda quæ majoribus fuerant promiſſa: útque cæteræ gentes Deum ob ejus miſericordiam celebrarent, quemadmodum ſcriptum extat: Quare te celebrabo apud gentes, tuúmque nomen cantabo. Item: Lætamini, gentes, inquit, cum ejus populo. Item: Laudate Dominum, gentes omnes, eúmque collaudate, omnes populi. Itémque Eſaias: Erit Iſæa radix, exiſtétque qui gentibus imperet, in quo gentes ſpem habebunt. Cæterùm Deus ſpei omni vos lætitiâ atque pace compleat, fidentes, ut ſpe abundetis, vi Spiritûs Sancti.

Evangelium D. Luc. xxi. 25.

ET erunt ſigna in ſole & lunâ & ſideribus, & in terris tantus gentium angor trepidantium, mari undiſque

diſque reſonantibus, ut homines, eorum metu & expectatione quæ orbi immineant, exanimentur: Nam cœleſtes poteſtates concutientur. Ac tum aſpicietur Filius hominis veniens in nube, cum ingenti poteſtate atque gloriâ. His autem fieri incipientibus ſuſpicitote, & capita attollitote, quoniam veſtra inſtabit liberatio. Tum eis ſimilitudinem dixit: Cernite ficum & omnes arbores: Cùm jam frondeſcunt, id vos per voſipſos cernentes, cognoſcitis jam propè eſſe æſtatem. Similiter & vos, cùm hæc fieri videbitis, ſcitote propè eſſe divinum regnum. Hoc vobis confirmo, non prius eſſe præterituram ætatem hanc quàm fiant omnia: Etiamſi cœlum & terra pereant, mea dicta non peribunt.

Dominica Tertia Adventûs.

Collecta.

O Domine Jeſu Chriſte, qui primo tuo adventu tibi tuum præmiſiſti nuncium, qui tibi viam præpararet; præſta, quæſumus, ut Miniſtri tuorumque arcanorum diſpenſatores tibi itidem viam præparent rectamque faciant, contumacibus ad juſtorum prudentiam perductis, ut cùm iterum adveneris judicatum mundum, accepti ſimus in oculis tuis, qui vivis & regnas cum Patre & Spiritu Sancto ſemper unus Deus in perpetua ſecula. *Amen.*

Epiſtola 1 Cor. iv. 1.

SIC de nobis exiſtiment homines, ut de Chriſti miniſtris & divinorum arcanorum diſpenſatoribus. Cæterùm quod in diſpenſatoribus requiritur, ut fidelis quis comperiatur: Ego verò minimi facio de me vel à vobis vel omnino humano judicio, quin neque ipſe de me ſententiam fero. Quamvis enim nihil mihi conſciam, non tamen idcirco ſum abſolvendus. Verùm qui de me judicium facturus ſit, Dominus eſt. Quamobrem nè quid ante tempus judicate, donec veniat Dominus, qui & tenebrarum occulta proferat in lucem, & animorum conſilia patefaciat, ac tum demum laudem quiſque conſequatur à Deo.

Evangelium D. Matth. xi. 2.

JOhannes autem, quum audiviſſet in vinculis opera

pera Chriſti, miſit ſuorum diſcipulorum duos, qui ei ita dicerent: Túne is es qui venturus eſt? an alius nobis eſt expectandus? Quibus reſpondit Jeſus in hunc modum: Ite renunciatum Johanni quæ auditis & videtis. Cæci vident, & claudi ambulant: Leproſi purgantur, & ſurdi audiunt; mortui reſurgunt, & pauperes Evangelium docentur: & felix eſt qui in me non offenderit. Eis autem abeuntibus cœpit Jeſus hominum turbæ ſic de Johanne dicere: Ad quid ſpectandum egreſſi eſtis in ſolitudinem? arundinem vento agitatam? Veruntamen, ad quid videndum exiiſtis? hominem mollibus indutum veſtibus? At qui molles geſtant, ſunt in Regum domibus. Sed ad quem tandem videndum exiiſtis? vatem? etiam (inquam vobis) & pluſquam vatem. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ego tibi meum nuncium præmiſſurus ſum, qui tibi viam præparet.

Dominica quarta Adventûs.

COLLECTA.

EXcita, quæſumus, Domine, fortitudinem tuam, & præſtantiſſimis tuis viribus ſuppetias nobis veni, adeò ut quanquam peccata, vitiáque noſtra gravi ſint oneri & impedimento, quo minùs propoſitum nobis certamen decurramus, benigna tua gratia & miſericordia properatò nobis auxilium ferat, & nos liberet per ſatisfactionem Filii Tui Domini noſtri, Cui Tecum & Spiritui Sancto ſit honor & gloria in perpetua ſecula. *Amen.*

Epiſtola Philip. iv. 4.

GAudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete. Moderatio veſtra cunctis nota ſit hominibus. Dominus propè adeſt. Nihil eſte ſoliciti, ſed omni in re efficite precibus & ſupplicationibus cum gratiarum actione, ut veſtra poſtulata Deo declarentur: & divina pax omnem mentem exuperans, veſtros animos ac cogitationes in Chriſto Jeſu cuſtodiet.

Evangelium D. Johan. i. 19.

HOC eſt Johannis teſtimonium, tum cùm miſerunt Judæi Hieroſolymâ Sacerdotes & Levitas, qui ex eo quærerent, quis eſſet? Atque ille confeſſus

 eſt,

eſt, neque negavit: Confeſſus eſt ſe non eſſe Chriſtum. Quid ergo? inquiunt illi interrogantes: Elias es tu? Non ſum, inquit. Vates es tu? Non, inquit ille reſpondens. Et illi: Quis es? inquiunt ei, ut reſponſum demus eis qui nos miſerunt. Quid de teipſo dicis? Ego ſum, inquit, vox in ſolitudine clamantis, Corrigite Domini viam, quemadmodum dixit Eſaias vates. Tum qui erant miſſi (erant autem ex Phariſæis) ſic eum interrogârunt: Quid ergo baptizas, ſi tu neque Chriſtus es, nec Elias, nec vates? Ego aquâ baptizo, inquit eis reſpondens Johannes: Sed inter vos adeſt, quem vos non nôſtis: Is eſt, qui & poſt me venit, & ante me fuit, cujus ego non ſum dignus qui calcei corrigiam ſolvam. Hæc Bethabaræ facta ſunt, trans Jordanem, ubi baptizabat Johannes.

Nativitas Domini noſtri, ſeu Dies Natalis CHRISTI.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui Filium tuum unicum nobis dediſti, ut aſſumeret hominem, immaculatæque Virginis quaſi hoc ipſo tempore partus eſſet; concede ut nos denuò nati, ínque filiorum tuorum numerum adoptione & gratiâ relati, tuo Sancto Spiritu indiès renovemur, per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui Tecum & cum eodem Spiritu Sancto vivit & regnat unus Deus in omnem perpetuitatem. *Amen.*

Epiſtola Heb. i. 1.

MUltifariam & multiplicitèr olim Deus noſtros majores alloquutus per vates, poſtremis hiſce temporibus alloquutus eſt nos per Filium, quem omnium ſtatuit heredem, per quem etiam mundum fecit. Qui cùm ſit ejus gloriæ ſplendor & forma expreſſa ſubſtantiæ, ferátque cuncta ſuo potenti ſermone, factâ per ſemetipſum expiatione peccatorum noſtrorum, conſedit ad dexteram majeſtatis, in ſublimi, tantò angelis factus præſtantior, quantò excellentius quàm illi nomen obtinuit. Cui enim dixit unquam angelorum? Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rurſum: Ego ei Pater, & ipſe mihi Filius erit.

erit. Item cùm in orbem inducit Primogenitum, dicit: Eúmque adorent omnes divini angeli. Et de angelis quidem ſic dicit: Qui angelis utitur ſpiritibus, & miniſtris igneâ flammâ. Sed de Filio: Solium tuum, ô Dive, in omnem permanet æternitatem: Sceptrum æquitatis, ſceptrum regni tui eſt. Juſtitiam amas, peroſus improbitatem: Propterea Deus, tuus Deus, oleo te lætifico potiùs inunxit, quàm tuos ſocios. Et: Tu principio, Domine, terram fundâſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Et illi quidem peribunt, te permanente, omnéſque tanquam indumentum inveteraſcent: &, Te tanquam amictum eos involvente, abſoleſcent. At tu is es, qui annorum ſis infinitorum.

Evangelium D. Johan. i. 1.

IN Principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum; & Deus erat is ſermo: Is erat in principio apud Deum. Omnia per eum facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil, quod factum ſit. In eo vita erat, & vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, nec eam comprehenderunt tenebræ. Fuit homo miſſus à Deo, nomine Johannes. Is venit ob teſtimonium, ut de luce teſtaretur, ut omnes per eum crederent. Non erat ille ipſa lux, ſed qui de luce teſtaretur. Erat ipſa vera lux, quæ colluſtrat omnem hominem venientem in mundum. In mundo erat, & mundus per eum factus fuit, & mundus eum non cognovit. In ſua venit, & ſui eum non acceperunt. Quicunque autem eum acceperunt, iis eam poteſtatem dedit, ut Dei filii fierent, fidem habentibus ejus nomini: Qui non ex ſanguine, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo geniti ſunt. Et ſermo caro factus eſt, & apud nos gratiæ, veritatiſque plenus habitavit: Ejuſdem ſplendorem, ut unigenæ à patre ſplendorem aſpeximus.

Dies Divi Sephani.

COLLECTA.

EFfice, Domine, ut inter omnia ea, quæ hìc in terris patienda ſunt propter tuæ veritatis teſtimonium, intentis in cœlum oculis contueamur, & gloriam

am quâ ſumus afficiendi per fidem conſpicemur, Sanctóque Spiritu pleni bene precemur inſectantibus nos, ad exemplum Protomartyris tui Divi Stephani; qui necis auctores precibus Tibi commendavit, ô Jeſu beatiſſime, qui Deo ad dexteram adſtas, quò omnibus opem feras, qui pro Te unico noſtro Mediatore & Advocato infeſtati ſunt. *Amen.*

¶ *Tum ſequetur Collecta Nativitatis, quæ nunquam intermittetur uſque ad Vigiliam Circumciſionis.*

Pro Epiſtola Act. vii. 55.

STephanus autem Sancto Spiritu plenus in cœlum intuitus, & Dei ſplendorem, Jeſúmque Deo ad dexteram aſtantem conſpicatus, dixit: En video cœlos apertos, & Filium hominis Deo aſtantem ad dexteram. At illi, ſublato ingenti clamore, aures ſuas obturare, & univerſi facto in eum impetu, ejectum ex urbe lapidare. Et teſtes, depoſitis ad pedes adoleſcentis, nomine Sauli, veſtimentis, Stephanum lapidare, invocantem & dicentem: Domine Jeſu, accipe ſpiritum meum. Deinde poſitis genibus, ingenti voce exclamavit: Domine, noli in eos hoc vindicare peccatum. Hoc locutus, obdormivit.

Evangelium D. Mat. xxiii. 34.

ITaque ego ad vos miſſurus ſum vates, & ſapientes, & literatos, quos partim interficietis, ac in crucem tolletis, partim verberabitis in veſtris collegiis, ac ex alia in aliam urbem perſequemini, ut ſuper vos veniat omnis innocens ſanguis in terris effuſus, ab Abelis juſti ſanguine, uſque ad Zachariæ ſanguinem, Barachiæ filii, quem vos inter ædem & aram necâſtis. Itaque certo ſcitote horum omnium pœnas daturum eſſe nationem hanc. Hieroſolyma, Hieroſolyma, quæ vates occidis, & ad te miſſos lapidas, quotiès volui congregare tuos natos, ſicut gallina ſuos pullos ſub alas congregat, & noluiſtis? Scitote veſtram domum vobis deſertam relictum iri. Sic enim habetote, vos non eſſe me viſuros deinceps, donec dicatis, Bene ſit venienti in nomine Domini.

Dies

Dies D. Johannis Evangeliſtæ.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine miſericors, claris tui luminis radiis Eccleſiam tuam illuſtra, ut doctrinâ beati Apoſtoli tui & Evangeliſtæ Divi Johannis illuminata, in veritatis lumine ita verſetur, ut tandem vitæ æternæ lumen habeat per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 *D.* Johan. i. 1.

QUOD fuit à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod & ſpectavimus, & noſtris ipſi manibus tetigimus, de ſermone vitæ; (quæ vita patefacta eſt, quam vidimus, & teſtamur, & vobis vitam nunciamus æternam, quæ apud Patrem erat, & nobis perlata eſt.) Quod & vidimus & audivimus, id vobis annunciamus, ut & vos nobiſcum communitatem habeatis. Eſt autem nobis communitas cum Patre, cúmque ejus Filio Jeſu Chriſto. Atque hæc vobis ſcribimus, ut plenâ afficiamini lætitiâ. Eſt autem hoc nuncium, quod & ab illo audivimus, & vobis nunciamus, Deum eſſe lumen, nec ullas in eo tenebras eſſe. Si nobis cum Deo communionem eſſe dicimus, & tamen in tenebris degimus, mentimur, nec verum facimus. Si in luce verſamur, ut ipſe in luce eſt, nobis eſt inter nos communitas: Nóſque Jeſu Chriſti ſanguis, ejus Filii, expurgat ab omni peccato. Si nos peccati expertes eſſe dicimus, fallimus nos ipſos, nec eſt in nobis veritas. Si confitemur peccata noſtra, ille ita fidelis & juſtus eſt, ut nobis peccatorum veniam det, nóſque ab omni culpa expiet. Si nos peccâſſe negamus, mendacem facimus eum, nec eſt in nobis ejus ſermo.

Evangelium D. Joh. xxi. 19.

JEſus Petro dixit, ſequere me: & Petrus converſus aſpicit ſequentem diſcipulum, quem amabat Jeſus, eum, qui in cœna ejus pectori incumbens dixerat: Domine, quis eſt qui Te eſt proditurus? Hunc intuitus Petrus, dicet Jeſu: Domine, hic verò quid? Cui Jeſus, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?

Tu ſequere me. Itaquè diſſipatus eſt hic ſermo inter fratres, diſcipulum illum non eſſe moriturum; tametſi non dixerat illi Jeſus non eſſe moriturum; ſed, ſi eum volo manere donèc veniam, quid ad te? Hic eſt ille diſcipulus, qui hæc teſtatur, & hæc ſcripſit, cujus nos teſtimonium verum eſſe ſcimus. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſingula ſcribantur, nè ipſum quidem mundum ſcribendos hac de re libros capere poſſe arbitror.

Dies Innocentium.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui per Infantium & lactentium os potentiam fudiſti, gloriamque Tibi ex morte Infantium comparâſti, omnia in nobis vitia morti dede & perime, & nos per tuam gratiam adeò corrobora, ut vitarum noſtrarum innocentiâ, conſtantíque ipſam ad mortem fide, Tui nominis gloriam illuſtremus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Apocal. xiv. 1.

DEinde animadverti Agnum ſtantem in Sione monte, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, Patris ejus nomen in ſuis frontibus ſcriptum habentes: Audivíque de cœlo ſonitum, qualis multarum aquarum, ingentiſque tonitrui ſonitus eſt: Itémque vocem audivi citharœdorum, citharis ſuis canentium, qui veluti novum carmen canebant ante ſolium, & ante quatuor animalia ac ſenatores: quod carmen nullus diſcere poterat, niſi illi centum quadraginta quatuor millia, redempti à terra. Hi ſunt qui cum fœminis non ſunt polluti: Sunt enim virgines. Hi ſunt qui Agnum, quocunquè vadat, ſequuntur. Hi ex hominibus redempti ſunt, primitiæ Deo & Agno; quorum in ore nulla reperta fraus eſt: Sunt enim inculpati coram Dei ſolio.

*Evangelium D.*Matth. ii. 13.

DOmini angelus Joſepho in ſomnis apparet. Surge, inquit, & aſſumpto puero, ejúſque matre, fuge in Ægyptum, & illic eſto donec ego te moneam. Quæſiturus eſt enim puerum Herodes ad necem. Igitur ille ſurgit, & unà cum puero, ejúſque matre noctu conceſſit in Ægyptum, ibíque

que fuit uſque ad Herodis obitum: Ut confieret quod fuerat à Domino dictum per vatem ità dicentem: Ex Ægypto evocavi Filium meum. Tunc Herodes, videns ſe à Magis illuſum eſſe, adeò iratus eſt, ut miſerit interfectum pueros, quotquot Bethlehemæ & toto ejus territorio erant, à bimatu, & infra, pro tempore quod à Magis perquiſierat. Tunc accidit id, quod à Jeremia vate ità dictum fuerat: Auditur apud Ramam vox, lamentatio, comploratióque, & multus queſtus. Rachel luget ſuos natos deplorans inſolabilitèr, quia perierunt.

Dominica proxima à Nativitate.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui Filium Tuum unicum nobis dediſti, ut aſſumeret hominem, immaculatæque Virginis, quaſi hoc ipſo tempore, partus eſſet; annue, ut nos denuo nati, inque filiorum tuorum numerum adoptione & gratiâ aſciti, tuo Sancto Spiritu indiès renovemur, per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui Tecum & cum eodem Spiritu Sancto vivit & regnat unus Deus in omnem perpetuitatem. *Amen.*

Epiſtola Gal. iv. 1.

SIC autem dico: Quandiu heres puer eſt, nihil differt à ſervo, & tamen eſt omnium Dominus; ſed ſub tutoribus & diſpenſatoribus eſt, uſquè ad præfinitum à patre tempus. Similiter & nos, cùm pueri eſſemus, ſub mundanis rudimentis eramus emancipati. Sed poſtquàm plenum tempus advenit, miſit Deus Filium ſuum, ex muliere natum, qui ſub lege fuit, ut legi ſubditos redimeret, quò adoptionem filiorum adipiſceremur. Et quoniam filii eſtis, miſit Deus Filii ſui Spiritum in veſtros animos, qui clamet, Abba, Pater. Itaquè non jam ſervus es, ſed filius: Quòd ſi filius, etiam heres Dei per Chriſtum.

Evangelium D. Matth. i. 18.

JESU Chriſti autem nativitas ſic ſe habet: Cùm eſſet deſponſa mater ejus Maria Joſepho (priuſquàm conveniſſent) comperta eſt uterum ferre ex Spiritu Sancto. Joſephus verò vir ejus qui juſtus eſſet, nec in eam vellet exemplum edere, ſtatuit eam clàm repudiare. Hæc cùm haberet in animo, ecce Domini angelus in ſomnis

nis apparuit ei, & ita locutus eſt: Joſephe Davide prognate, nè metue aſciſcere Mariam uxorem tuam: nam quod in ea genitum eſt, ex Sancto Spiritu eſt. Pariet autem filium, quem Jeſum nomine vocabis: is enim ſuos ab ipſorum peccatis vindicabit. (Hoc autem totum factum eſt, ut confieret quod à Domino dictum fuerat per vatem ità dicentem: Virgo ventrem latura eſt, & editura filium, qui nominabitur Emanuel: quod perindè eſt ac ſi dicas, nobiſcum Deus). Igitur experrectus à ſomno Joſephus fecit, ut ei præceperat Domini angelus, aſcivitque ſuam conjugem: Nec eam cognovit, donec ea peperit filium ſuum primogenitum, quem Jeſum nomine vocavit.

Circumciſio Chriſti.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui pro humano genere, Filium tuum unicum circumcidi, & legis inſtituta conſervare, feciſti; da nobis veram eam circumciſionem Spiritûs, ut tum corda, tum omnia membra noſtra, ſimul cum mundanis carníſque cupiditatibus enecantes, ſanctæ tuæ voluntati in omnibus pareamus, per eundem Jeſum Chriſtum Filium tuum. *Amen.*

Epiſtola Rom. iv.

BEatus homo, cui non imputat Deus peccatum. Hæc igitur beatitudo in circumciſionémne cadit, an potiùs in præputium? Dicimus enim, fidem in Abrahamo habitam eſſe pro juſtitiâ. Quomodo igitur habitam? cùm in circumciſione eſſet, an cùm in præputio? Non in circumciſione; ſed in præputio. Ac circumciſionis notam accepit, quæ ſigillum eſſet juſtitiæ fidei, quæ fides ipſi fuit in præputio, ut pater eſſet omnium fidentium, ſive præputiatorum (ut eis quoque juſtitia duceretur) ſive circumciſorum: Pater eſſet, inquam, non iis ſolùm, qui eſſent à circumciſione, verùm etiam gradientibus per fidei veſtigia, quam parens noſter Abrahamus habuit in præputio. Non enim per legem promiſſum eſt Abrahamo, aut ejus poſteritati, orbis heredem fore, ſed per fidei juſtitiam. Nam ſi, qui à lege ſunt, heredes ſunt, vana fides eſt, & irrita promiſſio.

Evangelium

Evangelium D. Luc. ii. 15.

DEinde, ubi ab eis diſceſſerunt in cœlum angeli, paſtores illi cohortati ſunt invicem, ut Bethlehemam peterent, & viſerent quid rei accidiſſet, quod Dominus ſibi ipſis declarâſſet. Itaquè celeritèr profecti, invenerunt Mariam & Joſephum, & jacentem in præſepi infantem: Quo viſo, prædicârunt quid ſibi de puero illo dictum fuiſſet. Ac quotquot audiêrunt, ea mirati ſunt, quæ eis à paſtoribus dicta ſunt. Maria verò eas res omnes obſervabat, animo ſuo perpendens. Redierunt autem paſtores Deum celebrantes atque collaudantes, propter ea omnia quæ & audiverant, &, quemadmodùm eis prædictum fuerat, viderant. Poſtquàm dies octo ad circumcidendum puerum completi ſunt, nuncupatum ejus eſt nomen JESUS: Quod nuncupatum fuerat ab angelo, priuſquàm in utero conciperetur.

¶ *Collecta eadem, eadem Epiſtola, & idem Evangelium Prælegentur exindè uſquè ad Epiphaniam.*

Epiphania, ſeu Chriſti Gentibus patefactio.

COLLECTA.

DEus, qui ſtellâ duce Filium tuum unicum alienigenis patefeciſti; clementer annue, ut nos, quibus nunc per fidem datur tui cognitio, exacto demùm hujus vitæ curriculo, Numine tuo glorioſo fruamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Epheſ. iii. 1.

HUjus gratiâ, ego Paulus, Jeſu Chriſti vinctus propter vos alienigenas: Si modò audiviſtis Dei beneficii diſpenſationem, quod mihi ad vos collatum eſt: Quandoquidem ille mihi divinitùs myſterium declaravit (quemadmodùm antè breviter ſcripſi, undè poteſtis legentes animadvertere meam in Chriſti myſterio intelligentiam) quod nullis aliis ſeculis declaratum eſt hominum generi, ut nunc patefactum eſt ſanctis ejus Apoſtolis ac Vatibus, divinâ inſpiratione: Videlicet, alienigenas eſſe coheredes, &, ejuſdem corporis & participes divini promiſſi in Chriſto, per Evangelium, cujus ego factus ſum miniſter, dono divini beneficii, quod beneficium mihi divinæ potentiæ vi collatum eſt

eſt. Mihi omnium ſanctorum minimo id beneficium collatum eſt, ut apud exteras gentes infinitam Chriſti opulentiam publicem; & omnibus perſpicuum faciam, quæ ſit myſterii communio, quod ab omni æternitate apud Deum (qui omnia per Jeſum Chriſtum condidit) fuit celatum; ut nunc declaretur principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus, per Eccleſiam, tam varia Dei ſapientia, quemadmodùm & ab omni ævo decreverat, & in Chriſto Jeſu Domino noſtro præſtitit, in quo habemus audaciam atque aditum confiſione, quæ eſt in fide ei habenda.

Evangelium D. Matth. ii. 1.

JEſu autem Bethlehemæ in Judæa nato, tempore regis Herodis, venerunt ab Oriente Magi Hieroſolymam, &, ubinam eſſet Judæorum natus rex, quæſiverunt. Seſe enim ejus vidiſſe ſtellam in Oriente, itaquè eum adoratum veniſſe. Quibus auditis, turbatus unà cum tota Hieroſolyma rex, qui, convocatis omnibus pontificibus, & ſcribis populi, ſciſcitatus eſt ab eis, ubinam Chriſtus naſciturus eſſet? Cui illi reſponderunt: Bethlehemæ Judææ: Sic enim à Vate ſcriptum eſſe: Et tu, Bethlehema in Judææ terra, nequaquàm minima es præfecturarum Judææ: Ex te enim mihi prodibit dux, qui meum reget Iſraëliticum populum. Tunc Herodes, clàm vocatis Magis, perquiſivit ab eis tempus, quo ſtella apparuiſſet. Eóſque Bethlehemam dimiſit, ita dicens: Ite, & de puero diligentèr inquirite: Ac cùm inveneritis, certiorem me facitote, ut ego quoquè ad eum adorandum proficiſcar. Igitur illi, audito Rege, profecti ſunt: Ac tum ſtella, quam in Oriente viderant, eos anteceſſit, donec venit, ſtetitque ſupra locum ubi puer erat. Illi, viſâ ſtellâ, maximo gaudio lætati ſunt: Et domum ingreſſi, puerúmque cum ejus matre Maria nacti, prociderunt eúmque adorârunt: Et, apertis ſuis capſis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Deindè divinitùs moniti in ſomnis, nè ad Herodem reverterenter, per aliam viam ſe receperunt in patriam.

Dominica prima ab Epiphan.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, pro tua clementia populi Te invocantis preces admittas; & concede, ut quæ iis facienda

facienda ſunt, & percipiant & cognoſcant, gratiámque & vires, quibus ea fidelitèr exequantur, imperti, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Rom. xii. 1.

QUarè cohortor vos, fratres, per Dei miſericordiam, ut præſtetis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, acceptam Deo, qui veſter ſit cultus rationalis. Néve ſi miles vos huic ſeculo præſtate; ſed veſtræ mentis renovatione transfiguramini, ut, quod velit Deus, quod bonum, acceptum, perfectúmque ſit, id approbetis. Edico enim, per beneficium quod mihi collatum eſt, veſtrûm cuivis, ne ſibi plus arroget, quàm arrogare debeat: Sed tantùm arroget, ut ſobriè arroget, pro fidei modo, quem cuique Deus impertivit. Ut enim uno in corpore multa membra habemus, quæ membra non omnia idem opus habeant: Sic multi, ſumus unum corpus in Chriſto & invicem alii aliorum membra.

Evangelium D. Luc. ii. 41.

PRoficiſcebantur autem ejus parentes quotannis Hieroſolymam feſtis Paſchatis. Igitur dum jam erat annorum duodecim, cùm illi Hieroſolymam ex more feſtorum aſcendiſſent, diéſque peregiſſent, eis revertentibus, remanſit puer Jeſus Hieroſolymæ. Id quod ignorantes ejus parentes, eum in comitatu eſſe rati, poſtquàm iter unius diei fecerunt, cœperunt eum inter cognatos & familiares conquirere: Eóque non invento, reverterunt Hieroſolymam, eum quæſitum. Accidit autem ut poſt triduum eum in fano invenerint, inter magiſtros ſedentem, eóſque audientem ac interrogantem. Stupebant autem omnes eum audientes, ejus acumen, ac reſponſiones. Atque, eo viſo, attoniti ſunt illi, eúmque ſic eſt allocuta mater: Nate, cur nobis ità feciſti? en, pater tuus & ego te dolentes quærebamus. At ille: Quorsùm me quærebatis? inquit eis. An neſciebatis, mihi agenda eſſe mei Patris negotia? At illi, quid ille ſibi dixiſſet, non intellexerunt. Et ille cum eis deſcendit, venítque Nazaretham, & eis erat morigerus. Ejus autem mater eas res omnes animo obſervabat. Et Jeſus ſapientiâ, & ſtaturâ, & gratiâ tum apud Deum proficiebat, tum apud homines.

Dominica ſecunda ab Epiph.

COLLECTA.

OMnipotens & ſempiterne Deus, cujus imperio omnia tam cœleſtia quàm terreſtria parent; ſupplicanti populo tuo propitius aurem præbeas, & da ut pax tua per totum vitæ noſtræ curriculum nobis adſit, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Rom. xii. 6.

SED cùm dotes pro collato in nos beneficio varias habeamus. Ut divinationem, *ad divinandum noſmet accingamus* pro fidei portione: Ut miniſterium, ad miniſtrandum: Sive quis doceat, ad docendum: Sive cohortetur, ad cohortandum: Sive ſit diſtributor, ut ſinceré: Sive præſit, ut ſeduló: Sive largiatur, ut hilarè faciat. Charitas ſit ſimulationis expers. Eſtote vitii oſores, virtutis tenaces. Ad fraternum mutuúmque amorem proclives, honore prævenientes alius alium; ſtudio impigri; ferventes animo; Domino ſervientes; ſpe gaudentes; in adverſis patientes; in precibus aſſidui; ſanctorum egeſtatibus opitulantes; hoſpitalitatem exercentes. Benè precamini vos inſectantibus; benè precamini, & nè imprecamini. Gaudete cum gaudentibus, & cum plorantibus plorate. Eodem modo invicèm animati: Non vos animo efferentes, ſed humilibus accommodantes.

Evangelium D. Johan. ii. 1.

TErtio autem die nuptiæ factæ ſunt Canæ in Galilæa, ubi & Jeſu mater erat: Et Jeſus, ejúſque diſcipuli ad nuptias vocati ſunt. Cúmque defeciſſet vinum, Jeſum mater ſic alloquitur: Vinum non habent. Cui Jeſus: Quid tum poſtea? mulier, nondùm venit hora mea. Mater miniſtros monuit, ut quod ille eis juſſiſſet, facerent. Erant illic poſita ſex lapidea ſolia, ut ferebat Judæorum purificatio, ſingula binarum ternarúmve metretarum capacia. Ea ſolia ut aquâ replerent, juſſit eis Jeſus. Cúmque ad ſummum uſque repleviſſent, juſſit ut nunc haurirent, & convivii magiſtro ferrent. Atque illi tulerunt. Ut verò guſtavit convivii magiſter factum ex aqua vinum, ignarus undè eſſet (miniſtri tamen ſciebant, qui aquam hauſerant) ſponſum accerſit, & ſic alloquitur: Cùm omnes homines primùm bonum vinum

num apponant, deinde, potis convivis, deterius, tu bonum vinum hucuſquè ſervâſti. Hoc præbuit miraculorum initium Jeſus Canæ in Galilæa, ſuámque gloriam oſtendit, & ei fidem habueerunt ejus diſcipuli.

Dominica tertia ab Epiph.

COLLECTA.

OMnipotens & ſempiterne Deus, infirmitatibus noſtris propitius ſuccurre, & in omnibus noſtris periculis, in quibus verſamur, & rebus adverſis, porrectâ dexterâ tuâ nos adjuva, & protege, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Rom. xii. 16.

NE vobis placete, nemini malum pro malo reddite, date operam ut vos apud omnes homines honeſtè geratis. Si fieri poteſt (quantum in vobis eſt) pacem cum omnibus exercete, non vos ipſos ulciſcentes, ô mihi chariſſimi, ſed ſupplicio locum dantes. Extat enim ſcriptum: Mea eſt ultio, ego remunerabor, inquit Dominus. Si itaque eſurit inimicus tuus, da ei comedere: Si ſitit, da bibere. Id enim faciens, candentes carbones in ejus caput congeres. Noli maleficio vinci, ſed beneficio vince maleficium.

*Evangelium D.*Matth. viiî. 1.

DEgreſſum autem eum de monte ſecuta eſt ingens hominum turba. Tum venit leproſus, qui eum veneratus dixit: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et Jeſus illum porrectâ manu tetigit, dicens: Volo, mundus eſto. Ac ſtatim mundata eſt illius lepra. Et Jeſus, Vide, inquit, nè cui dicas: Sed i oſtenſum te ſacerdoti, & munus offer, quod præcepit Moſes, ut eſſet eis teſtimonio. Ingreſſum autem Jeſum Capharnaum convenit Centurio quidam & hujuſmodi verbis oravit: Domine, puer meus jacet domi ſideratus, gravitérque cruciatur. Cui Jeſus: Ego eum ſanatum ibo, inquit. At Centurio reſpondens: Domine, non ſum dignus, inquit, cujus tu tectum ſubeas: Sed tantùm jube verbo, & ſanabitur puer meus, Nam ego quoquè qui ſub alterius ſum poteſtate, ſi quem eorum quibus præſum militum ire jubeo, it: Si alium venire, venit: Si ſervum meum aliquid facere, facit. Hoc audito, miratus Jeſus, ita dix-

it ſequentibus: Hoc vobis confirmo, me nè in Iſraëlitis quidem tantam inveniſſe fidem. Et ſanè ſic habetote, multos ab oriente & occidente venturos, qui cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo accumbant in regno cœleſti: Cùm interea filii regni in exteriores ejicientur tenebras, ubi fletus, ſtridórque dentium futurus eſt. Tum Centurionem alloquens Jeſus: Abi, inquit, & ut confidiſti, ſic tibi accidat. Itaque ſanatus eſt illius puer eâdem illâ horâ.

Dominica quarta ab Epiph.

Collecta.

O Deus, qui ſcis tot tantáque pericula nos circumſtare, adeò ut propter imbecillitatem humanam non poſſimus ſemper erecti conſiſtere, largire nobis tantum robur & auxilium, ut in omnibus periculis ſuſtentemur, ſecuríque omnes tentationes evadamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Rom. xiii. 1.

Omnes mortales ſuperioribus poteſtatibus pareant. Nulla eſt enim poteſtas, niſi à Deo: Ac quæ ſunt poteſtates, eæ à Deo ſunt inſtitutæ. Itaque qui poteſtati repugnat, Dei inſtitutioni reſiſtit; quíque reſtiterint, pœnas dabunt. Non enim rectè factis metuendi ſunt magiſtratus, ſed pravè factis. Vis poteſtatem non timere? benefacito, & ab ea laudem conſequêris. Nam Dei miniſter eſt, tibi quod ſit bono: Verùm ſi malè feceris, formida. Nec enim ſine cauſa gladium geſtat: Quippe cùm ſit Dei miniſter, ad irrogandas pœnas iis qui malè faciunt. Quapropter parere neceſſe eſt, non ſolùm ſupplicii metu, ſed etiam quia officii eſt. Siquidem hanc ob cauſam tributa penditis: Sunt enim publici Dei miniſtri, in hoc ipſo aſſidui. Quocirca ſolvite quod cuique debetis, Cui tributum, tributum: Cui vectigal, vectigal: Cui metum, metum: Cui honorem, honorem.

Evangelium D. Matth. viii. 23.

INgreſſum autem eum in navem ſecuti ſunt ejus diſcipuli: Et ecce tanta tempeſtas extitit in lacu, ut fluctibus obrueretur navis. Ipſe autem dormiebat. Igitur eum aggreſſi ejus diſcipuli excitant. Domine, inquiunt, ſerva nos, perimus. At ille: Cur timidi eſtis? inquit eis, ô parum fidentes

tes. Deinde ſurrexit, & ventos ac lacum increpuit: undè tanta tranquillitas extitit, ut admirati homines ità dicerent: Qualis eſt hic vir, ut ei venti & lacus obediant? Deinde ubi in Gergeſenorum agrum trajecit, occurrerunt ei duo furioſi ex monumentis prodeuntes, adeò feri, ut illàc tranſire nemo poſſet. Atque ii ſic tum clamârunt, Quid tibi nobiſcum rei eſt, Jeſu Dei Fili? Huccíne veniſti ante tempus vexatum nos? Cùm eſſet autem procùl ab eis numeroſus porcorum grex paſcentium, dæmones eum ità rogant: Si nos ejicis, permitte nobis in porcorum gregem immigrare. Quibus ille: Ite, inquit. Atque illi egreſſi in porcorum gregem immigrârunt: Et eccè ruit univerſus porcorum grex per præceps in lacum, ſúntque in aqua mortui. Paſtores autem fugerunt: Et oppidum profecti, tum alia omnia, tum de furioſis nunciârunt. Tum tota civitas exiit obviàm Jeſu, eóque viſo, rogârunt ut a ſuis finibus diſcederet.

Dominica quinta ab Epiph.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, Eccleſiam & familiam tuam in vera tua Religione continuè ſerves, ut qui ſolùm ſpe cœleſtis tuæ gratiæ freti ſunt, præſtantiſſimis tuis viribus in perpetuum prorſùs protegantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Coloſſ. iii. 12.

INduite igitur, ut Dei electi, ſancti, amatíque affectum miſericordiæ, benignitatem, modeſtiam, manſuetudinem, patientiam, alius alium ferentes, & invicèm condonantes, ſi quis habet quod de aliquo expoſtulet: Quemadmodum Chriſtus vobis condonavit, ſic vos quoquè facite. Sed ſuper hæc omnia charitatem, quæ perfectionis vinculum eſt: Vigeátque divina pax in veſtris animis, ad quam eſtis in uno corpore vocati; & eſte grati. Chriſti ſermo largè in vobis habitet, ſumma cum ſapientia. Docete & commonefacite alius alium carminibus, Deíque laudationibus & divinis cantionibus, Dominum animis gratè canentes: Ac quicquid vel verbis, vel re facitis, id in Domini Jeſu nomine facitote, Deo Patrique per eum gratias agentes.

Evangelium D. Matth. xiii. 24.

SImiliter accidit in cœleſti regno, ut in homine qui bonum ſemen ſevit in fundo ſuo; ſed dormientibus hominibus, ivit ejus inimicus ſatum malas herbas inter frumentum, ac diſceſſit. Deinde ubi germinavit herba, edidítque fructum, tunc apparuerunt etiam malæ herbæ. Igitur ſervi patrem-familiâs ſic convenerunt: Here, nónne bonum ſemen in fundo tuo ſeminâſti? Unde igitur habet malas herbas? Quibus ille: Inimicus homo id fecit, inquit. Et ſervi: Vis igitur ut eas lectum eamus? Non, inquit ille, ne fortè legentes malas herbas, frumentum unà cum eis eradicetis. Sinite ambo creſcere uſque ad meſſem. Meſſis tempore mandabo meſſoribus, ut primùm malas herbas legant, & in manipulos colligant comburendas: frumentum autem in meum comportent horreum.

Dominica ſexta ab Epiph.

COLLECTA.

O Deus, cujus benedictus Filius ideò patefactus eſt, ut diaboli opera aboleret, undè nos filii Dei heredéſque æternæ ſalutis ſcriberemur; da, quæſumus, ut ſpem hanc habentes, noſmetipſos expurgemus, quemadmodum ille purus eſt; ut, cùm iterum venerit cum multa potentia atque gloria, nos ejus ſimiles in æterno & illuſtri illius imperio ſimus, ubi Tecum, ô Pater, & Tecum, ô Sancte Spiritus, Ipſe vivit & regnat unus Deus in perpetua ſecula. *Amen.*

Epiſtola 1 *D.* Joh. iii. 1.

VIdete quanto nos proſecutus ſit amore Pater, ut Dei filii vocemur. Ideò nos mundus non cognoſcit, quòd eum non cognoſcit. Chariſſimi, nos nunc Dei filii ſumus, tametſi nondum patet quid ſimus futuri: Scimus autem, cùm id patefactum fuerit, nos ejus fore ſimiles: Utpotè quem cernemus, ut eſt. Ac quiſquis hanc in eo ſpem habet, is ſeipſum expurgat, quemadmodum ille purus eſt. Quiſquis peccatum committit, is noxam committit, & peccatum noxa eſt: Et ſcitis illum ideò adveniſſe, ut peccata noſtra auferret, nec ullum in eo eſſe peccatum. Quiſquis in eo manet, non peccat: Quiſquis peccat, eum non vidit, neque novit. Filioli, nemo vos decipiat. Qui

juſta facit juſtus eſt, quemadmodum ille juſtus eſt. Qui peccatum committit, ex diabolo eſt: Siquidem à principio diabolus peccat. Ideò patefactus eſt Dei Filius, ut diaboli opera aboleret.

Evangelium D. Matth. xxiv. 23.

TUnc ſi quis vobis dixerit: Ecce hìc Chriſtus aut hìc, nè creditote: exiſtent enim falſi Chriſti, falſique vates, qui tanta portenta ac prodigia edent, ut decipiantur (ſi fieri poſſet) etiam electi. En prædixi vobis. Si igitur vobis dicetur in ſylvis adeſſe, nè exitote: Si in penetralibus, nè creditote. Ut enim fulgur ab Oriente profectum apparet ad Occidentem, ſic erit adventus Filii hominis. Nam ubicunquè erit cadaver, eò congregabuntur aquilæ. Protinùs autem poſt illius temporis calamitatem, ſol obſcurabitur, neque luna ſuum ſplendorem emittet, & ſtellæ de cœlo cadent, cœlíque poteſtates concutientur; ac tum apparebit in cœlo ſignum Filii hominis. Tum verò plangent omnes terrarum nationes, videbúntque Filium hominis venientem in cœleſtibus nubibus, cum multa potentia atque gloria, qui ſuos nuncios mittet cum vocaliſſima tuba, qui ejus electos à quatuor ventis, ab extremo cœli ad alterum extremum congregabunt.

Dominica, quæ Septuageſima dicitur, ſeu Dominica tertia ante Quadrageſimam.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, ſupplicationes populi tui propitius admitte, ut, nos, qui juſtas delictorum noſtrorum pœnas damus, pro tua clementia liberemur, in Nominis tui honorem, per Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum, qui vivat & regnat, unà Tecum & cum Spiritu Sancto, ſemper unus Deus, in perpetua ſecula. *Amen.*

Epiſtola 1 Cor. ix. 24.

AN neſcitis, ut qui currunt in curriculo, omnes quidem currant, ſed unus certaminis precium obtineat? Sic currite, ut aſſequamini. Enimverò omnes qui certant, omnia perferunt; illi quidem ut interituram aſſequantur coronam; at nos, immortalem. Equidem ſic curro, ut non incertò: Sic luctor, ut qui non aërem verberem: Quin contundo, ſubigóque meum corpus, nè fortè cum alios

 docuerim,

docuerim, ipſe ſim rejectaneus.

Evangelium D. Matth. xx. 1.

PErinde enim accedit in cœleſti regno, ac in homine patre-familiâs, qui exiit primo mane ad conducendos operarios in vineam ſuam, pactúſque operariis ſingulos denarios in diem, dimiſit eos in vineam ſuam. Deinde circa tertiam horam egreſſus, vidit alios in foro ſtantes ocioſos: Et, Ite, (inquit eis) vos quoque in vineam meam: Et quod æquum erit, dabo vobis. Atque illi iverunt. Item circa ſeptimam & nonam horam egreſſus, fecit ſimiliter. Circa undecimam autem horam egreſſus offendit alios ſtantes ocioſos: Et, quid hîc ſtatis, inquit eis, totum diem ocioſi? Cui illi: Quia nemo nos conduxit, inquiunt. Et ille: Ite & vos, inquit, in vineam meam, & quod erit æquum, accipietis. Sub veſperam autem jubet vineæ dominus procuratori ſuo, ut vocet operarios, eíſque, ab ultimis exorſus ad primos, mercedem ſolvat. Ità cum veniſſent, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Item primi cùm veniſſent, arbitrati ſe plus accepturos, acceperunt & ipſi ſingulos denarios: Quibus acceptis, fremebant contra patrem-familiâs, dicentes: Hi poſtremi unam horam operati ſunt, & tu eos nobis pares feciſti, qui diei onus, ardorémque pertulimus. At ille reſpondens dixit eorum uni: Amice, non facio tibi injuriam. Nónne mecum denario conveniſti? Aufer tuum, & abi. Volo autem huic ultimo tantum dare, quantum tibi. An mihi non licet meis uti meo arbitratu? An tuus oculus malus eſt, quoniam ego bonus ſum? Ità erunt & ultimi primi, & primi ultimi. Multi enim ſunt vocati, ſed pauci electi.

Dominica, quæ Sexageſimæ dicitur, ſeu Dominica ſecunda ante Quadrageſimam.

COLLECTA.

DOmine Deus, qui vides nos in nullo, quod agimus, ſpem habere; da clemens, ut potentiâ tuâ ab adverſis omnibus defendamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 2 Cor. xi. 19.

QUoniam vos libenter dementes fertis, ipſi prudentes.

prudentes. Fertis enim, ſi quis vobis ſervilitèr abutitur, ſi quis vos exeſt, ſi quis dona accipit, ſi quis ſeſe effert, ſi quis vos in os cædit. Indecorè dicam: Quaſi verò nos nequeamus. Quin ſi quid eſt, in quo quiſquam audeat (inſipientèr dicam) auſim & ego. Hebræi ſunt? & ego: Iſraëlitæ ſunt? & ego: Abrahami progenies ſunt? & ego: Chriſti miniſtri ſunt? (deſipiens dicam) ego magis, in laboribus ampliùs, in plagis plus: in cuſtodiis ampliùs, in mortibus ſæpenumeró. A Judæis quinquiès undequadragenis plagis affectus ſum: Tèr verberatus, ſemel lapidatus. Tèr naufragium feci: Noctem & diem in profundo egi: Sæpè verſatus in itineribus, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis à meis civibus, periculis ab extraneis, periculis in urbe, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus; in labore & fatigatione, in vigiliis ſæpenumerò, in fame & ſiti, in jejuniis frequenter, in frigore & nuditate: Præter cætera quæ me quotidiana deſtinent extrinſecùs, videlicèt omnium Eccleſiarum cura. Quis æger eſt, quin ego ſim æger? Quis offenditur, quin ego urar; Si gloriandum eſt, de imbecillitate mea gloriabor. Scit Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt collaudandus in ſempiternum, me non mentiri.

Evangelium D. Luc. viii. 4.

CONfluente autem ingenti multitudine, & hominibus paſſim ex oppidis eum adeuntibus, ſic per ſimilitudinem locutus eſt: Ivit ſator quidam ſatum ſuum ſemen: Quo ſerente, aliud cecidit apud viam, ídque conculcatum eſt, & ab aëris volucribus comeſum. Aliud in petram cecidit, ídque exortum aruit, quòd humorem non haberet. Item aliud cecidit inter ſpinas, ídque enatæ ſimul ſpinæ ſuffocârunt. Aliud cecidit in bonam terram, & enatum edidit fructum cum centeſimo. Hæc dicens clamabat: Qui aures habet, quibus audire poſſit, audiat. Interrogârunt autem eum ſui diſcipuli, quænam eſſet ea ſimilitudo? Quibus ille: Vobis datum eſt, inquit, divini regni arcana cognoſcere: Cum cæteris verò per ſimilitudines agitur, ut videntes non videant, & audientes non intelligant. Eſt autem hæc ſimilitudo. Semen eſt divinus ſermo. Qui apud

apud viam, ii ſunt qui audiunt, deinde venit diabolus, qui ſermonem ex eorum animis aufert, nè credant, atque ita ſalvi fiant. Qui verò in petra, ii ſunt, qui dum audiunt, cum lætitia accipiunt illi quidem ſermonem, ſed radicem non habent: Itaquè credunt ad tempus, & periculorum tempore deſciſcunt. Quod verò in ſpinas cecidit, ii ſunt qui ubi audiverunt, eò veniunt ut curis & divitiis, vitæque voluptatibus ſuffocentur, neque fructum perferant. Quod verò in bona terra, ii ſunt, qui probo & bono animo auditum verbum retinent, & fructum cum patientia ferunt.

Dominica, quæ Quinquageſima dicitur, ſeu Dominica ante Quadrageſimam proxima.

Collecta.

Domine, qui docuiſti nos opera omnia noſtra, modò charitate non ſimus præditi, nihil eſſe, mitte Spiritum Sanctum tuum, & eximium illud charitatis donum animis noſtris infunde, quo vinculo pax, omnéſque virtutes conſtringuntur, ſine quo omnis vivens coram Te eſt mortuus. His annue, gratiâ Filii tui unici Jeſu Chriſti. *Amen.*

Epiſtola 1 Cor. xiii. 1.

Si & hominum loquar & angelorum linguis, neque charitate ſim præditus, ſum æs reſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi tantum divinationis habeam, ut omnia arcana, ſcientiámque omnem teneam, & ſi adeò omni ſim fide præditus, ut vel montes tranſmoveam, & tamen charitate non ſim præditus, nihil ſum. Et ſi omnes meas facultates in liberalitatem erogem, & ſi vel meum corpus comburendum tradam, & tamen charitate non ſim præditus, nihil proficio. Charitas patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non eſt temeraria, non tumet, non ſe gerit turpitér: Non ſibi ipſi ſtudet, non eſt irritabilis, non malè cogitat, non gaudet injuſtitiâ, ſed veritate lætatur: Omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam intercidit. Et vaticinationes abolebuntur, & linguæ ceſſabunt, & ſcientia delebitur. Nam aliquatenùs ſcimus, & aliquatenùs vaticinamur. Sed cùm

venerit

venerit perfectio, tum quod aliquatenùs ſit, delebitur, Dum puer eram, ut puer loquebar, ut puer ſentiebam, ut puer cogitabam: Sed vir factus puerilia delevi. Nunc enim per ſpeculum cernimus, per ambages: At tunc præſentes corám. Nunc aliquatenùs cognoſco: At tunc recognoſcam, quemadmodum recognitus ſum. Nunc quidem manet fides, ſpes, charitas: Sed harum trium maxima eſt charitas.

Evangelium D. Luc. xviii. 31.

ASſumptis autem duodecim, Jeſus dixit eis: En aſcendimus Hieroſolyma, & Filio Hominis accident planè omnia quæ ſunt à vatibus ſcripta. Tradetur enim extraneis, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conſpuetur, & verberatus interficietur, & tertio die reſurget. At illi nihil horum intellexerunt, adeóque tecta eis erat ea oratio, ut quæ dicerentur, ignorarent. Eo autem Hierichunti propinquante, ſedebat apud viam quidam cæcus mendicans. Is prætereuntem hominum turbam audiens ſciſcitatus eſt quid illud eſſet; cúmque ei indicatum eſſet Jeſum Nazarenum præterire, clamavit his verbis: Jeſu Davidide, miſerere mei. Et quamvis præcedentes increpârunt eum ut taceret, ille multò magis clamabat: Davidide, miſerere mei. Tum Jeſus reſtitit, & eum ad ſe duci imperavit: Ac ubi ille acceſſit, ſic eum interrogavit; Quid tibi vis faciam? Et ille: Domine, inquit, ut videam. Et Jeſus: Cerne, inquit ei: Tua te fides ſervavit. Atque ille continuò vidit, eumque ſecutus eſt, Deum collaudans, Quo viſo, populus omnis Deo tribuit laudem.

Feria quarta à Quinquageſima, vulgò dies Cinerum.

Collecta.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui nil à te conditum odio proſequeris, omnibúſque pœnitentibus remittis peccata, nobis crea & facito novas mentes & contritas; ut nos peccata noſtra pro eo ac decet deplorantes & miſeriam noſtram agnoſcentes, à Te ſummæ clementiæ Deo plenam remiſſionem & gratiam delictorum conſequamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Hæc*

¶ *Hæc Collecta recitanda eſt quotidie per totam Quadrageſimam, poſt Collectam diei.*

Pró Epiſtola Joël ii. 12.

ET tamen, inquit Dominus redite ad me toto pectore, cum jejunio, ploratu, ac plangore, & veſtra corda lacerando, non veſtes, redite ad Dominum Deum veſtrum: Nam is eſt exorabilis & miſericors, ad iram tardus, multæque clementiæ, qui ſe ab inferendo malo contineat. Quis ſcit, an reconciliatus ſe cohibeat, relinquátque poſt illum ubertatem, fertum, viníque libamen Domini Dei veſtri? Clangite tubâ in Sione, indicite jejunium, proclamate ferias, convocate populum, indicite conventum, ſenatores congregate, convocate parvulos ac ſubrumos: Prodeat & ſponſus ex ſuo penetrali, & ſponſa ex thalamo. Inter veſtibulum & aram plorent ſacerdotes Domini miniſtri, dicántque: Habe, ô Domine, tuorum rationem, néve tuam hereditatem probro addixeris, ità ut eis imperent extranei, nè quæratur apud cæteras nationes, ubinam ſit eorum Deus.

Evangelium D. Matth. vi. 16.

CUM autem jejunatis, nè eſte tetrici, quales ſimulatores, qui vultus ſuos deformant, ut aliis appareat eos jejunare. Hoc vobis confirmo, eos ſuum abſtuliſſe præmium. At tu jejunans, ungito tibi caput, & vultum lavato, ne perſpicuum ſit aliis hominibus jejunare te, ſed Patri tuo qui occultus eſt; & Pater tuus, qui occulta cernit, tibi palàm reddet. Nè congerite vobis opes in terris, ubi & corrumpit tinea ærugóque, & fures perfodiunt ac furantur. Sed vobis opes in cœlo congerite, ubi nec ærugo aut tinea corrumpit, nec fures perfodiunt aut furantur. Nam ubi veſtræ erunt opes, ibidem erit & veſter animus.

Dominica prima Quadrageſimæ.

COLLECTA.

DOmine, qui noſtra de cauſa quadraginta dies, totidémque noctes jejunâſti, da nobis gratiam eâ uti abſtinentiâ, ut, carne noſtrâ Spiritui ſubditâ, divinis tuis impulſibus ſemper obſequamur, piè ſanctéque vitas

tas inſtituendo, ad honorem & gloriam tuam, qui unà cum Patre & Spiritu Sancto, vivis & regnas unus Deus, in perpetua ſecula. *Amen.*

Epiſtola 2 Cor. vi. 1.

NOS verò ad hanc rem adjutores hortamur vos, ut detis operam, nè Dei beneficium incaſsum acceperitis. Dicit enim: Te accepto tempore exaudivi, tibi die ſalutis ſubveni Adeſt nunc tempus acceptum, adeſt nunc dies ſalutis. Nos nullam uſquàm offenſionem afferimus, ne taxetur miniſterium: Sed omnibus in rebus nos-ipſos ut Dei miniſtri commendamus, in multa patientia, in calamitatibus, in rebus adverſis, in anguſtiis, in plagis, in cuſtodiis, in agitationibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in clementia, in benignitate, in Spiritu Sancto, in charitate genuina, in veritatis oratione, in Dei potentia, armis juſtitiæ dextris & ſiniſtris, per gloriam & dedecus, per maledicta & benedicta, quaſi fallaces, & tamen veraces: Quaſi ignoti, & tamen noti: Quaſi morientes, cum tamen vivamus: Quaſi qui caſtigemur, & non mortificati: Quaſi dolentes & tamen ſemper gaudentes; Quaſi pauperes, cum multos locupletemus: Quaſi nihil habentes, & tamen omnia tenentes.

Evangelium D. Matth. iv. 1.

TUM Jeſus à Spiritu ſubductus eſt in ſolitudinem, ut tentaretur à diabolo. Cúmque quadraginta dies & totidem noctes jejunâſſet, tandem eſuriit. Igitur aggreditur eum tentator: Si Dei Filius es, inquit, jube ut hi lapides panes fiant. Cui ità reſpondit ille: Scriptum eſt, non ſolo pane vivit homo, ſed omni verbo per os Dei prodeunte. Tunc adducit eum diabolus in ſanctam urbem, & in templi pinnis collocatum, ſic alloquitur; Si Dei Filius es, jace te deorſum: Scriptum eſt enim: Angelis ſuis de te mandabit, ut te manibus tollant, nè pedem ad lapides offendas. At Jeſus: Rurſùm ſcriptum eſt, inquit illi, nè tentato Dominum Deum tuum. Rurſus adducit eum diabolus in præaltum montem, eíque omnia regna mundi, & eorum gloriam oſtendit: Et, Hæc omnia tibi dabo, inquit, ſi procubueris, & me adoraveris. Hic Jeſus: Abi è conſpectu meo, Satana, inquit ei, Scriptum eſt enim: Dominum

num Deum tuum adorato, eúmque ſolum colito. Tunc omittit eum diabolus: et eccè advenerunt angeli, qui ei miniſtrarent.

Dominica ſecunda Quadrageſimæ.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui vides quòd nos ipſi non idonei ſumus ad nos ipſos adjuvandum, externâ ſalute corpora noſtra, internâ animos protegas, ut ab omnibus adverſis, quæ corporibus fortè eveniant, defendamur, omnibúſque malis cogitationibus, quæ animam impetentes corrumpant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 Theſſ. iv. 1.

QUOD ſupereſt igitur, fratres, oramus, ac hortamur vos per Dominum Jeſum, ut quemadmodum à nobis didiciſtis, quomodo vos gerere, Deóque placere debeatis, in eo præcellatis. Scitis enim, quæ mandata vobis per Dominum Jeſum tradiderimus. Hoc enim, & Dei voluntatis & veſtræ ſanctitatis eſt, ut ab impudicitia vos abſtineatis, ſciátque quiſque veſtrûm ſuum vas cum ſanctimonia ac honeſtate, non (ut alienigenæ Deum ignorantes) cum cupiditatis libidine, poſſidere; nè quis ſuum fratrem in negotiis circumveniat, aut circumſcribat. Siquidem horum omnium ultor eſt Dominus, ut etiam antea vobis diximus, teſtatíque ſumus. Non enim vocavit nos Deus ad obſcœnitatem, ſed ad ſanctimoniam. Itaquè qui repudiat, non hominem repudiat, ſed Deum, qui nos ſuo Sancto Spiritu donat.

Evangelium D. Matt. xv. 21.

INde profectus Jeſus, contulit ſe in Tyrios, Sidonióſque tractus. Et eccè mulier Chananæa, ab illis profecta finibus, clamabat ad eum his verbis: Miſerere mei, Domine Davidide: Filia mea malè furiata eſt. Sed cùm ille nihil ei reſpondiſſet, aggreſſi eum ejus diſcipuli ſic rogare: Abſolve eam, clamat enim ponè nos. At ille reſpondens: Non ſum miſſus, inquit, niſi ad oves perditas Iſraëliticæ domûs. Cúmque illa veniſſet, & ei præbens honorem, diceret: Domine, ſuccurre mihi: Ille ſic reſpondit: Non convenit ſumere liberorum panem, & objicere catellis. Et illa: Ità eſt, Domine, & tamen catelli quoquè comedunt de micis, quæ decidunt de menſa

dominorum

dominorum ſuorum. Tum Jeſus reſpondens: O mulier, inquit ei, magna eſt tua fiducia: Obtineto quod vis. Ità ſanata eſt ejus filia, eâdem illâ horâ.

Dominica tertia Quadrageſimæ.

Collecta.

OMnipotens Deus, reſpice vota, quæ humiles famuli tui ex animo apud te effundunt, & porrectâ Majeſtatis tuæ dextrâ, adversùs omnes inimicos nos protegas, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Eph. v. 1.

QUapropter eſte imitatores Dei, ut chari filii: Et cum charitate vitam agite, quemadmodùm Chriſtus adamavit nos, & ſeipſum pro nobis dedidit, fertum, hoſtiámque Deo ad ſuavem odorem. Stuprum verò, aut ulla obſcœnitas, aut avaritia, nè quidem nominetur apud vos, ut ſanctos decet: Aut turpitudo, aut ſtulta oratio, aut facetia, quæ dedecent; ſed potiùs gratiarum actio. Hoc enim ſcitote, nullum ſcortatorem, aut impurum, aut avarum (qui eſt deaſtricola) habiturum eſſe hereditatem in Chriſti, Deique regno. Nemo vos decipiat vanis verbis: Nam propter has res invadit ira Dei contumaces homines. Quarè nolite eorum eſſe ſocii. Cùm enim eſſetis aliquandò tenebricoſi, nunc lucidi eſtis in Domino: Ut lucis homines vos gerite, (eſt antem ſpiritûs fructus in omni bonitate ac juſtitia & veritate) approbantes quæ ſunt accepta Deo: Tantúmque abſit ut infructuoſa tenebrarum opera participetis, ut ea potiùs arguatis; nam quæ ab illis occultè fiant, vel dicere turpe eſt. Omnia autem quæ arguuntur, luce patefiunt. Quicquid enim patefit, lucidum eſt. Propterea, Expergiſcere qui dormis, inquit, & ſurge ex mortuis, & tibi Chriſtus affulgebit.

Evangelium D. Luc. xi. 14.

EJiciebat autem aliquandò dæmonium, quod erat mutum: Quo dæmonio egreſſo, locutus eſt mutus, id quod vulgò mirati ſunt. At eorum quidam dicebant, eum per Beelzebulem dæmoniorum principem ejicere dæmonia. Alii tentandi gratiâ ſignum ab eo petebant de cœlo. Quorum ipſe cogitationes intelligens, dixit eis: Omne regnum à ſeipſo diſſidens vaſtatur,

ſtatur, & domus ſuper domum cadit Quòd ſi Satanas à ſeipſo diſſideret, quo pacto ſtaret ejus regnum ? ut vos me dicatis per Beelzebulem ejicere dæmonia. Quòd ſi ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, veſtri generis homines per quem ejiciunt? Itaquè erunt ipſi veſtri judices. Sin ego divino digito ejicio dæmonia; ergò venit ad vos divinum regnum. Cùm quis fortis armatus ſuum atrium cuſtodit, ſalvæ ſunt ejus facultates. Sed ſi quis eo fortior eum adortus vicerit, ejus & arma, quibus confidebat, aufert, & ſpolia diſtribuit. Qui mecum non eſt, contra me eſt: Et, qui mecum non congerit, diſſipat. Dum impurus ſpiritus exiit ex aliquo homine, ſiticuloſa loca peragrat requietem quærens: Eam poſtquàm non invenit, ſtatuit domum ſuam redire, undè exierat. Deindè ubi venit, & eam verſam ornatámque offendit, accerſit ſeptem alios ſpiritus deteriores ſe: Qui illuc ingreſſi, ibi manent: Atque ita fit hominis illius conditio poſterior priore deterior. Eo hæc dicente, mulier quædam ex turba, ſublatâ voce, dixit ei: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. At ille: Imò, inquit, beati qui divinum ſermonem & audiunt & conſervant.

Dominica quarta Quadrageſimæ.

COLLECTA.

CONcede, quæſumus, omnipotens Deus, ut nos, qui peccatorum noſtrorum juſtas pœnas debemus, gratiæ tuæ conſolatione clementèr ſuſtentemur, per Dominum noſtrum & Servatorem Jeſum Chriſtum. *Amen.*

Epiſtola Gal. iv. 21.

DIcite mihi, qui ſub lege eſſe vultis, legem non auditis? Scriptum eſt enim, Abrahamum duos habuiſſe filios, unum ex ancilla, alterum ex libera: Quorum ancillæ filius humano more natus eſt, liberæ autem filius ex promiſſo: Quæ res aliud ſignificant. Nam eæ ſunt duo fœdera. Unum à monte Sina, in ſervitutem gignens, videlicet Agar: Nam Agar, Sina mons eſt in Arabia, qui cum ea quæ nunc eſt Hieroſolyma congruit, quippe quæ unà cum ſuis ſerviat. At ſuperior Hieroſolyma libera eſt, quæ mater eſt omnium noſtrûm. Scriptum eſt enim; Lætare, ſterilis, quæ non paris: Erumpe

rumpe in clamorem, quæ non eniteris: Nam plures futuri ſunt deſertæ nati, quàm virum habenti. Nos verò fratres, quemadmodùm Iſaacus, promiſſionis nati ſumus. Sed ut tunc qui humanitùs erat genitus, genitum divinitùs infeſtabat: Ità fit etiam nunc. Verùm quid aiunt literæ? Ejice ancillam, ejúſque filium: Non enim heres erit ancillæ filius, cum liberæ filio: Ergò, fratres, non ancillæ nati ſumus, ſed liberæ.

Evangelium D. Joh. vi. 1.

POſteà trajecit Jeſus Galilææ lacum Tiberiadis, ſequente eum frequenti hominum multitudine, quòd viderent quàm portentoſa faceret in ægrotantibus. Conſcendit autem Jeſus montem, & ibi cum ſuis diſcipulis reſedit, cum quidem inſtaret Paſcha, Judæorum feſtum. Sublatis igitur oculis, Jeſus videns ingentem hominum multitudinem ad ſe venire dicit Philippo: Undè panes ememus, quos hi comedant? Id autem dicebat, ejus tentandi gratiâ: Sciebat enim ipſe quid facturus eſſet. Cui Philippus ità reſpondit: Ducentorum denariorum panes non ſatìs ſint eis, ut eorum quíſque paululum quid accipiat. Tum unus ex ejus diſcipulis, Andreas Simonis Petri frater, ſic eum alloquitur: Eſt hìc quidam puer, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſciculos: Sed hæc quantula ſunt ad tam multos? Et Jeſus: Facite, inquit, ut homines diſcumbant. Erat autem in eo loco multum graminis. Igitur diſcubuêre viri, numero circitèr quinquiès mille. Et Jeſus ſumptos panes, actis gratiis, diſtribuit diſcipulis: Diſcipuli porrò diſcumbentibus: Itidémque ex piſcibus quantum voluerunt. Atque, illis expletis, juſſit diſcipulis ſuis ut ſuperantia fruſta colligerent, ne quid periret. Itaquè collegerunt, & duodecim caniſtra ex quinque hordeaceis panibus replevêre fruſtis, quæ convivis ſuperfuerant. Igitur homines illi videntes quod oſtentum ediſſet Jeſus, dicebant eum verè vatem illum eſſe, qui in orbem venturus eſſet.

Dominica quinta Quadrageſimæ.

COLLECTA.

QUæſumus, omnipotens Deus, propitius reſpice populum tuum, ut ſingulari tuâ benignitate dirigantur, & tum corpore, tum

animo in ſempiternum conſerventur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Heb. ix. 11.

AT Chriſtus advenit, futurorum bonorum pontifex, qui per majus perfectiúſque tabernaculum, non manufactum, hoc eſt, non hujus ſtructuræ, neque per hircorum & vitulorum ſanguinem, ſed per ſuum ipſius ſanguinem, ingreſſus eſt ſemel in Sanctuarium, æternam liberationem adeptus. Si enim taurorum & hircorum ſanguis, juvencæque cinis, pollutos aſpergens, luſtrat ad corporis puritatem: quanto magis Chriſti ſanguis, qui per æternum Spiritum ſeipſum libavit innocentiſſimum Deo, purgabit veſtram conſcientiam à mortuis operibus, ut viventem colatis Deum? Atque ideò novi teſtamenti ſequeſter eſt, ut mortis interventu ad expiationem commiſſorum in primum teſtamentum, vocati conſequantur promiſſam hereditatem ſempiternam.

Evangelium D. Joh. viii. 46.

DIxit Jeſus, quis me veſtrûm coarguerit peccati? Quòd ſi verum dico, cur mihi vos non creditis? Qui à Deo eſt, Dei verba audit. Vos ideò non auditis, quòd à Deo non eſtis. Tum contrà Judæi: An non rectè dicimus nos, te eſſe & Samaritanum, & dæmonium habere? Quibus Jeſus reſpondit: Ego dæmonium non habeo, ſed Patrem meum honoro: Vos verò me probro afficitis. Sed non ego meæ gloriæ ſtudeo. Eſt qui ſtudeat & judicet. Hoc vobis etiam atque etiam confirmo, ſi quis meæ orationi paruerit, eum nunquàm viſurum eſſe mortem. Tum Judæi: Nunc intelligimus te dæmonium habere: Abrahamus ipſe mortuus eſt, ipſíque vates: Et tu dicis, ſi quis orationi meæ paruerit, eum nunquàm viſurum eſſe mortem? Num tu major es patre noſtro Abrahamo, qui tamen mortuus eſt? & vates ipſi mortui ſunt: Quem tu te facis? Reſpondit Jeſus: Si ego me ipſum laudarem, laudatio mea nihil eſſet. Eſt Pater meus qui me laudat, quem vos dicitis eſſe veſtrum Deum, & tamen eum non noviſtis. At ego eum novi: Et ſi eum mihi notum eſſe negarem, veſtrî ſimilis eſſem mendax. Sed eum novi, ejúſque dictis pareo. Abrahamus ille parens veſter meam diem videre geſtivit, & vidit, ideóque lætatus eſt. At Judæi:

Quinquaginta annos nondùm habes, & Abrahamum vidiſti? Quibus Jeſus: Hoc mihi certò certóque credite, Priuſquàm Abrahamus eſſet, ego ſum. Tum illi lapides ſuſtulerunt, quos in eum conjicerent. At Jeſus ſeſe abdidit, & ex fano exiit.

Dominica proxima ante Paſcha.

COLLECTA.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui tanto in humanum genus amore extitiſti, ut Filium tuum Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum mitteres, ut carnem noſtram ſibi aſſumeret, & ſubiret mortem crucis, quò totum humanum genus miram ſanè ipſius humilitatem imitaretur; propitius faxis, ut noſmetipſi tum patientiæ exemplum de eo capiamus, tum reſurrectionis ejus fiamus participes, per eundem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Phil. ii. 5.

NAM ſic animati eſſe debetis, ut Chriſtus Jeſus, qui cùm in Dei formâ foret, non rapinæ habuit ſuam cum Deo æqualitatem, ſed ſeipſum eo uſquè ad nihilum redegit, ut, ſumptâ ſervili formâ, factus ſit hominum ſimilis: Et figurâ repertus ut homo, ſeſe adeò dejecit, ut obediens fuerit uſquè ad mortem, & quidem mortem crucis. Quapropter Deus eum ſummoperè extulit, & nomine donavit omnium nominum ſummo, ut ad Jeſu nomen omne ſe genu flectat, cœleſtium, & terreſtrium, & ſubterraneorum; omníſque lingua confiteatur Dominum eſſe Jeſum Chriſtum, ad Dei Patris gloriam.

Evangelium D. Mat. xxvii. 1.

MAnè autem conſilium inierunt omnes Pontifices, & ſenatores populi contra Jeſum, de eo interficiendo, eúmque vinctum abduxerunt, & Pontio Pilato Prætori tradiderunt. Tum Judas ejus proditor, videns eum eſſe damnatum, pœnitens reddidit triginta nummos argenteos Pontificibus & Senatoribus, ſeſe peccaviſſe dicens, qui ſanguinem prodidiſſet innocentem. At illi, Quid ad nos? inquiunt; Tu videris. Ille verò, abjectis in templo nummis, diſceſſit, & ſe laqueo præfocatum ivit. Pontifices autem, ſumptis nummis, dixerunt eos non licere in templi fiſcum referre, quippe cùm precium eſſet

ſanguinis. Itaquè capto conſilio, emerunt eis agrum figuli, ad peregrinorum ſepulturam. Ideóque vocatus eſt ager ille, ager ſanguinis, ad hunc diem. Tunc accidit quod à Jeremia vate dictum fuerat his verbis: Itaquè ſumpſerunt triginta argenteos, precium æſtimati, quem licitati emerunt ab Iſraëlitis, eóſque impenderunt in agrum figuli, quemadmodum mihi præcepit Dominus. Jeſus autem ſtetit ante Prætorem, eúmque ſic Prætor interrogavit? Eſne Tu rex Judæorum? Cui Jeſus, Eſt ut dicis, inquit. Cúmque à Pontificibus & Senatoribus accuſaretur, nihil reſpondit. Tum Pilatus dixit ei: Non audis quàm multa contra te teſtantur? At ille ei ad nullum prorſùs verbum reſpondit, adeò ut valdè miraretur Prætor. Per feſtum autem ſolebat Prætor unum vinctum plebi remittere, quem vellent. Habebant tum quendam vinctum illuſtrem, nomine Barabbam. Igitur cùm conveniſſent, dixit eis Pilatus: Utrum vultis vobis remittam? Barabbam, an Jeſum, cognomento Chriſtum? Sciebat enim eum per invidiam ab eis eſſe traditum. Sedente autem eò pro tribunali, ſic ei ſignificandum curavit ejus uxor: Nihil tibi rei ſit cum innocente iſto: Multa enim ſecundum quietem paſſa ſum hodiè propter eum. Pontifices verò & Senatores plebi perſuaſerunt, ut Barabbam peterent, Jeſúmque perderent. Itaque cùm Prætor ex eis quæſiviſſet, utrum duorum vultis ut eis remittam? dixerunt, Barabbam. Et Pilatus, Quid ergò, inquit eis, faciam de Jeſu, nomine Chriſto? Cui omnes, Crucifigatur, inquiunt. Et Prætor: Quid enim mali fecit? At illi vehementiùs clamare: Crucifigatur. Igitur videns Pilatus ſe non ſolùm nihil proficere, ſed etiam majorem tumultum fieri, ſumptâ aquâ manus coram plebe lavit, dicens: Ego inſons hujus innocentis ſanguinis ſum, vos viderîtis. Et univerſus populus ſic reſpondit: Ejus ſanguinem luamus nos, noſtríque nati. Tunc ille Barabbam remiſit eis. Jeſum autem verberavit, & crucifigendum tradidit. Tum prætoriani milites Jeſum in prætorium ducunt, & ad eum totam cohortem congregant, eúmque ſpoliatum induunt chlamyde coccineâ, & contextam ex ſpinis coronam imponunt ejus capiti, & arundinem in ejus dexteram, atque ità ante eum congenulantes, illudunt ei dicentes: Salve

Salve, rex Judæorum: Eúmque conſpuunt, & ſumptâ arundine ei caput contundunt. Deindè poſtquàm ei illuſerunt, ſpoliant eam chlamyde, ipſiúſque veſtibus induunt, & in crucem tollendum abducunt. Exeuntes autem nacti ſunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, quem coëgerunt Jeſu ferre crucem. Deindè ubi venerunt in locum, nomine Golgotha, qui Calvariæ locus appellatur, dederunt ei bibere acetum cum felle mixtum: Quod ille cùm guſtâſſet, noluit bibere. Eo autem crucifixo, ejus veſtimenta ſorte jactâ diſpertiverunt, ut comprobaretur dictum illud vatis: Mea inter ſeſe veſtimenta partiti ſuper veſte mea ſortem jecerunt. Igitur ſedentes eum illic obſervabant. Poſuerunt autem ſupra caput ejus ſcriptam ejus cauſam: HIC EST JESUS REX JUDÆORUM. Tum crucifiguntur cum eo latrones duo, alter ad dexteram, alter ad ſiniſtram. Qui præteribant autem, ei maledicebant, motantes ſua capita & dicentes: Qui templum deſtruis, & triduo inſtauras, ſerva teipſum: Si Dei filius es, deſcende de cruce. Similitèr & Pontifices cum Scribis & Senatoribus illudentes, dicebant: Alios ſervavit, ſeipſum ſervare non poteſt. Si Iſraëlitarum rex eſt, deſcendat nunc de cruce, & ei credemus: Deo confidit, liberet nunc eum, ſi ei favet; quandoquidem dixit eſſe ſe Dei Filium. Atque idem ei etiam latrones cum eo crucifixi exprobrabant. A ſexta autem hora extiterunt per univerſam terram tenebræ, uſquè ad horam nonam. Circa nonam horam exclamavit Jeſus magnâ voce, dicens: Eli, Eli, lama ſabachthani; hoc eſt, Mi Deus, mi Deus, cur me dereliquiſti? Quo audito, quidam eorum qui illic aderant, dicebant eum vocare Eliam. Ac ſtatim cucurrit eorum unus, ſumptâque ſpongiâ & aceto repletâ, affixâque arundini, dabat ei bibere. At reliqui dixêre: Sine videamus an veniat Elias ſervatum eum. Jeſus autem, cùm rurſum ingenti voce clamâſſet, emiſit ſpiritum. Et ecce templi velum in duas partes à ſummo ad imum fiſſum eſt, & terra commota eſt, & ſaxa fiſſa: Et monimenta aperta: multáque corpora ſanctorum, qui obdormiverant, ſurrexerunt, qui ex monimentis egreſſi, poſt ejus reſurrectionem, ingreſſi ſunt in ſanctam urbem, & multis apparuerunt. Centurio verò, & ejus comites,

Jeſum

Jeſum cuſtodientes, viſo terræ motu, & iis quæ acciderant, vehementer territi, confeſſi ſunt eum verè Dei Filium fuiſſe.

Pro Epiſtola Eſaiæ lxiii. 1.

Feria ſecunda antè Paſcha.

QUis iſte venit ab Idumæa, rubicundis veſtimentis à Bozrâ? Iſte magnifico veſtitu, ſummâ vi incedens? Ego qui juſtè loquor, victorioſus ad ſalutem. Cur tua rubet veſtis tuáque indumenta ſimilia ſunt ejus qui torcular calcat? Prælum calcavi ſolus, neque mihi quiſquam ex populis adfuit: Cúmque eos irâ incenſus calcando contunderem, aſperſa ſanguine eorum ſunt indumenta mea, veſtitúmque meum omnem infeci. Nam mihi ulciſcendi dies in animo eſt, meorúmque redimendorum venit annus. Cúmque nullum adjutorem, nullum eſſe adminiculatorum animadvertens mirarer, victoriam mihi meo peperi lacerto, meâ mihi adminiculante bile; populóſque iratus contudi, & bile meâ inebriavi, dejecto ad terram eorum potentatu. Domini beneficentiam, Domini laudes commemorabo, pro tot ejus erga nos meritis: Tótque bona, quæ in Iſraëliticam domum, pro ſua miſericordia & beneficentia ſingulari, contulit. Quos cùm populum ſuum, filios fidem non falſuros cogitaret, eis ſe Servatorem itá præbuit, ut in tot periculis non periclitarentur, ejus apparitore angelo eos conſervante: Próque ſuo amore & indulgentiâ eos redemit, ſublatóſque olim tanto tempore pertulit. Sed illi contumaces, ejus Sancto Spiritui dolorem fecerunt: Itaquè verſus eis in hoſtem ipſe eos oppugnat. Ergò recolit priſca Moſis tempora & populi ſui: Ubi eſt qui illos eduxit ex mari per Paſtorem ſuarum ovium? Ubi eſt qui inter eos ſuum ſanctum collocavit Spiritum? Qui Moſem dexterâ ducebat, ſuo nobili brachio? Qui ad eorum adventum aquam diffidit, quo ſibi nomen compararet æternum? Qui eos per profunda duxit, ut equos in deſertis non impingentes? Quemadmodùm in planiciem pecus deſcendit, Domini Spiritus eis præbebat requiem: Sic tu tuum populum perduxiſti, ut decorum tibi nomen quæreres. Aſpice de cœlis, & vide ex tua ſacra decoráque ſede. Ubi eſt tuus impetus fortiáque facta? Tuâne erga nos tanta miſericordia atque humanitas

manitas repreſſa eſt? Atquì Tu Pater es noſter. Nam Abrahamus quidem neſcit nos, neque Iſraël nos agnoſcit: Tu, Domine, parens, tu vindex es noſter, nomine præditus antiquo. Cur nos à tuis, Domine, viis avertis? Cur mentes noſtras à Tui reverentia avocas? Reconciliare propter tuos cultores, propter hereditatis tuæ tribus. Cùm pauliſper in poſſeſſione fuerit tuus ſacer populus, hoſtes noſtri tuum conculcavêre ſacrarium. Sumus quaſi quibus tu nunquam dominatus fueris, quíque non fuerint à te denominati.

Evangelium D. Marc. xiv. 1.

CUM autem futurum eſſet Paſcha & Azyma poſt biduum, ſtudebant Pontifices & Scribæ eum fraudulentèr captum interficere: Sed id die feſto faciendum negabant, nè quis fieret populi tumultus. Et dum erat Bethaniæ in domo Simonis leproſi, eo accubante, venit mulier, habens alabaſtrum unguenti ſpicatæ nardi, precioſi, quâ, confracto alabaſtro, perfudit ejus caput. Erant autem quidam qui apud ſeſe indignabantur, atque ità dicebant: Quorſùm hæc unguenti jactura facta eſt? Poterat hoc pluſquàm trecentis denariis vendi, & in pauperes erogari. Dum illi ſic adverſùs eam fremunt, Jeſus dixit: Sinite eam: Quìd negotium ei faceſſitis? bono opere functa eſt erga me. Semper enim pauperes habebitis vobiſcum, quibus, quandocunque voletis, benefacere poſſitis: At me non ſemper habebitis. Quod potuit, hæc fecit: Anticipavit meum corpus ad ſepulturam ungere. Hoc vobis confirmo, ubicunque toto orbe publicabitur hoc Evangelium, etiam quid ea fecerit dicetur, ad ejus memoriam. Judas autem Iſcariota, unus ex duodecim, Pontifices adiit, ut eum illis traderet. Quo illi audito lætati, promiſerunt ei pecuniam ſe daturos. Itaque quærebat, quo pacto eum poſſet opportune prodere. Primo autem Azymalium die, cum Paſcha immolandum foret, ſic ei dicunt ejus diſcipuli: Ubì vis ut tibi epulandum Paſcha præparatum eamus? Tum ille diſcipulorum ſuorum duos dimittit, eíſque dicit: Ite in urbem: Occurret vobis quidam aquæ fictile portans: Eum ſequimini; & quò intraverit, ſic dicitote patri-familiâs: Quærit Magiſter ubì ſit manſio, ubì Paſcha cum diſcipulis meis pollu-

polluceam? Ipſe verò vobis ingens cœnaculum oſtendet, inſtratum ac paratum, illic nobis præparatote. Ità profecti ejus diſcipuli, venerunt in urbem: Et nacti, quæ ille eis dixerat, Paſcha præparârunt. Deindè ſub veſperum venit Jeſus cum duodecim, ac diſcumbentibus & epulantibus eis dixit: Certò ſcitote fore, ut unus ex vobis me prodat, qui mecum epulatur. Illi verò dolere cœperunt, eíque ſinguli dicere: Iſne ego ſum? Et alius: Iſne ego ſum? Quibus ille reſpondens: Unus eſt ex duodecim, inquit, qui mecum intingit in catinum. Filius quidem hominis abit, quemadmodùm de eo ſcriptum eſt. Sed væ homini illi, per quem Filius hominis prodendus eſt! Præſtaret homini illi nunquàm eſſe natum. Epulantibus autem eis, Jeſus ſumptum panem, actis laudibus, fregit, eíſque dedit, & dixit: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum. Deindè ſumptum poculum, gratiis actis, dedit eis: Biberúntque ex eo omnes: Atque ille eis dixit: Hic eſt ſanguis meus novi fœderis, pro multis effundendus: Hoc vobis certò dico, non me ampliùs bibiturum ex fœtu viteo, uſquè ad illam diem, cùm eum bibam novum in regno Dei. Deindè laudibus dictis, profecti ſunt in montem Olivarum, eiſque ſic dicit Jeſus: Vos me omnes hac nocte deſeretis: Siquidem ſcriptum eſt: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves. Sed poſtquàm reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. At Petrus dixit ei: Etiamſi omnes deſerant, at ego non itém. Cui Jeſus: Hoc tibi confirmo, inquit, fore & hodiè, in hac nocte, priuſquàm bìs gallus cantet, tu me tèr abneges. At ille multò magìs dicere: Imò etiamſi me unà tecum mori oporteat, non abnegabo te: Itidémque etiam omnes alii dicebant. Deindè ubì venerunt in locum, cui nomen eſt Gethſemane, dixit ſuis diſcipulis: Sedete hìc, dum ego oratum eo: Aſſumtíſque unà ſecum Petro & Jacobo & Johanne, cœpit turbari atque angi, eíſque dixit: Præ animi dolore emorior: Manete hìc, & vigilate. Tum paululùm progreſſus, procidit humi, oravítque ut, ſi fieri poſſet, horam illam declinaret: Et, Abba, pater, inquit, omnia tu potes: Averte hoc à me poculum: Verùm non quod ego volo, ſed quod Tu. Deinde venit, & eos dormientes nactus, dicit Petro: Simon, dormis? non potuiſti unam

unam horam vigilare? vigilate & orate, ne veniatis in tentationem: Spiritus quidem promptus eſt, ſed caro infirma. Deindè rurſus oratum ivit, eadémque verba dixit: Ac reverſus, eos rurſùm dormientes offendit: Eorum oculis ità gravatis, ut neſcirent quid ei reſponderent. Deindè tertiò venit; &, Dormite jam, inquit, & requieſcite: Satìs eſt, venit hora, ecce traditur Filius hominis in manus improborum. Surgite, eamus; En! qui me prodit, adventat. Et protinùs, adhuc eo loquente, advenit Judas, qui unus erat ex duodecim, comitante frequenti multitudine cum gladiis & fuſtibus, à Pontificibus & Scribis ac Senatoribus. Dederat autem illis ejus proditor ſignum, dicens: Quem oſculatus fuero, is eſt: Eum capite, & tutò abducite. Igitur ſimulac venit, eum adit, & ei dicit: Magiſter, magiſter: Eúmque deoſculatus eſt. Illi verò in eum manus injecerunt, eumque ceperunt. Quidam autem eorum qui aderant, ſtricto enſe, percuſſit Pontificis ſervum, eíque abſtulit auriculam. Et Jeſus illos ſic eſt allocutus: Tanquàm ad latronem exiiſtis cum gladiis & fuſtibus, ad me comprehendendum? Quotidiè eram apud vos in fano docens, neque me cepiſtis: Sed ea fieri oportet quæ ſcripta ſunt. Tum omnes, eo relicto fugerunt. Cúmque adoleſcens quidam eum ſequeretur, linteo nudum corpus indutus, adoleſcentes eum ceperunt. Ille verò, relicto linteo, nudos eos effugit. Abduxerunt autem Jeſum ad Pontificem, ad eúmque convenerunt omnes Pontifices, & Senatores, atque Scribæ. Eum procùl ſecutus Petrus uſquè in Pontificis atrium, unà cum famulis reſidet, ſéque ad ignem calefacit. Pontifices verò, totúſque conſeſſus, quærebant contra Jeſum teſtimonium, ut eum morte mulctârent, nec inveniebant. Nam multi quidem adverſus eum falſa teſtificabantur, ſed conſentanea non erant teſtimonia. Et quidam extiterunt, qui contra eum falſa teſtabantur, ità dicentes: Nos eum audivimus dicentem, ſe templum hoc manufactum eſſe diſſoluturum, & triduo aliud non manufactum extructurum. Sed nè ſic quidem conſentanea erant eorum teſtimonia. Tum Pontifex in medium ſurrexit, & Jeſum ſic interrogavit, Nihílne reſpondes? quid eſt, quod hi contra te teſtantur? At Jeſus ſilebat, nihílque reſpondebat. Rursùm Pontifex eum

hujuſ-

hujuſmodi verbis interrogavit: Túne es Chriſtus benedicti Dei Filius? Et Jeſus, Sum, inquit: Et videbitis hominis Filium ſedentem ad dexteram potentiæ, & cum cœleſtibus venientem nubibus. Tum Pontifex lacerare ſuas veſtes: Quid adhuc nobis opus eſt teſtibus? inquit: Audiviſtis impiam vocem. Quid vobis videtur? Illi verò eum omnes ut morte dignum damnârunt: cœperuntque eum quidam conſpuere, eíque faciem obvelare, & colaphos impingere, & dicere, Divina: Eique alapas impingebant miniſtri. Cum eſſet autem Petrus infrà in atrio, venit quædam ancillarum Pontificis, & viſo Petro ſe calefaciente, intuita eum, dicit: Tu quoque cum Nazareno Jeſu eras. At ille negavit, ità dicens: Neſcio, nec intelligo quid dicas. Deindè foràs in veſtibulum egreſſus eſt, & gallus cecinit. Et ancilla, eo viſo, rurſum cœpit dicere eis qui aderant, eum ex illis eſſe. At ille rursùm negavit. Paulò pòſt rursùm qui aderant, dicunt Petro: Profectò tu ex illis es: Nam Galilæus es, & locutio tua congruit. At ille cœpit deteſtari & jurare, ſeſe non noviſſe hominem illum, quem illi dicerent: Et iterùm gallus cecinit. Tum Petrus recordatus ejus, quod ei dixerat Jeſus, fore ut priuſquàm bis caneret gallus, tèr eum negaret, cœpit flere.

Feria tertia ante Paſcha.

Pro Epiſtola Eſaiæ l. 5.

DOminus Deus mihi aurem aperit, nec ego contumax retrocedo. Tergum meum verberantibus, genáſque vellicantibus præbeo, faciem meam ignominiis, ſputóque non ſubtraho: Et Dominus Deus mihi ſuccurrit; undè fit, ut inturbatus vultum præbeam marmoreum, certus non me fruſtratum iri. Adeſt qui me abſolvat: Si cui mecum lis eſt, congrediamur: Si quis mecum habet cauſam, accedat ad me. Cùm Dominus Deus me adjuvet, quis me condemnet? Cùm futurum ſit ut omnes ritu veſtis obſoleſcant, à tineis corroſi. Quis veſtrûm Dominum reverens obedit ejus ſervo, qui in tenebris graditur, ſplendoris expers? Confidat Domini nomini, ſuo nixus Deo. En! vos omnes ignem incenditis, ſcintillis circumjecti; ite in ignis veſtri lumine, ínque ſcintillis quas accendiſtis: Hoc vos ex mea manu habentes in dolore jacebitis.

Evan-

Evangelium D. Marc. xv. 1.

MAnè protinùs inito conſilio, Pontifices unà cum Senatoribus & Scribis, totúſque conſeſſus, Jeſum colligant, abductúmque Pilato tradunt. Eum Pilatus interrogavit: Túne es Judæorum rex? Cui ille reſpondens: Ut tu dicis, inquit. Cúmque eum vehementèr accuſarent Pontifices; ipſe nihil reſpondit. Pilatus eum rursùs his verbis interrogavit: Nihílne reſpondes? Vide quanta contra te teſtificentur. At Jeſus nihil ampliùs reſpondit, adeò ut miraretur Pilatus. Solebat autem in illis feſtis, eis laxare unum vinctum, quemcunque poſtulâſſent. Erat quidam, nomine Barabbas cum ſeditioſis vinctus, qui in ſeditione cædem fecerant. Itaque cœperunt vulgò clamantes id exigere, quod ille ſempèr eis erat facere ſolitus. Et Pilatus ſic eis reſpondit: Vultis ut vobis Judæorum regem ſolvam? ſciebat enim eum per invidiam à Pontificibus eſſe traditum. Pontifices verò plebem inſtigârunt, ut ſibi Barabbam potiùs ab illo laxari poſtularent. Et Pilatus rursùs eos alloquens: Quid ergo vultis, inquit, ut de eo faciam, quem Judæorum regem dicitis? At illi denuò clamabant: Crucifige eum. Et Pilatus, Quid enim mali fecit? inquit eis. At illi eò acriùs clamare: Crucifige eum. Igitur Pilatus volens plebi ſatisfacere, laxavit eis Barabbam, Jeſúmque, verberatum, eis crucifigendum tradidit. Et milites, eo in atrium, hoc eſt, prætorium, abducto, totam cohortem convocant, eúmque purpurâ induunt, & ei implexam ſpineam coronam imponunt, eúmque ſic ſalutare incipiunt: *Salve, rex Judæorum*: Ejúſque caput arundine tundunt, in eum conſpuunt, ac poſitis genibus venerantur. Deindè, poſtquàm ei illuſerant, ſpoliant eum purpurâ, ipſiúſque veſtimentis induunt. Tùm crucifigendum educunt: Et prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum, rure venientem, Alexandri, Rufique patrem, cogunt ejus ferre crucem: Eúmque ad locum Golgotha ducunt, quod Calvariæ locum ſignificat: Et ei myrrhinum vinum bibere dant, id quod ille non accepit. Eo autem crucifixo, partiti ſunt ejus veſtimenta, jactâ ſuper eis ſorte, quid quíſque auferret. Erat hora tertia cum eum crucifixerunt, inſcripto hoc ejus criminis titulo: REX JUDÆORUM. Et cum eo latrones duos, alterum ad dextram, alterum

ad ſiniſtram, crucifixerunt. Ità comprobatum eſt ſcriptum illud, quod ſic habet: Et inter ſceleratos habitus eſt. Prætereuntes autem ei maledicebant, capita quaſſantes, & dicentes: Vah! qui templum diſſolvis, & triduo inſtauras, ſerva teipſum, & de cruce deſcende. Similitèr & Pontifices inter ſeſe illudentes, cum Scribis dicebant: Alios ſervavit, ſeipſum ſervare non poteſt. Chriſtus ille Iſraëlitarum rex deſcendat nunc de cruce, ut, eo viſo, credamus. Itèm qui cum eo erant crucifixi, convicium ei faciebant. Horâ ſextâ autem extiterunt per totam terram tenebræ, uſquè ad horam nonam. Ac horâ nonâ exclamavit Jeſus magnâ voce dicens: Eloi, Eloi, lama ſabachthani: Quorum verborum hæc notio eſt: Mi Deus, mi Deus, cùr me dereliquiſti? Quo audito, quidam eorum qui aderant, dicebant eum Eliam vocare. Quidam autem accurrit, & impletâ aceto ſpongiâ, arundiníque affixâ, ei bibere dat, dicens: Sinite; videamus an eum ereptum veniat Elias. Et Jeſus, emiſsâ magnâ voce expiravit; & templi velum à ſummo ad imum in duas partes fiſſum eſt. Ac videns Centurio, qui ei ex adverſo aſtabat, cum ità clamantem expirâſſe, dixit: Profectò hic homo Filius erat Dei.

Feria quarta ante Paſcha.

Epiſtola Heb. ix. 16.

UBI eſt teſtamentum, teſtatoris mortem conſequi neceſſe eſt. Teſtamentum enìm poſt mortem ratum eſt: Siquidèm nondùm valet, dum vivit teſtator. Itaque nè primùm quidem ſine ſanguine ſancitum eſt. Effatus enìm omnia mandata ex lege Moſes univerſo populo, ſumpto vitulorum & hircorum ſanguine, cum aqua & lana coccina ac hyſſopo, ipſum librum & univerſum populum conſperſit, dicens: Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod ad vos mandavit Deus. Tabernaculum quoque, & omnem ceremoniarum ſupellectilem, ſanguine ſimilitèr conſperſit. Et ferè ſanguine omnia ex lege purgantur, nec abſquè ſanguinis fuſione datur venia. Neceſſe eſt ergò, cœleſtium exempla hìſce purgari: Ipſa autem cœleſtia potioribus ſacrificiis, quàm ſunt hæc. Non enìm in manufactum ſanctuarium ingreſſus eſt Jeſus, quod veri ſanctuarii exemplar foret: Sed in ipſum cœlum, ut nunc Deo coràm appareat

appareat pro nobis. Neque ut ſæpè ſeipſum libaret, quemadmodùm pontifex ingreditur ſanctuarium quotannis, adhibito ſanguine alieno: Alioquin fuiſſet ei ſæpè patiendum ſupplicium ab orbe condito. Nunc ſemèl ſub ſeculorum exitu, ad oblitterandum ſuo ſacrificio peccatum extitit. Ac quomodò hominibus ſemel moriendum eſt, deindè ſubeundum judicium: Ità Chriſtus ſemel ad multorum tollenda peccata libatus, iterùm ſine peccato conſpicietur expectantibus ſe ad ſalutem.

Evangelium D. Luc. xxii. 1.

INſtabat autem Azymorum feſtum, quod Paſcha dicitur, & quærebant Pontifices & Scribæ ejus interficiendi modum: Timebant enim plebem. Intravit autem Satanas in Judam, cognomine Iſcariotam, qui erat ex duodecim numero. Itaque is pontifices & antiſtites aggreſſus, verba cum eis fecit, quo pacto eum traderet eis. Quo lætati illi, pacti ſunt ei ſe daturos argentum. Itaque pollicitus quærebat opportunitatem eum illis ſine turba tradendi. Poſtquàm autem venit Azymorum dies, in quo immolandum erat Paſcha, miſit Jeſum Petrum & Johannem; Ite, inquit, paratum nobis Paſcha, ut polluceamus. Et illi, Ubi vis paremus? inquiunt ei. Quibus ille: Simulac in urbem intraveritis, inquit, incidetis in hominem aquæ fictile ferentem: Eum ſequimini in domum quò ingreditur, & ſic ejus domûs patri-familiâs dicitote: Quærit ex te magiſter, ubinam ſit manſio, ubi Paſcha cum ſuis diſcipulis polluceat? Atquè ille vobis cœnaculum ingens inſtratum oſtendet: Illìc paratote. Igitur digreſſi, & quæ ille eis prædixerat nacti, parârunt Paſcha. Ac poſtquam venit hora, accubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo, eoſque ſic allocutus eſt: Hujus vobiſcum pollucendi Paſchatis cupiditate ductus ſum, antequàm ſupplicio afficiar. Hoc enìm ſic habetote, me eo non polluctꝛurum eſſe, donec in Dei regno compleatur. Tum, ſumpto poculo, actíſque gratiis, dixit: Accipite hoc, & inter vos dividite. Scitote enim, non antè me bibiturum eſſe de fructu vitis, quàm Dei regnum veniat. Item ſumptum panem actis gratiis fregit, eíſque dedit, dicens; Hoc eſt corpus meum, pro vobis dandum: Hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculum, poſtquàm

cœnatum eſt, dicens: Hoc poculum eſt novum fœdus, quod fit per meum ſanguinem, qui eſt pro vobis effundendus. Cæterum ſcitote mei proditoris manum eſſe mecum in menſa. Et filius hominis quidèm abit, ut eſt definitum: Verùm væ homini illi, per quem prodendus eſt. Illi verò cœperunt inter ſeſe quærere, quíſnam eorum foret, qui id facturus eſſet. Extitit etiàm inter eos contentio, quis eorum maximus eſſe videretur. At ille; Gentium reges, inquit eis, in eas dominantur: Quíque eis imperant, gubernatores appellantur. Ac vos non itá: Quin veſtrûm maximus, perindè ſit ac minimus: Et qui præeſt, perindè ac qui miniſtrat. Uter enim major eſt? qui accumbit, an qui miniſtrat? nónne qui accumbit? Atquì ego ſum inter vos perindè ac qui miniſtrat. Vos verò ii eſtis qui mecum permanſeritis in meis adverſis; & ego regnum, quemadmodùm mihi pater meus legavit, ſic vobis lego, ut comedatis & bibatis in mea menſa in regno meo, & in tribunalibus ſedeatis, jus dicentes duodecim tribubus Iſraëlitarum. Dixit itèm Dominus: Simon, Simon, conatus eſt quidem Satanas cribrare vos ut frumentum: Verùm ego pro te oravi, nè te fides deficeret. Tu viciſſim aliquandò recreatus, confirmato fratres tuos. At ille, Domine, inquit ei, tecùm paratus ſum & carcerem & mortem adire. Et ille, Sic habeto, Petre, inquit: Non priùs gallum hodiè cantaturum, quàm tu, me tibi notum eſſe, tèr negaveris. Cæterùm dum vos ſine crumena, inquit eis, & pera, & calceis dimiſi, num quâ re caruiſtis? nullâ inquiunt. At nunc, inquit eis, & crumenam qui habet ferat, itidémque peram: Et qui gladium non habet, vendat ſuum pallium & emat. Scitote enim, in me comprobandum adhùc eſſe ſcriptum illud: Et inter nefarios habitus eſt. Habent enim meæ res finem. Et illi: Domine, ecce hìc duo gladii. Satìs eſt, inquit eis. Tum egreſſus contendit de more in Olivarum montem, eúmque ſecuti ſunt diſcipuli. Atque ubi ad locum venit, dixit eis: Orate, ne in tentationem veniatis. Tum ab eis fermè ad lapidis jactum digreſſus, poſitis genibus, precatus eſt hujuſmodi verbis: Pater, averte, ſi vis, hoc à me poculum; quanquàm non mea, ſed tua voluntas fiat. Apparuit autem ei angelus de cœlo, qui eum con-

firmaret.

firmaret. Atque ille cùm eſſet in æſtu, contentiùs orabat, & ſudore manabat ſimili ſanguineis guttis, ad terram delabentibus. Deindè precatus ſurrexit, & ad ſuos diſcipulos venit, quos præ ægritudine dormientes nactus, dixit eis: Quid dormitis? ſurgite, orate, ne in tentationem veniatis. Atque, adhùc eo loquente, ſupervenit hominum turba, quibus is, qui Judas dicebatur, unus ex duodecim, præibat. Is ad Jeſum oſculandum acceſſit: Et Jeſus ſic eum allocutus eſt: Juda, túne oſculo Filium hominis prodis? Videntes autem ſui quid futurum eſſet, dixerunt ei: Domine, feriemúſne gladio? percuſsítque quidam eorum pontificis ſervum, eíque dexteram abſcidit auriculam. Et Jeſus reſpondens: Sinite hactenùs, inquit: Et, tactâ illius auriculâ, eum ſanavit. Dixit autem Jeſus eis qui ſe invaſerant, pontificibus, & ſani antiſtitibus, ac ſenatoribus: Tanquàm ad latronem exiiſtis cum gladiis & fuſtibus. Cum quotidiè eſſem apud vos in ſano, non injeciſtis mihi manus: ſed hæc veſtra eſt hora, & tenebrarum ponteſtas. At illi eum comprehenſum duxerunt, & in pontificis domum introduxerunt. Petrus autem procùl ſequebatur. Cúmque illi ignem in medio atrio incendiſſent & conſediſſent, ſedebat etiam Petrus inter eos Eum ſedentem ad ignem conſpicata & intuita quædam ancilla, dixit: Hïc quoque cum eo erat. At ille eum negavit, dicens: Mulier, non novi eum. Itèm paulò poſt alius eo viſo dixit: Et tu ex eis es. At Petrus, Homo, inquit, non ſum. Deindè, interpoſitâ unâ ferè horâ, alius quidam ſic affirmabat: Profectò hic quoquè cum eo erat, etenìm Galilæus eſt. At Petrus, Homo, inquit, neſcio quid dicas. Tum ſtatim, eo adhuc loquente, cecinit gallus: Et converſus Dominus Petrum aſpexit, & Petrus Domini dictum recordatus, qui ei fore dixerat, ut, priuſquàm gallus caneret, eum ter negaret, foras egreſſus acerbè flevit. Jeſum autem qui tenebant homines, illudebant, verberantes: Eóque velato, tundebant ei faciem, & ità interrogabant: Divina, quis ſit qui te percuſſit: Atque alia multa contumeliosè dicebant in eum. Deindè, orto die, coïvit populi Senatus, Pontifices & Scribæ, & ei in ſuum conſeſſum adducto ſic dixerunt: Dic nobis, an tu Chriſtus ſis. Quibus ille: Si vobis dixero, non credetis:

 Quod

Quòd ſi vos etiàm interrogavero, non mihi reſpondebitis, aut me abſolvetis. Futurum eſt, ut ſedeat Filius hominis ad dexteram potentis Dei. Tu igitur Dei Filius es? inquiunt omnes. Et ille, Sum quem vos eſſe me dicitis, inquit eis. Tùm illi, Quid jam nobis teſtimonio opus eſt, inquiunt, cùm ipſi ex ejus ore audiverimus?

Feria quinta ante Paſcha.

Epiſtola I Cor. xi. 17.

HOC autem admonens non laudo, quòd non utilitèr, ſed damnosè convenitis. Primùm enim, convenientibus vobis in concionem, audio diſſidia in vobis eſſe, & nonnihil credo: Oportet enim in vobis factiones eſſe, ut fiant probi inter vos manifeſti. Igitur cùm eodèm coitis, iſtud non eſt Dominicam epulari cœnam, cùm ſuam quiſque cœnam antecapiat comedendo, & hic eſuriat, ille ſit ebrius. Númnam domos non habetis ad edendum ac bibendum? an divinam concionem contemnitis, & egenos pudore afficitis? Quid vobis dicam? laudem vos? in hoc non laudo. Nam (quemadmodùm ego & à Domino accepi, & vobis tradidi) Dominus Jeſus, quâ nocte prodebatur, ſumptum panem, actis gratiis, fregit, ac dixit: Sumite, comedite; hoc meum corpus eſt, pro vobis frangendum, hoc facitote ad mei memoriam. Similiter & poculum poſtquàm cœnavit, dicens: Hoc poculum eſt novum fœdus, per meum ſanguinem: Hoc facitote, quotiès bibetis ad mei memoriam. Quotiès enim hoc pane veſcemini, & hoc poculum bibetis, mortem Domini indicabitis, donèc veniat. Itaque quiſquis indignè panem hunc comederit, aut Domini poculum biberit, pœnas dabit, ob Domini corpus atque ſanguinem. Prolindè exploret homo ſeipſum, atque ita de pane comedat, & de poculo bibat. Nam qui indignè comedit & bibit, damnationem ipſe ſibi comedit & bibit, de Domini corpore non rectè judicans. Propterea apud vos multi ſunt ægri & infirmi, & frequentes obdormiverunt. Si enim de nobis ipſi rectè judicaremus, non puniremur: Dum punimur autem, à Domino caſtigamur, nè cum mundo damnemur. Quocircà, fratres mei, dum ad comedendum convenitis, alius alium expectate. Quòd ſi quis eſurit, domi cibum capiat, nc ad pœnam conveniatis.

veniatis. Reliqua, cùm venero, componam.

Evangelium D. Luc. xxiii. 1.

IGitur ſurrexit omnis eorum multitudo, & eum duxit ad Pilatum, eúmque accuſare inſtiterunt, dicentes, ſe ab eo gentem everti deprehendiſſe, & Cæſari tributa ſolvi vetare, dicentem ſe Chriſtum eſſe regem. Et Pilatus eum interrogavit, dicens: Túne Judæorum rex es? Cui ille reſpondens: Ut tu dicis, inquit. Pilatus verò Pontificibus, & hominum multitudini negavit, ullum ſe in eo homine crimen deprehendere. At illi urgere: Excitat populum, inquiunt, docens per totam Judæam, exorſus à Galilæa hucuſque. Hìc Pilatus, auditâ Galilæâ, quæſivit an homo Galilæus eſſet. Ac poſtquàm eum ditionis Herodis eſſe cognovit, miſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis per eos dies erat. Herodes, viſo Jeſu, magnoperè lætatus eſt, quippe qui eum jamdiù videre cuperet (quòd multa de eo audiebat) & ſe aliquid ab eo prodigiosè fieri viſurum ſperaret. Verùm licèt eum multis de rebus interrogaverit, ille nihil ei reſpondit: Quamvis etiàm Pontifices & Scribæ qui aderant, eum acriter accuſarent. Itaque deſpicatus eum Herodes, cum ſuis militibus, ac ludificatus, indutum veſte ſplendidâ Pilato remiſit. Factíque ſunt inter ſeſe amici Pilatus & Herodes eo ipſo die. Nam anteà inter eos intercedebat ſimultas. Pilatus autem convocatos Pontifices & magiſtratus ac populum ſic allocutus eſt: Adduxiſtis hunc hominem mihi, tanquàm qui populum avertat: atqui ego in veſtra præſentia examinans, nullum eorum crimen in hoc homine deprehendi, quibus vos eum accuſatis. Sed nec Herodes, ad eum enim miſi vos, & videtis nihil morte dignum ab hoc factum eſſe. Itaque eum caſtigabo ac relaxabo. Habebat autem neceſſe eis unum relaxare per feſtum. Igitur illa univerſa multitudo exclamârunt, ut eum tolleret, ſibíque Barabbam remitteret, qui fuerat propter ſeditionem quandam in urbe factam, & cædem, conjectus in carcerem. Cúmque rurſum Pilatus Jeſum abſolvere volens, clamâſſet, illi ſic reclamare: Crucifige, crucifige eum. Quid enim is mali fecit? inquit eos tertiùm alloquens: Nullum in eo capitale crimen deprehendi. Itaquè eum caſtigabo & abſolvam. At illi magnis clamoribus inſtare, flagitantes

ut

ut is crucifigeretur, gliſcentibus eorum, Pontificúmque vocibus. Itaquè Pilatus eorum poſtulata facere decrevit: Eíſque eum, qui propter ſeditionem & cædem fuerat in cuſtodiam datus & quem flagitabant, abſolvit: Jeſum autem eorum arbitrio tradidit. Hòc illi abducto, Simonem quendam Cyrenæum, rure venientem, comprehenderunt, eíque crucem poſt Jeſu tergum ferendam impoſuerunt. Sequebatur autem eum ingens hominum multitudo, & mulierum, quæ plangebant, eúmque lamentabantur. Ad quas Jeſus converſus dixit: Hieroſolymitanæ fœminæ, nè me deplorate, ſed vos, veſtróſque natos deplorate. Nam ſcitote fore tempus, quo beatæ dicentur ſteriles, & uteri, qui non genuerint, & ubera quæ non lactaverint; cùm quidem eò venietur, ut dicant homines montibus, Corruite in nos: & collibus, Obruite nos: Nam ſi viridi arbori fiunt hæc, aridæ quid fiet? Ducebantur autem etiam alii duo facinoroſi, cum eo interficiendi. Atque ubì ad locum ventum eſt, qui Calvaria vocatur, illi eum ibi, & facinoroſos, alterum ad dexteram, alterum ad ſiniſtram, crucifixerunt. Et Jeſus, Pater, inquit, ignoſce eis; neſciunt enim quid faciant. Illi verò ejus veſtimenta ſorte jactâ partiti ſunt. Aſtabátque ſpectans populus, ac magiſtratus quoque eum cum eis deridebant: Alios ſervavit, inquiebant, ſervet ſeipſum ſi is Chriſtus eſt Dei electus. Accedebant etiàm milites, qui ei illuderent, & acetum ei offerebant, &, Si tu Judæorum Rex es, inquiebant, ſerva teipſum. Erat & titulus ſupra eum, Græcis, Romanis, & Hebraicis literis ſcriptus, HIC EST JUDÆORUM REX. Atque unus pendentium facinoroſorum ei maledicebat, ita dicens; Si tu Chriſtus es, ſerva & teipſum & nos: At alter contrà ſic eum objurgare; An tu Deum non metuis, qui ſis in eodem ſupplicio? At nos quidem meritò, nam noſtris digna factis accipimus: at hic nullum facinus commiſit. Tum ad Jeſum, Memento mei, Domine, inquit, cum veneris in regnum tuum. Cui Jeſus, Hoc tibi confirmo, inquit, te hodiè fore mecum in Paradiſo. Erat autem hora ferè ſexta, & tenebræ per totam terram extiterunt uſque ad horam nonam: & ſol infuſcatus eſt, & templi velum medium fiſſum eſt: Et Jeſus clamans ingenti voce, dixit: Pater, in manus

tuas commendo ſpiritum meum: Atque, hæc locutus, expiravit. Eâ re viſâ, centurio Deo gloriam tribuit, dicens: Profectò hic homo juſtus erat. Et omnis hominum multitudo, qui ad hoc ſpectaculum venerant, videntes quæ facta forent, tundentes ſua pectora reverſi ſunt. Aſtabant autem omnes ejus noti procul, necnon fœminæ, quæ eum fuerant à Galilæa ſecutæ, ea aſpicientes.

Paraſceve magna, ſeu Dies Paſſionis Domini.

COLLECTA.

QUæſumus, Omnipotens Deus, familiam hanc tuam clementer reſpice, pro qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſe prodi, dedique in improborum manus, & morte crucis affici, facile paſſus eſt, qui nunc vivit & regnat unà Tecum, & cum Spiritu Sancto, ſemper unus Deus in diem ſempiternum. *Amen.*

OMnipotens & ſempiterne Deus, cujus Spiritu univerſum Eccleſiæ corpus regitur, ſanctumque efficitur, ſupplicationes & preces noſtras pro cujuſcunque ordinis hominibus, qui in tuam Eccleſiam cooptantur, oblatas tibi admitte; ut quiſque ſicut ſuæ convenit vocationi, & miniſterio Tibi ſincerè & piè ſerviat, per Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

MIſericors Deus, qui univèrſum genus hominum creâſti, quíque nihil eorum, quæ condidiſti, odio proſequeris, cui impium mori non placet, ſed eum ſe corrigentem vivere; tuâ erga Judæos, Turcas, infideles, Hæreticóſque omnes clementiâ utere; omníque ignorantiâ, pervicaciâ, tuíque Verbi contemptu iis adempto, ità eos, miſericors Domine, ad tuum gregem redire facias; ut inter reliquias veri Iſraëlis evadant, fiántque unum ovile ſub uno Paſtore, Jeſu Chriſto Domino noſtro, qui vivit & regnat unà Tecum, & cum Spiritu Sancto, unus Deus, in perpetua ſecula. *Amen.*

Epiſtola Heb. x. 1.

UMbram enìm habens lex futurorum bonorum, non ipſam rerum repræſentationem, anniverſariis iiſdem ſacrificiis, quæ jugiter fiunt, nunquam poteſt accedentes perfectos reddere. Alioquin nónne fieri deſiiſſent, quòd ſemel purgati immolatores nullius jam ſibi peccati eſſent conſcii? Atqui

per

per ea ſit quotannis peccatorum commemoratio. Fieri enim non poteſt, ut taurorum, caprorúmque ſanguis peccata tollat. Itaquè in mundum ingrediens dicit; Sacrificium & fertum tibi non placet, Corpus autem perfeciſti mihi: Victimis & piaculis non delectaris. Tunc dixi; En adſum: In capite libri ſcriptum eſt de me, ut exequar, Deus, voluntatem tuam. Cùm ſuperiùs dixiſſet, ſacrificium, & fertum & victimas, & piacula tibi non placere, nec accepta eſſe, quæ ex lege fiunt; deindè dicit, En adſum, ut exequar, Deus, voluntatem tuam. Tollit prius, ut alterum ſtatuat: In qua voluntate ſemel luſtrati ſumus per Corporis Jeſu Chriſti libationem. Cúmque omnis ſacerdos pergat quotidiè ceremoniis fungi & eadem ſæpè ſacrificia facere, quæ peccata adimere nunquàm poſſunt: Ille, uno pro peccatis functus in perpetuum ſacrificio conſedit ad Dei dextram, deinceps expectans, donec ejus hoſtes fiant ejus pedum ſubſellium. Uno enìm libamento perfecit in perpetuum luſtrandos: Id quod nobis teſtatur etiam Spiritus Sanctus, qui ità prædixerit: Hoc eſt teſtamentum, quod cum eis faciam poſt illud tempus, inquit Dominus: Indam meas leges in eorum mentes, ínque eorum animos inſcribam, nec eorum peccata & ſcelera deincèps recordabor. Ubi autem eſt peccatorum venia, nulla ſupereſt pro peccato libatio. Quamobrem fratres, cùm ad ſanctuarium aditum habeamus liberum, per Jeſu ſanguinem, quam viam nobis luſtravit recentem atque vivam, per velum, hoc eſt, per ſuum corpus: Cúmque pontificem habeamus, Dei domui præfectum. accedamus cum vero animo, plenáque fide, & animis à mala conſcientia ablutis, & corporibus aquâ purâ lotis; teneamus ſpei profeſſionem immobilem (fidelis enim eſt qui promiſit) & videamus ut alii alios ad charitatem & rectè facta provocemus: Néve noſtram conſociationem deſeramus, ut ſolent nonnulli, ſed cohortemur, ídque eò magis, quòd videtis inſtare diem.

Evangelium D. Johan. xix. 1.

TUNC ergo cepit Pilatus Jeſum, ac verberavit: Et milites implexam ex ſpinis coronam impoſuerunt ejus capiti, eúmque purpureâ togâ induerunt, atque ita dicebant: *Salve, rex Judæorum*; eíque alapas impingebant. Deindè rurſùs exit Pilatus,

Pilatus, & illos ſic alloquitur: En vobis eum foràs adduco, ut ſciatis, me nullum in eo comperire crimen. Ac, egreſſo foràs Jeſu, ſpineam coronam, purpureámque togam ferente, dixit eis Pilatus: Ecce homo! At Pontifices & miniſtri, eo viſo, exclamare; Crucifige, crucifige. Quibus Pilatus, Capite eum vos, inquit, & crucifigite, nam ego crimen in eo non deprehendo. At Judæi contrà, Nos legem habemus, inquiunt ei, ex qua lege noſtra debet mori, quoniam ſe Dei Filium fecit. Hâc voce auditâ, Pilatus magìs timuit; &. rursùs in prætorium ingreſſus, dixit Jeſu, Undè es tu? At Jeſus ei reſponſum non dedit. Itaque Pilatus ſic eum affatur; Mihi non eloqueris? Neſcis me poteſtatem habere tui vel crucifigendi, vel abſolvendi? Reſpondit Jeſus; Non haberes ullam in me poteſtatem, niſi id tibi ſupernè datum foret: Itaque qui me tibi tradidit, in majore culpa eſt. Ex eo ſtudebat Pilatus eum abſolvere. At Judæi reclamare; Si iſtum abſolvis, non es Cæſaris amicus: Quicunque ſe regem facit, contravenit Cæſari. Hâc auditâ voce, Pilatus Jeſum foràs eduxit, & pro tribunali ſedit, in loco qui Lapidipavium appellatur, Hebraicè autem Gabbatha. Cùm quidem eſſet Paſchatis præparatio, horâ ferè ſextâ, atque ita Judæos alloquitur: Ecce rex veſter! Ac illi acclamare; Tòlle, tolle, crucifige eum. Regem ego veſtrum crucifigam? inquit eis Pilatus. Cui Pontifices reſponderunt; Non habemus regem, niſi Cæſarem. Tum demùm eum illis crucifigendum tradidit. Et illi Jeſum acceptum abduxerunt: íſque, ſuam ferens crucem, profectus eſt in locum Calvariæ appellatum, qui dicitur Hebraicè Golgotha; ubì eum crucifixerunt & unà cum eo hinc atque hinc duos alios, Jeſum autem medium. Scripſit autem titulum Pilatus quem cruci impoſuit, in quo ità ſcriptum erat; JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Hunc titulum cùm multi Judæorum legiſſent (nam prope urbem erat is locus, ubì in crucem ſublatus eſt Jeſus, & ſcriptum erat Hebraicè, Græcè, & Latinè) monuerunt Judæorum Pontifices Pilàtum, ne ſcriberet Judæorum regem, ſed, qui ſe Judæorum regem eſſe dixiſſet. At Pilatus reſpondit; Quod ſcripſi, ſcripſi. Igitur milites, poſtquam Jeſum cruci affixerunt, ejus veſtimenta ceperunt, (& ex eis quatuor partes

tes fecerunt, ſingulis militibus unam) itémque tunicam: Erat autem tunica inconſuta, à ſummo tota contexta. Itaque commonuerunt inter ſeſe, non eſſe dividendum, ſed de ea ſortiendum, cujus eſſet: Ut fieret quod in ſcripto illo habetur; Partiti ſunt inter ſeſe mea veſtimenta, & ſuper veſte mea ſortem jecerunt. Atque hæc quidem fecêre milites. Aſtabant autem apud Jeſu crucem ejus mater, & matris ſoror, Maria Cleophæ conjux, & Maria Magdalena. Jeſus igitur conſpicatus matrem, & aſtantem diſcipulum quem amabat, dicit matri ſuæ, Mulier, ecce filius tuus! Deinde dicit diſcipulo, Ecce mater tua! Atque ex illa hora recipit eam diſcipulus ad ſe. Poſteà ſciens Jeſus omnia jam perfecta eſſe, ut perficeretur quod ſcriptum erat, dicit; Sitio. Jacebat autem ibi vas aceti plenum: Itaque illi oppletam aceto ſpongiam, & hyſſopo affixam, admoverunt ejus ori. Et Jeſus, aceto ſumpto, dixit; Peractum eſt: Ac, inclinato capite, emiſit ſpiritum. Judæi verò, quandoquidem erat Præparatio, ne manerent in cruce corpora Sabbato (erat enim celebris illa dies Sabbati) Pilatum rogârunt, ut eorum crura frangerentur, iique auferrentur. Itaque venerunt milites, & prioris quidem crura fregerunt, itémque alterius cum eo crucifixi. Sed ubi ad Jeſum ventum eſt, ut eum viderunt jam mortuum, non fregerunt ejus crura: Sed unus militum lanceâ latus ejus pupugit, ac continuò exierunt ſanguis & aqua. Atque hoc idem, qui vidit, teſtatur, éſtque verum ejus teſtimonium: iſque ſe vera dicere ſcit, ut vos quoque credatis. Acciderunt enim hæc, ut ſcriptum illud comprobaretur; Nullum ejus os frangetis. Itémque aliud ſcriptum ait; Intuebuntur quem compunxerint.

Vigilia Paſchatis.

COLLECTA.

CONcede, Domine, ut, quemadmodùm ad mortem Filii tui beati, Servatoris noſtri, Jeſu Chriſti baptizati ſumus, ita continenter pravas noſtras libidines necando, unà cum eo ſepeliamur; útque per ſepulchrum, Orcique portas ad lætam noſtram reſurrectionem migremus, propter merita illius, qui mortuus & ſepultus eſt, & pro nobis reſurrexit, Filii tui Jeſu Chriſti, Domini noſtri. *Amen.*

Epiſtola

Epiſtola 1 *D.* Pet. iii. 17.

PRæſtat enim rectè facientes, ſi ità ferat Dei voluntas, adverſa pati, quàm pravè facientes: Siquidem Chriſtus quoquè ſemel pro nobis paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, (quò nos ad Deum adduceret) carne necatus, ſpiritu in vitam revocatus: In quo etiam ſpiritibus, qui erant in carcere, prædicatum ivit, qui olim non paruerant, cùm ſemel expectaret Dei clementia, temporibus Noæ, cùm extrueretur arca: In qua paucæ, hoc eſt, octo animæ in aqua conſervatæ ſunt. Conſimili formâ nunc quoquè baptiſma nos ſervat, quod non eſt corporis ſordium detractio, ſed bonæ conſcientiæ ſtipulatio ad Deum, per Jeſu Chriſti reſurrectionem, qui eſt ad Dei dexteram, profectus in cœlum, angelis ei & poteſtatibus, potentatibúſque ſubjectis.

Evangelium D. Mat. xxvii. 57.

SUB veſperum autem venit dives homo ab Arimathæa, nomine Joſephus, qui & ipſe fuerat à Jeſu diſciplina. Is, Pilatum aggreſſus, petiit Jeſu corpus. Tum Pilatus juſſit tradi corpus. Et Joſephus ſumptum corpus involvit mundo linteo, & in ſuo novo monimento poſuit, quod in ſaxo exciderat, advolutóque ingenti lapide ad oſtium monimenti diſceſſit; cùm quidem illic eſſet Maria Magdalena, & altera Maria, è regione ſepulchri ſedentes. Poſtero die, qui eſt poſt præparationem, coiverunt Pontifices & Phariſæi ad Pilatum, & eum ſic allocuti ſunt; Domine, meminimus deceptorem illum dicere, cùm adhuc viveret, ſeſe intra tres dies eſſe reſurrecturum. Quarè jube muniri ſepulchrum uſquè ad diem tertium, ne fortè ejus diſcipuli eum nocte ſurreptum eant, dicántque populo, eum ex mortuis ſurrexiſſe; atque ità novus oriatur error priore deterior. Quibus Pilatus, Habetis cuſtodiam, inquit; ite id munitum veſtro modo. Ità illi ſepulchrum munitum iverunt: Et lapidem, præter adhibitam cuſtodiam, ſigillârunt.

DIES PASCHATIS.

¶ *Ad Matutinas, loco Pſalmi,* Adeſte cantemus Dominum, *&c. cantabuntur ſeu dicentur hæ Antiphoniæ.*

PAſcha noſtrum pro nobis immolatus eſt Chriſtus; proindè feſtum agamus,

mus, non vetere fermento, neque improbitatis, malitiæque fermento, ſed ſinceritatis, veritatíſque panibus infermentatis. 1 *Cor*. 5. 7.

CHriſtus ex mortuis excitatus non jam moriturus eſt, non jam morti eſt obnoxius. Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel; quòd autem vivit, Deo vivit. Sic vos quoquè exiſtimate voſipſos mortuos quidem eſſe peccato, ſed vivos Deo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Rom*. 6. 9.

NUNC Chriſtus ex mortuis ſurrexit; fuit eorum, qui obdormivere, primitiæ. Quum ſit enim per hominem mors, etiam per hominem eſt mortuorum reſurrectio. Ut enim per Adamum omnes moriuntur, ſic per Chriſtum omnes reviviſcent. 1 *Cor*. 15. 20.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

RESPONSIO.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. *Amen*.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui, per Filium tuum unigenitum Jeſum Chriſtum devictâ morte, nobis vitæ æternæ portam aperuiſti; ſupplices quæſumus, ut quæ pia vota, tuâ nos præveniente ſingulari gratiâ, in noſtras mentes indis, ea, Te continuè adjuvante, benè effectademus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit, & regnat unà Tecum, & cum Spiritu Sancto, ſemper unus Deus, in perpetua ſecula. *Amen*.

Epiſtola Coloſſ. iii. 1.

SI igitùr in Chriſto ſurrexiſtis, ſuperis ſtudete, ubi Chriſtus eſt, Deo dexter aſſidens. Supera ſentite, non terreſtria. Interiiſtis enim, veſtráque vita cum Chriſto latet apud Deum. Cùm Chriſtus, vita noſtra patefiet, tum vos quoquè unà cum eo patefietis glorioſi. Quamobrem necate veſtra membra terreſtria, impudicitiam, obſcœnitatem, libidinem, cupiditatem malam, & avaritiam, quæ ſimulachrorum cultus eſt: propter quæ invadit ira Dei contumaces homines, in quibus vos quoquè verſati eſtis aliquandò, dùm in eis viveretis.

Evangelium D. Johan. xx. 1.

PRimo autem poſt Sabbatum die, Maria Magdalena manè venit, cùm adhuc tenebræ forent, ad monimentum, & ſaxum aſpicit amotum

amotum à monimento. Itaquè currit, & ad Simonem Petrum, atque ad alterum diſcipulum, quem Jeſus amabat, venit, eíſque ſic dicit, Sublatus eſt ex monimento Dominus, neque ſcimus ubi ſit poſitus. Igitùr egreſſus Petrus, & alter diſcipulus, venerunt ad monimentum. Accurrentibus ſimul ambobus, alter diſcipulus Petro celeriùs præcucurrit, priórque venit ad monimentum, & incurvatus vidit quidem jacentía lintea, non tamen introgreſſus eſt. At Simon Petrus eum ſequens venit, &, in monimentum ingreſſus, videt jacentia lintea, & ſudarium (quod ſuper ejus capite fuerat) non cum linteis jacens, ſed ſeorsùm in uno loco involutum. Tum demùm intravit etiam alter diſcipulus, qui prior venerat ad monimentum: Vidítque, & credidit. Nondum enim literas intelligebant, oportere eum ex mortuis reſurgere. Itaquè rursùs ad ſe diſceſſerunt diſcipuli.

Feria ſecunda in Paſchate.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui, per Filium tuum unigenitum Jeſum Chriſtum deviĉtâ morte, nobis vitæ æternæ portam aperuiſti; ſupplices quæſumus, ut quæ pia vota, tuâ nos præveniente ſingulari gratiâ, in noſtras mentes indis, ea, Te continuè adjuvante, benè effecta demus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit, & regnat unà Tecum, & cum Spiritu Sancto, ſemper unus Deus, in perpetua ſecula. *Amen.*

Pro Epiſtola Act. x. 34.

TUNC Petrus in hunc modum orationem habuit: Re ipsâ comperio, non habere perſonarum rationem Deum; quin apud omnes nationes qui eum metuit, & juſtitiam exercet, is ei acceptus eſt. Quem ſermonem miſit Iſraëlitis, pacem per Jeſum Chriſtum nuncians, is eſt omnium Dominus. Vos ſcitis, quæ res acciderit per totam Judæam, ducto à Galilæa initio, poſt prædicatum à Johanne baptiſma: Jeſum dico à Nazaretha, ut eum Deus Sancto Spiritu ac poteſtate unxerit: Qui, ultrò, citróque commeans, benefaciebat, & omnes à diabolo oppreſſos ſanabat, quippè cui Deus adeſſet. Et nos teſtes ſumus omnium, quæ cùm in regione Judæorum, tum Hieroſolymæ fecit: Quem illi in ligno ſuſpenſum inter-

interfecerunt: Hunc Deus tertio die ſuſcitavit, &, ut manifeſtus fieret, effecit, non omni vulgo, ſed nobis deſignatis divinitùs teſtibus, qui quidem cum eo comedimus & bibimus, poſtquam à mortuis ſurrexit. Iſque nobis mandavit ut vulgo prædicemus, ac teſtificemur, eum vivorum eſſe mortuorúmque judicem à Deo deſtinatum. Huic vates omnes teſtimonium dant, eum eſſe, per cujus nomen peccatorum veniam conſequantur, quicunque in eum credant.

Evangelium D. Luc. xxiv. 13.

PRoficiſcebantur autem eorum duo eo ipſo die in vicum, diſtantem à Hieroſolyma ſtadia ſexaginta, cujus nomen erat Emmaus, & inter ſeſe de omnibus iis rebus quæ acciderant colloquebantur. Atque, eis colloquentibus ac diſputantibus, ipſe Jeſus accedit, & cum eis iter facit. Ità autem tenebantur eorum oculi, ut eum non agnoſcerent. Atque ille; Qui ſunt iſti ſermones, inquit eis, quos inter vos confertis, ambulantes, ídque triſtes? Cui unus, nomine Cleophas, ità reſpondit: Túne ſolus adeò Hieroſolymæ hoſpes es, ut ea neſcias quæ in ea per hoſce dies acciderunt? Quænam? inquit eis. De Jeſu Nazareno, inquiunt, qui vir vates fuit, re, verbíſque potens, & in Dei & in totius populi conſpectu: Utque eum tradiderint pontifices, magiſtratúſque noſtri ad capitale judicium, & in crucem ſuſtulerint: Et tamen nos eum eſſe ſperabamus, qui Iſraëlitas liberaturus eſſet. Accedit ad hæc omnia, quòd tertius hic dies agitur ex quo facta ſunt. Quanquam mulieres quædam ex noſtris ſtupefecerunt nos; quæ, manè ad monimentum profectæ, neque corpus nactæ, redierunt, & ſe angelorum viſum vidiſſe dixerunt, qui eum vivere dicerent. Et ſociorum noſtrorum quidam ad monimentum profecti, ſic eſſe compererunt, quemadmodum dixerant fœminæ: Ipſum quidem non viderunt. Et ille, O ſocordes, inquit eis, & animo tardi ad credenda quæ tam multa dixere vates: Quaſi verò non ea pati Chriſtum, & ità ſuam inire gloriam oportuerit. Tum exorſus à Moſe, omnes obiens vates, eis per omnia ſcripta, quæ de ſeipſo dicta forent, interpretabatur. Deindè ubi propè vicum, quò proficiſcebantur, ventum eſt, ipſe ſe longiùs ire ſimulabat. Sed illi eum coëgerunt, dicentes, Mane nobiſcum: Appetit enim veſpera, &

dies inclinavit. Itaquè ingreſſus eſt ad manendum cum eis. Atque inter accumbendum cum eis, panem ſumpſit, eúmque, fauſtâ ſuper eo precatione uſus fregit, & eis præbuit. Et illi, apertis eorum oculis, eum agnoverunt, atque ille ex eorum conſpectu evanuit. Tum illi inter ſeſe ſic dicere; Nimirum nobis ardebat animus, cùm nos in via alloqueretur, cúmque nobis ſcripta aperiret. Ergò eâ ipsâ horâ ſurgunt, & Hieroſolymam redeunt, & congregatos inveniunt undecim, eorúmque ſocios, qui dicebant reipsâ ſurrexiſſe Dominum, ſéque Simoni oſtendiſſe. Atque ipſi, quæ in via contigiſſent, narrare cœperunt, útque eis frangendo pane cognitus fuiſſet.

Feria tertia in Paſchate.

Collecta.

Omnipotens Deus, qui, per Filium tuum unigenitum Jeſum Chriſtum, devictâ morte, nobis vitæ æternæ portam aperuiſti; ſupplices quæſumus, ut quæ pia vota, tuâ nos præveniente ſingulari gratiâ, in noſtras mentes indis, ea, Te continuè adjuvante, benè effecta demus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit, & regnat unà Tecum, & cum Spiritu Sancto, ſemper unus Deus, in perpetua ſecula. *Amen.*

Pro Epiſtola Act. xiii. 26.

Viri & fratres, ex Abrahami genere oriundi, quíque ex vobis Deum reverentur, vobis hæc ſalutaris miſſa doctrina eſt. Nam Hieroſolymæ incolæ, eorúmque magiſtratus eum ignorantes, vatum voces (quæ unoquoque Sabbato leguntur) eo damnato comprobârunt: Et, nullo capitali crimine comperto, à Pilato ut ille necaretur petierunt. Ac poſtquam omnia de eo ſcripta perfecerunt, eum, patibulo detractum, poſuerunt in monimento. Deus verò eum à mortuis excitavit: Qui compluribus diebus eis ſe oſtendit, qui unà cum eo ex Galilæa Hieroſolymam aſcenderant, qui quidem ſunt ejus teſtes ad populum. Et nos vobis feliciter nunciamus, quod majoribus promiſerat Deus, id nobis eorum poſteris præſtitiſſe reſuſcitato Jeſu, ut etiam in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Tu meus es Filius, ego te hodiè genui. Quòd autem eum ex mortuis excitârit, non jam rediturum ad interitum, ſic dixit: Dabo vobis fidelem

lem Davidis benignitatem. Itaque alibì quoquè dicit: Non es paſſurus ut pius tuus corruptionem patiatur. Nam David quidem, poſtquam ætati ſuæ inſervivit, Dei conſilio obdormivit, & ad ſuos majores additus, corruptionémque paſſus eſt. Sed quem Deus excitavit, is corruptionem paſſus non eſt. Quamobrem hoc vobis notum eſto: Viri fratres, vobis per hunc peccatorum veniam nunciari; ac ab omnibus à quibus per Moſis legem ſolvi nequiviſtis, per hunc, quicunque credat, ſolvi. Quamobrem proſpicite, nè vobis illud uſu veniat, quod eſt in vatibus dictum; Videte, ô contemptores, & præ admiratione obtorpeſcite: nam ejuſmodi rem ego facturus ſum veſtris temporibus, quam non ſitis credituri, ſi quis vobis exponat.

Evangelium D. Luc. xxiv. 36.

JESUS in eorum medio ſtetit, &, Salvete, inquit. Cúmque, pavefacti ac perterriti, ſe ſpiritum cernere putarent, dixit eis, Quid turbati eſtis? Aut cur iſtæ ſubeunt animos veſtros cogitationes? Aſpicite meas manus atque pedes, quòd ipſe ego ſum. Attrectate me & aſpicite: Nam ſpiritus quidem carnem & oſſa non habet, ut habere me videtis. Hæc locutus, oſtendit eis manus atque pedes. Cúmque adhuc præ gaudio diffiderent, ac mirarentur, dixit eis, Habetis hîc aliquid edulii? Tum illi toſti piſcis partem, & favi mellis, præbuerunt; & ille coram eis ſumpſit, ac comedit, & ad eos ſic verba fecit: Hæc ſunt quæ vobis, dum adhuc vobiſcum eram, dixi, Scilicet oportere omnia in Moſis lege, Vatibúſque, & Pſalmis, de me ſcripta perfici. Tum eis mentem ad intelligenda ſcripta aperuit, & itâ dixit; Sic ſcriptum fuit, & ſic Chriſtum ſupplicio affici oportuit, & tertiâ die ex mortuis reſurgere, ejúſque nomine vitæ correctionem, & peccatorum veniam per omnes gentes, facto à Hieroſolymis initio, prædicari: Atque horum vos teſtes eſtis.

Dominica prima à Paſchate.

COLLECTA.

OMnipotens Pater, qui Filium tuum unicum dediſti, ut, propter noſtra delicta mortuus, propter noſtram juſtitiam reviviſceret; da ut, abjecto improbitatis malitiæque fermento, & purâ vivendi ratione & verè Tibi ſemper ſerviamus, per

merita

merita ejuſdem Filii tui Jeſu Chriſti, Domini noſtri. *Amen.*

Epiſtola 1 *D.* Johan. v. 4.

QUicquid ex Deo natum eſt vincit mundum: Et hæc victoria eſt, quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit Jeſum eſſe Dei Filium? Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, Jeſus Chriſtus: Non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Et Spiritus eſt qui teſtatur; ſiquidem Spiritus eſt veritas. Quoniam tres ſunt qui teſtantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus: Et hi tres unum ſunt. Item tres ſunt, qui teſtantur in terra, ſpiritus, & aqua, & ſanguis, qui tres in unum conſentiunt. Si hominum teſtimonium admittimus, Dei teſtimonium majus eſt. Atque hoc eſt quod Deus de Filio ſuo teſtimonium dixit: Qui credit in Dei Filium, is in ſe Dei teſtimonium habet. Qui Deo non credit, mendacem facit eum: Quia teſtimonio fidem non habuit, quod dixit Deus de Filio ſuo. Eſt autem hoc teſtimonium, quòd æternâ vitâ donavit nos Deus, quæ vita in ejus Filio eſt. Qui Dei Filium habet, vitam habet: Qui Dei Filium non habet, vitam non habet.

Evangelium D. Joh. xx. 19.

CUM eſſet veſpera illo ipſo die, qui proximus erat à Sabbato, clauſis, præ Judæorum metu, ejus loci portis, ubi erant diſcipuli congregati, venit Jeſus, in medióque ſtetit, & eis dixit, Pax vobis. Ac, eo dicto, oſtendit eis ſuas manus atque latus. Hìc, cùm diſcipuli viſo Domino lætati eſſent, Jeſus eos denuò ſic allocutus eſt; Pax vobis. Quemadmodùm miſit me Pater, ſic ego mitto vos. Hoc dicto, afflavit, & eis dixit; Accipite Spiritum Sanctum. Si quorum peccata remiſeritis, remiſſa erunt: Si quorum tenueritis, tenta erunt.

Dominica ſecunda à Paſchate.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui Filium tuum unicum dediſti, ut eſſet nobis & ſacrificium pro peccato, & exemplum piæ vitæ, da nobis gratiam, per quam animis gratis ut maximè hoc ipſius inæſtimabile apud nos collocatum beneficium accipiamus, & navemus operam, ut indiès ſanctiſſimæ illius vitæ beata veſtigia ſubſequamur; per eundem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola

Epiſtola 1 Pet. ii. 19.

HOC enim gratiam emeretur, ſi quis, quoniam ſibi ſit Dei conſcius, dolores fert, patiens injuſté. Nam quæ gloria eſt, ſi peccantes cædi vos ſuſtinetis? At ſi rectè facientes toleratis injuriam, hoc verò gratiam meretur apud Deum. Ad hoc enim vocati eſtis, ſiquidem Chriſtus quoquè pro nobis injuriam paſſus eſt, nobis exemplum relinquens, ut ejus veſtigia ſubſequamini: Qui peccatum nullum commiſit, nec extitit in ejus ore dolus: Qui conviciantibus convicia non regerebat, injuriam patiens non minabatur, ſed rem juſtè judicaturo committebat: Qui peccata noſtra ipſe ſuo corpore ſuſtulit in patibulum, ut peccatis defuncti, juſtitiæ vivamus: Cujus vibice vos eſtis ſanati. Eratis enim quaſi palantes oves: ſed nunc ad paſtorem vos, & animarum veſtrarum epiſcopum, convertiſtis.

Evangelium D. Joh. x. 11.

DIxit Jeſus, ego ſum paſtor bonus. Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus. At mercenarius, qui paſtor non eſt, cujus ſuæ non ſunt oves, ſi venientem lupum videt, fugit, relictis ovibus: Lupus oves rapit, ac profligat. At mercenarius fugit, nempè quia mercenarius, nec ovium curam gerens. Ego ſum paſtor bonus, & meas agnoſco, & à meis agnoſcor. Ut me novit Pater, ſic ego Patrem novi, animámque meam pono pro ovibus: Et alias oves habeo, quæ non ſunt hujus ovilis; quæ etiam mihi adducendæ ſunt, meámque vocem audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor.

Dominica tertia à Paſchate.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui in errore verſantibus veritatis tuæ lumen præfers, quò in juſtitiæ viam redire poſſint; da omnibus qui in Religionis Chriſtianæ ſocietatem co-optantur abſtinere ab iis quæ profeſſioni ſuæ adverſantur, quæque ipſi congruant ſectari omnia, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 Pet. ii. 11.

CHariſſimi, (cohortor ut inquilinos ac peregrinos) abſtinete vos à corporeis cupiditatibus, quæ contra animum militant, honeſtè vos gerentes apud exteros, ut, pro eo quod vobis tanquam maleficis detrahunt, ex rectè

factis

factis vos conſiderantes, honorent Deum in die viſitationis. Itaquè omnibus parete perſonis humanis propter Dominum: Et regi, ut poteſtate pollenti; & prætoribus, ut ab eo tum ad maleficorum ultionem, tum ad beneficorum laudationem miſſis. Nam ea eſt Dei voluntas, ut, rectè facientes, amentium hominum ignorantiam compeſcatis; ut liberi, non ut vitiorum prætextum habentes libertatem, ſed ut Dei ſervi. Omnes honorate: Fraternitatem amate, veremini Deum, regem honorate.

Evangelium D. Joh. xvi. 16.

DIxit Jeſus diſcipulis ſuis, Paulò pòſt non videbitis me, rurſúmque paulò pòſt cernetis me, quoniam ego ad Patrem proficiſcor. Tum ejus diſcipulorum nonnulli ſic inter ſeſe dicere: Quid ſibi vult, quod nobis dicit, paulò pòſt non viſuros ſe, rurſúmque paulò pòſt aſpecturos ſe? Itémque, ſe ad Patrem proficiſci? Hoc quid eſt, quod dicit, Paulò pòſt? Neſcimus quid loquatur. At Jeſus, intelligens eos velle interrogare ſe, ſic eos affatus eſt: De eo inter vos contenditis, quòd dixi, vos paulò pòſt non viſuros me, rurſúmque paulò pòſt aſpecturos me? Hoc pro certo & indubitato habetote: Vos flebitis ac lamentabimini, at mundus lætabitur: Vos verò dolebitis, ſed dolor iſte vertetur in lætitiam. Mulier, dum parit, in dolore eſt, quippè cujus hora venerit: Sed poſtquam puerum edidit, non jam meminît cruciatûs, præ lætitia quòd editus eſt in mundum homo. Vos quoquè nunc quidem in dolore eſtis: Sed reviſam vos, veſtérque lætabitur animus, veſtrámque lætitiam nullus vobis eripiet.

Dominica quarta à Paſchate.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui ſolus potes effrænatos animos & affectus peccatorum regere, da populo tuo amare quod præcipis, & quod promittis affectare, ut, inter tot tantáſque rerum viciſſitudines, ibi animi noſtri ſint firmè defixi, ubi ſolida gaudia repoſita ſunt, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola D. Jac. i. 17.

OMNE bonum donum, omnéque perfectum munus ſupernè eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem nulla eſt mutatio, aut

ulla

ulla converſionis umbra. Is conſultò nos genuit, veritatis oratione, ut eſſemus quædam quaſi primitiæ ſuorum operum. Proindè, mei fratres chariſſimi, eſto omnis homo ad audiendum celer, ad loquendum tardus, ad iram tardus. Nam hominis ira divinæ juſtitiæ non paret. Quamobrem, fratres, omnibus vitiorum ſordibus, excrementíſque depoſitis, comitèr accipite ſativum ſermonem, qui veſtras animas ſervare poteſt.

Evangelium D. Johan. xvi. 5.

DIxit Jeſus ſuis diſcipulis, Nunc verò proficiſcor ad eum qui me miſit; nec quiſquam me veſtrûm interrogat, quò proficiſcor: Sed, quoniam hæc vobis locutus ſum, animos habetis mœroris plenos. At ego vobis verum dico: E re veſtra eſt, ut ego diſcedam; niſi enim diſceſſero, Confirmator ad vos non veniet. Sin abiero, eum ad vos mittam; atque ille ubi venerit, mundum arguet de peccato, & de juſtitia, & de judicio. De peccato, quoniam mihi fidem non habent: De juſtitia, quoniam ad Patrem diſcedo, nec me videbitis ampliús: De judicio, quoniam hujus mundi princeps judicatus eſt. Adhuc multa vobis habeo dicenda, ſed quæ nunc ferre nequeatis. Verùm cùm venerit ille, videlicèt veritatis Spiritus, præibit vobis ad omnem veritatem. Non enim ſuâ ſponte loquetur, ſed quæcunque audiverit eloquetur, & futura vobis prænunciabit. Ille me illuſtrabit: Siquidem de meo ſumet, quæ vobis exponat. Omnia quæcunque Pater habet, mea ſunt; Propterea dixi, illum de meo ſumpturum eſſe, quæ vobis exponat.

Dominica quinta à Paſchate.

Collecta.

DOmine, à quo omnia bona dimanant, largire nobis ſupplicibus tuis famulis, ut, tuo nos afflati Spiritu, quæ bona ſunt, ea cogitemus, & tuo clementi ductu eadem præſtemus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Jac. i. 22.

ESTE autem ii qui ſermoni pareatis, non eum duntaxat audiatis: alioquin voſipſos decipitis. Nam ſi quis ſermonem audit, nec exequitur, is perindè eſt, ac ſi quis corporis ſui faciem contempletur in ſpeculo, deindè ſeipſum ſpeculatus abeat, ac protinùs qualis ſit obliviſcatur.

liviſcatur. Qui verò in perfectam libertatis legem penitùs introſpexerit, & in ea manſerit, is qui non ſit obliviofus auditor, ſed operis effector, ſuo facto beatus erit. Si quis ſibi videtur eſſe religioſus apud vos, neque tamen linguam ſuam frænat, ſed animum ſuum fallit, hujus vana eſt religio. Religio pura & impolluta apud Deum & Patrem hæc eſt: Curam gerere pupillorum & viduarum in eorum calamitate, & intaminatum ſe cuſtodire à mundo.

Evangelium D. Joh. vi. 23.

VObis etiam, etiámque confirmo, Quæcunque à meo Patre per meum nomen poſtulaveritis, daturum eſſe vobis. Hactenùs nihil per meum nomen petiiſtis: Petite, & obtinebitis, ut plena ſit veſtra lætitia. Hæc vobis oratione figuratâ locutus ſum: Tempus erit, cùm non jam per figuras vos alloquar, ſed apertè vobis de Patre meo diſſeram. In illo quidem tempore per meum nomen poſtulabitis: Neque verò vobis promitto, me veſtrâ causâ oraturum eſſe Patrem: Ipſe enim Pater diligit vos, quoniam vos me diligitis, & me creditis à Deo profectum. Profectus à Patre veni in mundum, rursùm relinquo mundum, & ad Patrem diſcedo. Tum ejus diſcipuli, Nunc tu quidem apertè loqueris, inquiunt ei, nec ullâ orationis figurâ uteris, Nunc ſcimus, te omnia ſcire, nec opus tibi eſſe ut te quis interroget: hinc te à Deo profectum credimus. At Jeſus contrà; Nunc creditis? inquit; atqui adventat hora, & jam advenit, cùm alius aliò diſſipabimini, & me ſolum relinquetis: Quanquàm non ſum ſolus, adeſt enim mihi Pater. Hæc vobis ideò locutus ſum, ut in me acquieſcatis. In mundo afficiemini cruciatu: Sed bono eſte animo, ego vici mundum.

Dies Aſcenſionis Domini.

Collecta.

DA quæſumus, omnipotens Deus, ut, qui Filium tuum unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum cœlos credimus aſcendiſſe, nos ipſi quoquè eos tum animo tum mente aſcendamus, & apud eum perpetuò maneamus, qui vivit & regnat unà Tecum, & cum Spiritu Sancto, unus Deus, in diem ſempiternum. *Amen.*

Pro

Pro Epiſtola Act. i. 1.

PRimum quidem librum feci de omnibus, Theophile, quæ Jeſus & facere & docere inſtitit, ad eum uſquè diem, quo, poſtquam Apoſtolis, quos elegerat, mandata per Spiritum Sanctum dedit, ſursùm latus eſt: Quibus etiam ſeipſum viventem, poſt ſuum ſupplicium, multis certis indiciis exhibuit, eis per quadraginta dies apparendo, & de Dei regno diſſerendo. Ac, eos frequentando, mandavit eis, nè Hieroſolymis diſcederent, ſed Patris promiſſum expectarent: Quod ex me audiviſtis, inquit, Johannem quidem aquâ baptizâſſe, ſed vos Sancto Spiritu baptizandos eſſe, poſt dies hoſce non multos. Atque illi quidem congregati ſic eum interrogârunt; Domine, an hac tempeſtate Iſraëlitis regnum inſtauraturus es? Quibus ille, Non eſt veſtrum, inquit, tempeſtates aut tempora noviſſe, quæ Pater in ſua poteſtate poſuit. Sed vim accipietis Spiritûs Sancti, qui vos invadet, mihíque teſtes eritis & Hieroſolymæ, & in tota Judæa, ac Samaria, deniquè ad ultimas terras. Hæc fatus, ſpectantibus eis, ſursùm ſublatus eſt, eúmque nubes ſubduxit eorum oculis. Ac dum, eo abeunte, illi in cœlum contuentur, ecce duo viri eis in veſtibus albis aſtiterunt, qui ità dixerunt; Galilæi, quid ſtatis in cœlum intuentes? Hic Jeſus, qui iſtinc in cœlum receptus eſt, ſic veniet, quo pacto vidiſtis eum in cœlum diſcedentem.

Evangelium D. Marc. xvi. 14.

TAndem diſcumbentibus illis undecim apparuit, & eis incredulitatem ac pervicaciam exprobravit, quò eis, qui ſe reſurrexiſſe viderant, non credidiſſent: Eíſque dixit; Ite in totum orbem & prædicate Evangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſervabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: Linguis loquentur novis: Serpentes tollent: Et, ſi quid mortiferum biberint, non eis nocebit: Cum ægrotis manus imponent, illi bene habebunt. Igitùr Dominus, poſtquàm eos allocutus eſt, ſublatus eſt in cœlum, & ad Dei dexteram ſedit. Illi verò digreſſi ubique prædicârunt, Domino adjuvante, & orationem ſequentibus ſignis confirmante.

Dominica proxima ab Aſcenſione.

COLLECTA.

DEUS glorioſe Rex, qui unigenam Filium tuum Jeſum Chriſtum cum ingenti triumpho in cœleſte tuum regnum extuliſti; exoramus te, nè nos relinquas pupillos, ſed Spiritum Sanctum tuum nobis mitte, qui conſoletur nos, & ad eum locum nos efferat, quem Jeſus Chriſtus Servator noſter prior conſcendit, qui vivit & regnat unà Tecum, & cum Spiritu Sancto, unus Deus, in perpetua ſecula. *Amen.*

Epiſtola 1 Pet. iv. 7.

OMnium autem finis inſtat. Quocircà eſte ſobrii, & ad ſupplicationes vigiles, ac ante omnia mutuam charitatem intentam habete: Nam charitas multa peccata tegit. Eſte alii in alios hoſpitales, ſine murmuribus, Proùt quiſque aliquo munere dotatus eſt, ità id alii in alios diſpenſate, ut boni variorum Dei beneficiorum diſpenſatores. Si quis loquitur, ut divina oracula: ſi quis ſubminiſtrat, ut ex facultate, quam Deus ſuppeditet, quòd in cunctis celebretur Deus, per Jeſum Chriſtum, cujus eſt & gloria & imperium in perpetua ſecula. *Amen.*

Evangelium D. Johan. xv. 26. & Init. cap. 16.

CUM autem venerit Confirmator, quem ego vobis à Patre mittam, ſcilicèt Spiritus veritatis, qui à Patre proficiſcitur, is de me teſtabitur: Quin & vos teſtes eſtis, qui mecum fueritis ab initio. Hæc vobis loquor, nè deficiatis. Privabunt vos collegiis: Atque adeò tempus erit, cùm omnes, qui vos interficient, putabunt ſe cultum præſtare Deo. Quæ quidem vobis ideò facient, quòd neque Patrem, neque me nôrunt. Atque hæc ideò vobis loquutus ſum, ut, cùm tempus venerit, memineritis eorum, quòd ego vobis ea dixerim.

Dominica Pentecoſtes.

COLLECTA.

DEUS, qui quaſi hoc ipſo tempore fidelium tuorum animos, tuo eos Sancti tui Spiritûs lumine illuſtrans, docuiſti; præſta nos per eundem Spiritum recta omnia ſapere, & in ejus ſancta conſolatione ſemper gaudere, per merita Jeſu Chriſti Servatoris noſtri, qui vivit & regnat Tecum, in unitate ejuſdem

juſdem Spiritûs, unus Deus, in diem ſempiternum. *Amen.*

Pro Epiſtola Act. ii. 1.

UT autem perventum eſt ad diem Pentecoſtes, cùm omnes ſimùl eſſent eodem in loco, extitit repentè de cœlo ſonus, quaſi vehementis flatûs ruentis, totámque domum replevit, ubì ſedebant: Eíſque conſpectæ ſunt dividuæ quædam quaſi ignis linguæ, qui eorum unicuique inſedit; repletíque ſunt omnes Sancto Spiritu, & diverſis loqui linguis cœperunt, proùt eis Spiritus fari dabat. Erant autem Hieroſolymæ habitantes Judæi, homines religioſi, ex omnibus quæ uſquàm ſub cœlo ſunt gentibus. Igitùr, ejus rei diſſipatâ famâ, vulgò convenire, & confuſi eſſe quòd eos ſuâ quiſque vernaculâ linguâ loquentes audiret. Itaque attoniti omnes mirabantur, & ſic inter ſeſe dictitabant; Nónne omnes hi, qui loquuntur, Galilæi ſunt? Ecquid eſt, quòd noſtrûm quiſque vernaculam ſibi linguam nativámque audiat? Parthi, Medi, Elamitæ, Meſopotamiæ incolæ, Judææque & Cappadociæ, Ponti & Aſiæ, Phrygiæ, & Pamphyliæ, & Ægypti, & ejus Libyæ partis, quæ eſt ſecundùm Cyrenen, & peregrinantes Romani, tum Judæi, tum Aſciti, Cretenſéſque & Arabes, audimus eos rerum divinarum amplitudinem noſtris linguis eloquentes.

Evangelium D. Joh. xiv. 15.

JESUS dixit diſcipulis ſuis, Si me amatis, mea præcepta ſervate. Ego verò meum Patrem exorabo, ut alium vobis Confirmatorem det, qui vobiſcum perpetuò maneat, ſcilicèt veritatis Spiritum, quem mundus conſequi non poteſt, quòd eum neque videt, neque cognoſcit: At vos eum cognoſcitis, quoniàm apud vos manet, & in vobis futurus eſt. Non relinquam vos orbos: Inviſam vos. Pòſt paulò jam me non videbit mundus: At vos videbitis: Quoniàm & ego vivo, & vos vivetis. In illa die vos intelligetis, & me in Patre meo, & vos in me, & me in vobis eſſe. Qui mea præcepta tenet, conſervátque, ille eſt qui me amat: Qui verò me amat, amabitur à Patre meo: Eúmque ego amabo, & me ei patefaciam. Tum Judas, non Iſcariota, Domine, inquit ei quid cauſæ eſt, ut tu nobis teipſum ſis patefacturus, mundo non itèm? Cui Jeſus, Si quis me amat, inquit reſpondens, is ſermoni meo parebit, eúmque meus Pater amabit

mabit, & ad eum veniemus, & apud eum manebimus. Qui me non amat, mea dicta non exequitur. Sermo autem, quem auditis, meus non eſt, ſed Patris, qui miſit me. Hæc vobis elocutus ſum, apud vos manens. Sed Conſolator, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater meo nomine, is vos omnia docebit, & vobis in memoriam revocabit quæcunque ego vobis dixi. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: Non quemadmodùm dat mundus, ego do vobis. Nolite animo perturbari, neque formidare. Audiviſtis ut dixerim vobis, abire me, reviſurum vos. Si me amaretis, gauderetis, quia dixiſſem, me ad Patrem proficiſci; quòd Pater major me ſit. Et nunc dixi vobis priuſquàm fiat, ut, cùm factum fuerit, credatis. Jam non multa loquar vobiſcum: Venit enim hujus mundi princeps, nec habet in me quicquam. Sed intelligendum mundo eſt, me amare Patrem: Et, ut mihi mandavit Pater, ità facere.

Feria ſecunda in Pentecoſte.

COLLECTA.

DEUS, qui quaſi hoc ipſo tempore fidelium tuorum animos, tuo eos tui Sancti Spiritûs lumine illuſtrans, docuiſti; præſta nos per eundem Spiritum recta omnia ſapere, & in ſancta ejus conſolatione ſemper gaudere, per merita Jeſu Chriſti Servatoris noſtri, qui vivit & regnat Tecum, in unitate ejuſdem Spiritûs, unus Deus, in diem ſempiternum. *Amen.*

Pro Epiſtola Act. x. 34.

TUNC Petrus in hunc modum orationem habuit: Re ipsâ comperio, non habere perſonarum rationem Deum: quin apud omnes nationes, qui eum metuit & juſtitiam exercet, is ei acceptus eſt. Quem ſermonem miſit Iſraëlitis, pacem per Jeſum Chriſtum nuncians, is eſt omnium Dominus. Vos ſcitis, quæ res acciderit per totam Judæam, ducto à Galilæa initio, poſt prædicatum à Johanne baptiſma: Jeſum dico à Nazaretha, ut eum Deus Sancto Spiritu ac poteſtate unxerit: Qui ultrò, citróque commeans, benefaciebat, & omnes à diabolo oppreſſos ſanabat, quippè cui Deus adeſſet. Et nos teſtes ſumus omnium quæ in regione Judæorum & Hieroſolymæ fecit: Quem illi in patibulo ſuſpenſum interfecerunt. Hunc Deus tertio die ſuſcitavit, & ut manifeſtus fieret, effecit, non omni vul-

go, ſed nobis deſignatis divinitùs teſtibus, qui quidem cum eo comedimus & bibimus, poſtquàm à mortuis ſurrexit. Iſque nobis mandavit, ut vulgo prædicemus, ac teſtificemur, eum vivorum eſſe, mortuorúmque judicem à Deo deſtinatum. Huic vates omnes teſtimonium dant, eum eſſe, per cujus nomen peccatorum veniam conſequantur quicunque in eum credant. Adhuc hæc verba loquente Petro, invaſit Sanctus Spiritus omnes, eam orationem audientes: Súntque attoniti ii, qui erant à circumciſione fidentes, quicunque cum Petro venerant, quòd etiam extranei Sancti Spiritûs munere perfuſi eſſent. Audiebant enim eos linguis loquentes, Deúmque celebrantes. Tum Petrus, Nunquis aquam, inquit, prohibere poteſt, quò minùs baptizentur hi, qui, ut & nos, Sanctum Spiritum adepti ſint? Eóſque in Domini nomine juſſit baptizari. Tunc illi eum exorârunt, ut ibì dies aliquot maneret.

Evangelium D. Joh. iii. 16.

SIC enim amavit Deus mundum, ut Filium ſuum unigenam dederit, ut quiſquis in eum credat, non pereat, ſed vitam obtineat ſempiternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut mundum damnet, ſed ut ſervetur per eum mundus. Qui in eum credit, non damnabitur: Qui verò non credit jam damnatus eſt, quòd in unigenæ Dei Filii nomen non crediderit. Hæc eſt autem damnatio, quòd, cùm venerit in mundum lux, tenebras magìs quam lucem amaverint homines, quippè quorum prava forent opera. Quiſquis enim vitioſa facit, lucem odit, nec in lucem prodit, nè ejus facta arguantur. Sed qui vera facit, is in lucem prodit, ut pateſiant ejus opera, utpotè facta divinitús.

Feria tertia in Pentecoſte.

COLLECTA.

DEUS, qui quaſi hoc ipſo tempore fidelium tuorum animos, tuo eos Sancti tui Spiritûs lumine illuſtrans, docuiſti; præſta nos per eundem Spiritum recta omnia ſapere, & de ejus ſancta conſolatione ſempèr gaudere, per merita Jeſu Chriſti Servatoris noſtri, qui vivit & regnat Tecum, in unitate ejuſdem Spiritûs, unus Deus, in diem ſempiternum. *Amen.*

Pr

Pro Epiſtola Act. viii. 14.

AUdientes autem qui Hieroſolymis erant Apoſtoli admiſſam eſſe à Samaria divinam doctrinam, miſerunt ad eos Petrum ac Johannem; qui, eò digreſſi, pro eis orârunt, ut Sanctum Spiritum obtinerent. Nullum enim adhuc eorum invaſerat: Tantùm in Chriſti Jeſu nomen erant baptizati. Itaque illi eis manus impoſuerunt, atque ii Sanctum Spiritum adepti ſunt.

Evangelium D. Johan. x. 1.

CErtò, certóque ſcitote, qui in ovium ſtabulum non per januam intrat, ſed aliâ tranſcendit, eum furem ac latronem eſſe. Qui verò per januam intrat, paſtor eſt ovium. Huic janitor aperit, ejúſque vocem audiunt oves, iſque ſuas oves appellat nominatìm, educítque, &, emiſſis ovibus ſuis, præit viam: Eúmque ſequuntur oves, quippè cujus vocem agnoſcant, alienum autem non ſequantur, ſed fugiant, quippè quæ alienorum vocem non agnoſcant. Hanc ſententiam cùm eis dixiſſet Jeſus, nec illi intelligerent, quid ſibi vellent ea quæ eis dicebat; Jeſus porrò dixit eis; certò, certóque ſcitote me ovium eſſe januam. Omnes quicunque ante me venerunt, fures ſunt & latrones, nec eos audiverunt oves. Ego ſum janua: per me, qui intrabit, ſervabitur; & intrabit, & exibit, & paſcuum inveniet. Fur non venit niſi ut furetur, ut mactet, ut perdat. Ego veni, ut vitam habeant, & largiùs habeant.

Dominica Trinitatis.

COLLECTA.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui nos famulos tuos gratiâ donâſti, in veræ fidei confeſſione, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia divinæ Majeſtatis adorare Unitatem: Te quæſumus nos hâc fide firmos præſtare velis, & contra omnes res adverſas in perpetuum protegere, qui vivis & regnas unus Deus, in omnem perpetuitatem. *Amen.*

Pro Epiſtola Apocal. iv. 1.

POſteà animadverti apertam in cœlo portam, vóxque illa prima (quam, perindè ac ſi mecum tuba loqueretur, audiveram) dixit, Aſcende hùc, & tibi oſtendam quæ poſthàc futura ſunt. Hìc ego, continuò divinitùs afflatus, video poſitum in cœlo ſolium, & in ſolio ſedentem

dentem quendam, qui ſedens aſpectu ſimilis erat jaſpidi gemmæ, & ſardio. Solium circumdabat iris, aſpectu ſmaragdum referens: Idémque ſolium circumſtabant viginti quatuor ſolia, in quibus ſoliis vidi ſedentes viginti quatuor ſenatores, veſtibus indutos candidis, qui in capitibus coronas habebant aureas. Ex ſolio prodibant fulgura, & tonitrua, & fragores; & ſeptem faces igneæ & ante ſolium ardentes, quæ ſunt ſeptem Dei ſpiritus. Ante ſolium erat mare vitreum, cryſtalli ſimile; & in medio ſolii, circúmque ſolium, quatuor animalia, oculis, & à fronte & à tergo referta. Primum animal erat leoni ſimile: Alterum animal erat vitulo ſimile: Tertium animal faciem habebat hominis: Quartum animal ſimile erat aquilæ volanti. Hæc quatuor animalia habebant ſingula ſenas alas, per circuitum, & intùs erant oculis referta. Ea, ſine ulla intermiſſione, dies & noctes dicunt; SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS Dominus Deus omnipotens, qui fuit, qui eſt, & qui venturus eſt. Cum autem tribuunt animalia gloriam, & honorem, & gratiarum actionem ſedenti in ſolio, viventi in perennia ſecula, procumbunt viginti quatuor ſenatores ante ſedentem in ſolio, & adorant viventem in perennia ſecula; abjiciúntque ſuas coronas ante ſolium, dicentes; Dignus es, Domine, qui gloriam, & honorem, & poteſtatem accipias, quoniàm tu omnia condidiſti, eáque tuâ voluntate & ſunt & condita ſunt.

Evangelium D. Johan. iii. 1.

ERAT autem homo quidam ex Phariſæis, nomine Nicodemus, Judæorum primarius. Is Jeſum noctu adiit, & eum ſic eſt allocutus; Magiſter, ſcimus te veniſſe doctorem à Deo. Nam iſta tam miranda facere, quæ tu facis, nemo poſſit, niſi adſit ei Deus. Cui Jeſus reſpondens, Hoc tibi etiàm atque etiàm confirmo, inquit, qui denuò natus non fuerit, eum non poſſe divinum regnum videre. Et Nicodemus; Quo pacto poſſit homo naſci, qui ſit ſenex? Nunquid poteſt iterùm in ventrem ſuæ matris ingredi, atque naſci? At Jeſus ei reſpondens; Hoc tibi magnoperè confirmo, qui ex aqua & Spiritu natus non fuerit, non poſſe in divinum regnum intrare. Quod ex carne natum eſt, caro eſt; & quod ex Spiritu natum eſt, ſpiritus eſt. Noli mirari quòd tibi

dixerim, vobis eſſe renaſcendum. Ventus quò vult flat, ejúſque ſonitum tu audis; ſed undè veniat, aut quò abeat, neſcis: Sic eſt, quiſquis ex Spiritu natus eſt. At Nicodemus contrà, Quo pacto poſſunt iſta fieri? inquit. Cui reſpondens Jeſus; Tu Iſraëlitarum doctor es, & hæc neſcis? Hoc iterùm atque iterùm tibi confirmo; nos quod dicimus & teſtificamur, id ſcimus ac vidimus, & tamèn teſtimonium noſtrum non accipis. Si cùm terreſtria vobis dixerim, tamèn non creditis, quomodò, ſi dixero cœleſtia, credetis? Atquì nemo cœlum conſcendit, niſi qui ex cœlo deſcendit, Filius hominis, qui eſt in cœlo. Ac quemadmodùm Moſes ſerpentem extulit in ſolitudine, ſic oportet Filium hominis extolli, ut quiſquis ei fidem habeat, non pereat, ſed vitam obtineat ſempiternam.

Dominica prima à Trinitate.

COLLECTA.

DEUS omnibus, qui ſibi collocant in te præſidium, robur, preces noſtras admitte propitius; & quoniàm ſine Te nihil boni, præ humana imbecillitate, præſtare valeamus, feras nobis auxilium gratiæ tuæ, per quam præcepta tua exequentes, & voluntate & factis, apud te grata faciamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 *D.* Johan. iv. 7.

CHariſſimi, amemus nos inter nos. Nam amor à Deo eſt: Ac quiſquis amat, ex Deo natus eſt, Deúmque novit. Qui non amat, non novit Deum: Nam Deus amor eſt. In eo patuit Dei erga nos amor, quòd ſuum Filium unigenam miſit Deus in mundum, ut per eum vivamus. In eo amor eſt, quòd Deus, non quia nos eum, ſed quia ipſe nos amaverit, miſit Filium ſuum, pro peccatis noſtris piaculum. Chariſſimi, ſi ſic nos amavit Deus, nos viciſſim debemus amare nos mutuó. Deum nemo unquàm vidit. Si alius alium amamus, manet in nobis Deus, ſumúſque ejus perfecto amore præditi. Hinc & nos in eo, & in nobis eum manere intelligimus, quòd nobis ſuum Spiritum impertivit: Et nos vidimus & teſtamur à Patre legatum eſſe Filium ſervatorem mundi. Quiſquis Jeſum Dei eſſe Filium confeſſus fuerit, & in eo Deus & is in Deo manet. Et nos amorem, quo nos Deus proſequitur, novimus

ac

ac credimus: Deus amor eſt: Et qui in amore manet, in Deo manet, & Deus in eo. In eo perfecto amore præditi ſumus, ſi de judicii die confidimus, quòd qualis ille eſt, tales nos ſimus in hoc mundo. In amore metus non eſt: Quin perfectus amor foràs quatit metum, quoniàm metus cruciatum habet: Quíque metuit, perfecto amore non eſt. Nos eum amamus, quoniàm prior ipſe nos amavit. Si quis à ſe Deum amari dicit, & tamèn fratrem ſuum odit, mendax eſt. Qui enim fratrem ſuum, quem vidit, non amat; Deum, quem non vidit, quî poſſit amare? Atque hoc ab eo præceptum habemus, ut, Deum qui amat, ſuum quoquè fratrem amet.

Evangelium D. Luc. xvi. 19.

ERAT autem homo quidam dives, qui purpurâ & byſſo veſtiebatur, quotidiè lautè voluptatibus indulgens. Erat & quidam pauper nomine Lazarus, qui ad ejus veſtibulum jacebat ulceroſus, cupiénſque ſaturari micis, quæ de divitis menſa decidebant. Quin & canes veniebant, & ejus ulcera lingebant. Accidit autem ut moreretur pauper, & ab Angelis in Abrahami gremium auferretur. Mortuus eſt & dives, & ſepultus. Atque is in orco, ſublatis oculis, cùm eſſet in cruciatibus, aſpicit Abrahamum procùl, & in ejus gremio Lazarum, &, Pater Abrahame, (inquit clamans) miſerere mei, & mitte Lazarum, qui ſummo digito ſuo in aqua intincto mihi linguam refrigeret: Crucior enim in hac flamma. At Abrahamus, Nate, inquit, memineris, & te tuis bonis in vita tua, & Lazarum malis eſſe defunctum. Nunc & hic in ſolatio, & tu in dolore es. Prætereà conſtat omninò inter nos & vos vaſta vorago, ut, qui velint hinc ad vos tranſire, non poſſint, neque, qui iſtic ſunt, ad nos trajiciant. Tum ille, rogo igitùr te, pater, ut eum in mei patris domum mittas, ut meos fratres (habeo enim quinque) commonefaciat, nè ipſi quoquè in hunc cruciatûs locum veniant. At Abrahamus; Habent Moſen & vates, inquit ei; eos audiant. Et ille; At verò, pater Abrahame, ſi quis à mortuis ad eos fuerit profectus, corrigent ſe. Si Moſen (inquit ille) & vates non audiunt, nè ſi quidem quiſpiam ex mortuis reſurgat, obtemperabunt.

Dominica ſecunda à Trinitate.

COLLECTA.

DOmine, cujus auxilium & ductus iis nunquàm deſunt, quos in tui metu & amore firmo inſtituis; nos, quæſumus, providentiæ tuæ bonæ ſcuto munias, & ſancti tui Nominis metum paritèr & amorem in nobis effice perpetuum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 *D.* Johan. iii. 13.

NOlite mirari, fratres mei, ſi vos odit mundus. Nos ſcimus, nos à morte ad vitam migrâſſe, quoniàm fratres amamus. Qui fratrem non amat, manet in morte: Quiſquis fratrem ſuum odit, homicida eſt. Scitis autem neminem eſſe homicidam, qui æternam vitam habeat in ſe manentem. Indè amorem Dei cognoſcimus, quòd & ille pro nobis animam ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Jam qui cùm hujus vitæ facultates habeat, & fratrem ſuum egere videat, tamen non ejus vicem miſeràtur, quî fieri poteſt ut ſit Dei charitate præditus? Filioli mei, non verbis aut linguâ, ſed re ac veritate amemus. Ità fiet, ut nos à veritate eſſe intelligamus, & id in ejus conſpectu animis perſuaſum habeamus. Quòd ſi nos damnat animus noſter, major eſt Deus quàm noſter animus, & cuncta novit. Chariſſimi, ſi noſter animus nos non damnat, confidentiam habemus ad Deum: Ac quicquid poſtulamus, id ab eo impetramus, quoniàm ejus præceptis obtemperamus, eíque morem gerimus. Atque hæc eſt ejus præceptio, ut in ejus Filii Jeſu Chriſti nomen credamus, & inter nos amemus, quemadmodùm præceptum dedit. Ac qui ejus præceptis obedit, & ipſe in illo, & ille in ipſo manet. Atque hinc eum in nobis manere cognoſcimus, videlicèt ex Spiritu, quo nos donavit.

Evangelium D. Luc. xiv. 16.

HOMO quidam (inquit ei) fecit magnam cœnam, multóſque invitavit: Et horâ cœnæ ſervum ſuum miſit, qui invitatos venire juberet: Jam enim parata eſſe omnia. At illi omnes ad unum ſe excuſare. Primus ſic ei dixit; Fundum emi, & eum viſere neceſſe habeo; rogo te, habe me excuſatum. Alter itèm dixit; Juga boum emi quinque, & ea expertum

tum eo; rogo te, habe me excuſatum. Itèm alius, Uxorem duxi, inquit, ideóque ire non poſſum. Hæc ſervus domino ſuo renunciatum ivit. Tum iratus paterfamiliâs dixit ſervo ſuo; Egredere eveſtigiò in urbis areas atque vicos; & pauperes, mutilóſque, & claudos, & cæcos hùc introducito. Deindè ſervus, Domine, inquit, factum eſt ut imperâſti, ſed ſupereſt locus. Tum Dominus, Proficiſcere in vias, inquit, & in ſepta, & intrare coge, ut domus mea compleatur. Nam illud ſcitote, neminem hominum illorum invitatorum eſſe meam cœnam guſtaturum.

Dominica tertia à Trinitate.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, pro tua clementia nos exaudias: da etiàm, ut nobis, quibus accendiſti ſtudium tibi ex animo ſupplicandi, potentiæ tuæ magnitudo auxilium ferat in periculis, & in adverſis rebus ſolatium, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 *D.* Pet. v. 5.

SImilitèr juniores parete ſenioribus, & omnes invicèm obſequendo modeſtiâ ornamini: Nam Deus & ſuperbis adverſatur, & modeſtorum fautor eſt. Quamobrèm ſummittite vos potenti Dei manui (ut vos tempore curationis evehat) omni veſtri curâ in eum rejectâ; quippè cui curæ ſitis. Sobrii eſte, vigilate: Nam adverſarius veſter, Diabolus, ut leo rugiens, circuit, quærens quem devoret. Cui reſiſtite fide firmi, ſcientes eadem veſtris, qui in orbe degunt, fratribus uſu venire patienda. Deus verò omnis gratiæ, qui nos ad æternam ſuam gloriam per Chriſtum Jeſum vocavit, is vos paulùm paſſos componat, confirmet, corroboret, fundet. Ei gloria & imperium in perpetua ſecula. *Amen.*

Evangelium D. Luc. xv. 1.

FRequentabant autem eum omnes publicani, & improbi, ejus audiendi gratiâ; & fremebant Phariſæi atque Scribæ, dicentes, eum improbos admittere, cúmque es cibum capere. Atque ille eis hujuſmodi ſimilitudinem in hæc verba dixit: Quis homo veſtrûm eſt, qui, ſi centum habeat oves, & earum unam perdiderit, non relinquat in ſaltu nonaginta novem, & ad perditam vadat, donèc eam inveniat? quam inventam ſuis imponit humeris, gaudens:

gaudens: Domúmque profectus, convocatos ſuos amicos & vicinos admonet, ut ſibi congratulentur, qui ſuam ovem perditam invenerit. Scitote eodem modo majorem fore in cœlo lætitiam ob unum ſontem, qui redeat ad frugem, quàm ob nonaginta novem inſontes, qui vitæ correctione non egeant. Aut quæ mulier eſt, quæ, ſi drachmas habeat decem, & unam drachmam amittat, non lucernam accendat, domúmque verrat, & diligentèr conquirat donèc inveniat? Ac, eâ inventâ, convocat amicas & vicinas, eáſque, ut ſibi congratulentur, monet; ſeſe enim quam perdiderat inveniſſe drachmam. Eodem modo ſcitote apud divinos angelos lætitiam fieri ob unum ſontem, qui ad frugem redeat.

Dominica quarta à Trinitate.

COLLECTA.

DEUS, omnium qui ſibi collocant in Te præſidium propugnator, ſine quo nihil eſt validum, nihil eſt ſanctum: adauge & accumula nobis clementiam tuam; ut, Te Rectore, Te duce noſtro, ità migremus per temporaria, ut tandèm ſempiternis non excidamus: His annue, cœleſtis Pater, gratiâ Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

Epiſtola Rom. viii. 18.

CEnſeo autem, ea, quæ hoc tempore patienda ſunt, nequaquàm eſſe paria gloriæ, quâ ſumus afficiendi. Ea eſt enim rerum naturæ expectatio, ut filiorum Dei patefactionem præſtoletur. Nam vanitati natura rerum ſubjecta eſt, non ſuâ ſponte, ſed per eum qui eam ſpei ſubmiſit, fore ut ipſa quoquè rerum natura ab interitûs ſervitute aſſeratur, in glorioſam liberorum Dei libertatem. Scimus enim, omnem rerum naturam hactenus congemiſcere atque condolere. Quinetiàm nos quoquè, qui Spiritûs primitias habemus, intra nos ipſos gemimus, adoptionem expectantes, liberationem noſtri corporis.

Evangelium D. Luc. vi. 36.

ESTE igitùr miſericordes, ut veſter etiam Pater eſt miſericors. Nè judicate, & non judicabimini: Nè damnate, & non damnabimini. Remittite, & vobis remittetur; donate, & vobis donabitur; vobis menſura bona, conferta, concuſſa, ac ſuper-

ſuperfluens in ſinum donabitur. Eâdem enim menſurâ quâ metiemini, remetietur vobis. Dicebat autem eis ſimilitudinem: Potéſtne cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadent? Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum ſuum: At unuſquiſque, qui perfectus eſt, eâdem conditione erit, quâ ejus magiſter. Quid autem cernis feſtucam in tui fratris oculo, & trabem in tuo ipſius oculo non animadvertis? Aut quî potes dicere fratri tuo, frater, ſine ut extraham feſtucam quæ eſt in oculo tuo; ipſe trabem, quæ in oculo tuo eſt, non cernens? Hiſtrio, extrahe priùs trabem ex oculo tuo, tum demùm cernes, ut feſtucam extrahas, quæ eſt in tui fratris oculo.

Dominica quinta à Trinitate.

COLLECTA.

DA, quæſumus, Domine, ſub tuo ductu rerum humanarum curſum tranquillè adeò dirigi, ut Eccleſia tua tibi cum lætitia & pia quiete ſerviat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 Pet. iii. 8.

ESTE omnes unanimes, eodem modo affecti, fraterno amore, miſericordes, affabiles, non malum malo, aut convicium convicio rependentes, ſed è contrario fauſta precantes: Scientes ad hoc vocatos eſſe vos, ut felicitatem obtineatis. Nam qui vitæ cupidus eſt, & felicia videre vult tempora, coërceat linguam ſuam à malitia, & labra ſua à loquendo fraudulentèr: Declinet malum, & faciat benè: Studeat paci, eámque perſequatur. Habet enim Dominus oculos intentos in juſtos, & aures ad eorum implorationem. Faciem autem habet Dominus intentam in maleficos. Ecquis verò eſt qui vos lædet, ſi bonitatis imitatores ſitis? quanquàm etiàm, ſi propter juſtitiam feratis injuriam, felices eſtis. Quæ verò metuunt illi, vos nè metuite, neve turbamini, ſed Dominum Deum animis ſanctè colite.

Evangelium D. Luc. v. 1.

CUM autem hominum turba, divini ſermonis audiendi gratiâ, ei incumberet, ad Genneſarethicum lacum aſtanti; conſpicatus duo navigia ad lacum ſtantia (de quibus degreſſi piſcatores retia lavabant) conſcendit navigiorum unum, quod Simonis erat: Eúmque monuit ut paulum à terra ſummoveret,

ret, reſedítque, & hominum turbam ex navigio docere cœpit. Deinde, facto loquendi fine, Simoni juſſit ut in altum ſubduceret, útque ſua retia laxarent ad prædam. Cui Simon reſpondit; Præceptor, tametſi totam noctem laborantes nihil cepimus, tamen ad tuum dictum laxabo rete. Atque, eo facto, tantam piſcium multitudinem concluſerunt, ut diſrumperetur eorum rete. Itaque ſociis innuerunt, qui in altero erant navigio, ut ſe adjutum venirent. Qui ubi venerunt, utramque navem adeò repleverunt, ut eæ ſummergerentur. Eo viſo, Simon Petrus ad ejus genua ſe abjecit, &, Diſcede à me, inquit, nam ego nocens homo ſum, Domine. Erat enim ſtupore correptus tum ipſe, tum omnes ejus comites, ob piſcium quam ceperant prædam. Similitèr & Jacobus ac Johannes, Zebedæi filii, qui erant Simoni ſocii. At Jeſus Simoni dixit; Ne metue, deincèps homines capies. Deindè illi, deductis ad terram navibus, eum, relictis omnibus, ſecuti ſunt.

Dominica ſexta à Trinitate.

COLLECTA.

DEUS, qui tuis amatoribus, quæ humanam mentem exuperant, bona præparâſti; tam eximium tui amorem cordibus noſtris infunde, ut, tui præ omnibus amantes, promiſſa tua, quæ omnium vota exuperant, conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Rom. vi. 3.

AN ignoratis, quicunque ſumus Chriſti Jeſu nomine baptizati, ad ejus mortem eſſe baptizatos? Sumus ergò unà cum eo per baptiſma ad mortem ſepulti: Ut quemadmodùm Chriſtus ex mortuis in paterna gloria reſurrexit, ſic & nos in vitæ novitate gradiamur. Si enim ejus mortis ſimilitudine inſititii facti ſumus, etiam reſurrectionis erimus: Illud ſcientes, veterem noſtrum hominem ſimul eſſe crucifixum, ut peccati corpus aboleatur, nè nos ampliùs peccato ſerviamus. Nam qui mortuus eſt, is peccato abſolutus eſt. Quod ſi unà cum Chriſto mortui ſumus, etiam cum eo victuros credimus: Scientes, Chriſtum ex mortuis excitatum non jam moriturum eſſe, non jam morti eſſe obnoxium. Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel: quòd autem vivit, Deo vivit. Sic vos quoque exiſtimate,

mate, voſipſos mortuos quidem eſſe peccato, ſed vivos Deo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Evangelium D. Matth. v. 20.

HOC enim vobis dico, niſi juſtitiâ Scribis & Phariſæis excellueritis, non eſtis in cœleſte regnum ingreſſuri. Audiviſtis antiquis eſſe dictum, Nè occidito: Quòd qui occiderit, eum teneri judicio. Ego verò dico vobis; Quiſquis immeritò fratri ſuo iraſcitur, tenebitur judicio; & qui fratrem ſuum balatronem vocaverit, tenebitur conſeſſu; & qui fatuum vocaverit, tenebitur ignis gehennâ. Itaque, ſi, oblaturus tuum munus ad aram, ibi recordatus fueris tuum fratrem habere quod de te queratur, relinque illic tuum munus ad aram, & prius i, reconciliare tuo fratri, atque ita demum i oblatum munus tuum. Compone cum adverſario tuo maturè, dum es in via cum eo, ne te tradat adverſarius judici, & judex miniſtro, atque ità in cuſtodiam deris. Profectò (inquam ego tibi) non exibis indè, quin ultimum ſolveris quadrantem.

Dominica ſeptima à Trinitate.

COLLECTA.

DEUS, cujus eſt potentia, & qui bonorum omnium fons & largitor ſis, mentibus noſtris amorem tui nominis inſere; fac in nobis veræ religionis incrementum; quæ bona ſunt iis nos inſtitue, & pro tua clementia nos in iis cuſtodi, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Rom. vi. 19.

HUmano more dico, propter veſtræ humanæ naturæ imbecillitatem: Ut enim veſtra membra impuritati ac ſceleri ſerva præbuiſtis ad ſcelus, ità nunc quoquè membra veſtra ſerva præbete juſtitiæ ad ſanctimoniam. Nam, cùm ſervi eſſetis peccati, eratis à juſtitia liberi. Quem verò tum fructum percipiebatis eorum, quorum nunc vos pudet? Illorum enim finis mors eſt. At nunc peccato liberati, Deóque emancipati, fructum veſtrum percipitis ad ſanctitatem; ad extremum vitam adepturi ſempiternam. Etenim peccati ſtipendia mors eſt: At Dei beneficium ſempiterna vita per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Evan-

Evangelium D. Marc. viii. 1.

PER eos dies erat permagna hominum multitudo, nec habebant quod comêſſent; & Jeſus, advocatis ſuis diſcipulis, inquit, Miſeret me hujus multitudinis, ſiquidem jam tres dies me comitantur, nec habent quod comedant. Quòd ſi eos domum jejunos dimiſero, defetiſcentur in via: Nam eorum nonnulli procul venerunt. Et diſcipuli ejus ſic ei reſponderunt; Undè poſſit eos quiſquam panibus hîc in ſolitudine ſatiare? At ille eos interrogavit; Quot habetis panes? Septem, inquiunt. Tum ille juſſit multitudinem humi diſcumbere: Sumptóſque ſeptem panes, actis gratiis, fregit, ſuíſque tradidit diſcipulis, ut apponerent: Quos illi appoſuerunt multitudini. Cúmque paucos haberent piſciculos, ille, actis laudibus, juſſit eos quoquè apponi. Illi verò epulati ſunt ad ſatietatem, ſúntque ſublatæ reliquorum fragmentorum ſportæ ſeptem. Erant autem, qui comederunt, circiter quatuor millia, & dimiſit eos.

Dominica octava à Trinitate.

COLLECTA.

DEUS, cujus perpetua quidem providentia omnia tum in cœlo, tum in terra, adminiſtrat; Te ſupplices exoramus, ut omnia noxia à nobis avertas, & in nos quæ profutura ſint conferas, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Rom. viii. 12.

FRatres, debemus non carni, ut ad carnis libidinem vivamus. Nam ſi carnis arbitrio vixeritis, morituri eſtis. Sin Spiritu corporis actiones peremeritis, vivetis. Nam quicunque Dei ſpiritù aguntur, ii Dei Filii ſunt. Non enim ſervitutis Spiritum accepiſtis rurſus ad metum; ſed ſpiritum accepiſtis adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater. Is Spiritus animis noſtris teſtatur, nos eſſe Dei liberos: Quòd ſi liberos, etiam heredes, heredes, inquam, Dei, Chriſti autem coheredes: Si modò ſimul patiamur, ut ſimul etiam glorioſi fiamus.

Evangelium D. Matth. vii. 15.

CAvete autem falſos vates, qui quidem veniunt ad vos in veſtimentis ovium, cùm intùs ſint rapaces lupi. Eos ex ſuis fructibus cognoſcetis. Scilicèt colligitur ex ſpinis uva? aut ex tribulis ficus? Ità omnis arbor bona fructus bonos edit: Mala autem arbor fructus malos edit. Non

poteſt arbor bona fructus ferre malos; nec arbor mala fructus ferre bonos. Omnis arbor, bonum fructum non ferens, exciditur, & in ignem conjicitur. Igitur ex ſuis illos fructibus cognoſcetis. Non quiſquis mihi dicet, Domine, Domine, intrabit in cœleſte regnum; ſed qui fecerit quod vult Pater meus, qui eſt in cœlis.

Dominica nona à Trinitate.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, nos dona Spiritu, per quem ſemper & cogitemus paritèr & agamus quæ recta ſunt; ut, qui ſine Té boni quicquam præſtare non poſſumus, per Te ad præſcriptum tuum vivere valeamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 Cor. x. 1.

NOLO autem vos ignorare, fratres, majores noſtros omnes ſub nube fuiſſe, & omnes mare trajeciſſe, & omnes nomine Moſis nube, maríque baptizatos, & omnes eodem ſpirituali cibo uſos fuiſſe, & omnes eandem potionem ſpiritualem bibiſſe. (Bibebant enim ex ſpirituali ſequente eos petra, quæ petra Chriſtus erat.) Et tamen eorum plerique Deo accepti non fuerunt: Sunt enim in ſolitudine proſtrati. Hæc autem nobis exempla præbent, nè ſimus malorum cupidi, ut illi concupiverunt. Néve deaſtrorum cultores ſitis, ut illorum nonnulli, ſicuti ſcriptum eſt; Sedit populus ad capiendum cibum ac potionem, deinde ſurrexerunt ad ludendum. Néve ſcortemur, quemadmodùm eorum nonnulli ſcortati ſunt, ideóque ceciderunt uno die viginti tria millia. Néve Chriſtum tentemus, quemadmodùm eorum nonnulli tentârunt, itaquè à ſerpentibus perierunt. Néve murmurate, quemadmodùm eorum nonnulli murmurârunt, itaquè ab exterminatore perierunt. Hæc autem omnia illis ut exempla contigerunt, ſcriptáque ſunt noſtri, qui in extrema ſeculorum incidimus, admonendi gratiâ. Proindè, qui ſibi ſtare videtur, videat nè cadat. Nulla vos, niſi humana, invaſit tentatio. Sed ità fidelis Deus eſt, ut vos non ſit tentari permiſſurus ſuprà quàm poſſitis; ſed cum tentatione ejuſmodi eventum facturus, ut ferendo vincere poſſitis.

Evan-

Evangelium D. Luc. xvi. 1.

DIxit item ſuis diſcipulis: Homo quidam dives diſpenſatorem habebat, qui apud eum, tanquam qui ejus bona dilapidaret, delatus eſt: & ille vocatum eum ſic allocutus eſt; Quid eſt, quod audio de te? redde tuæ diſpenſationis rationem: Nec enim tibi licebit ampliùs diſpenſatori eſſe. Tum diſpenſator ſic ſecum cogitare; Quid agam? cùm meus herus à me diſpenſationem auferat: Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid agam, ut, cùm abdicatus diſpenſatione fuero, ſint qui me in ſuas domos accipiant. Igitùr, advocatis ſingulis heri ſui debitoribus, dixit primo, Quantum debes hero meo? Centum batos olei, inquit. Et ille; Accipe tuum ſcriptum, inquit ei, & ſede continuò, ac ſcribe quinquaginta. Deindè alteri dixit; Tu verò quantum debes? Centum frumenti coros. Accipe tuum ſcriptum, inquit, & ſcribe octoginta. Itaquè laudavit herus diſpenſatorem iniquum, quòd prudentèr feciſſet: Nam hujus ſeculi filii ſunt in ſuo genere prudentiores, quàm filii lucis. Et ego hoc vobis dico; Facite vobis amicos ex falſis opibus, ut, cùm defuncti fueritis, admittant vos in æterna domicilia.

Dominica decima à Trinitate.

COLLECTA.

HABE aures tuas, Domine, apertas ad tuorum cultorum ſupplicum precationes; útque petentibus poſtulata concedas, fac eos, quæ apud Te grata ſunt, petere, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 Cor. xii. 1.

QUOD ad ſpiritualia, fratres, attinet, nolo vos ignorare. Scitis, cùm extranei eſſetis, ut ad mutos deaſtros duceremini ac abduceremini. Itaquè declaro vobis, neminem eſſe, qui, divino afflatu loquens, Jeſum verbis execretur: Itémque neminem eſſe, qui Dominum poſſit Jeſum dicere, niſi per Sanctum Spiritum. Sed diſcrimina ſunt donorum, cùm ſit idem Spiritus: & diſcrimina ſunt miniſteriorum, cùm ſit idem Dominus: Et diſcrimina ſunt effectionum, cùm ſit idem Deus, qui omnia efficit in omnibus. Datur autem cuique declaratio Spiritûs, prout commodum eſt. Huic enim per Spiritum datur oratio ſapientiæ:

pientiæ: Illi oratio ſcientiæ, ex eodem Spiritu: Alii fides, per eundem Spiritum: Alii dona ſanationum, per eundem Spiritum: Alii prodigiorum effectiones: Alii vaticinatio: Alii ſpirituum dijudicationes: Alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum. Atque hæc omnia efficit unus idémque Spiritus, diſpertiens privatìm cuique ut vult.

Evangelium D. Luc. xix. 41.

DEindè, ut propiùs acceſſit, viſâ urbe deploravit eam, dicens; O ſi ſcires tu, & quidem hac ipsâ tuâ die, quæ tibi ſaluti forent: Sed nunc tuos latent oculos. Venient enim tibi dies, cùm te tui hoſtes vallo circundabunt, & circumſidebunt, & prement undiquè; Téque, & tuos in te natos complanabunt, nec in te lapidem lapidi impoſitum relinquent: Quoniàm tempus, quo tui habita cura fuerit, non noveris. Deindè, in fanum ingreſſus, cœpit vendentes in eo & ementes ejicere, dicens eis, Scriptum eſt: Mea domus ſupplicationis domus eſt; ac vos ex ea latronum ſpeluncam feciſtis. Docebat autem quotidiè in fano.

Dominica undecima à Trinitate.

COLLECTA,

DEUS, cujus potentiæ magnitudo, cùm clementiâ uteris & miſericordiâ, tum maximè innoteſcit: Eum gratiæ tuæ modum nobis clemens impertire, per quem, præcepta tua exequentes, promiſſorum tuorum gratiam conſequamur, & cœleſtis tui theſauri fiamus participes, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 Cor. xv. 1.

DEclaro autem vobis, fratres, Evangelium, quod vos docui, & quod accepiſtis, & in quo ſtatis, & per quod ſervabimini, quâ ratione vos docuerim, ſi tenetis, niſi ſi fruſtrà credidiſtis. In primis enim vobis tradidi, id quod acceperam, Chriſtum mortuum eſſe propter peccata noſtra, ut eſt in literis: Et ſepultum eſſe, & tertio die reſurrexiſſe, ut in literis habetur: Et apparuiſſe Cephæ, deindè duodecim: Deindè apparuiſſe pluſquàm quingentis fratribus ſemel, quorum plerique ſunt adhuc ſuperſtites, nonnulli obdormiverunt. Deindè apparuit

Jacobo,

Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus. Poſtremò omnium, quaſi abortivo, apparuit etiam mihi. Ego enim ſum Apoſtolorum minimus, indignus qui vocer Apoſtolus, qui divinam Eccleſiam inſectatus ſim. Sed Dei beneficio ſum quod ſum: Et ejus in me beneficium adeò inane non fuit, ut plus quàm eorum quiſquam laboraverim; vel potiùs non ego, ſed Dei gratia, quæ mihi aderat. Igitùr & ego & illi ità prædicamus; & ità vos crediditis.

Evangelium D. Luc. xviii. 9.

DIxit itèm ad quoſdam (qui ſibi ſe juſtos eſſe perſuaſerunt, alióſque contemnebant) hoc exemplum. Homines duo in templum aſcenderunt, orandi gratiâ, alter Phariſæus, alter Publicanus. Ibi Phariſæus hæc apud ſe precabatur: Deus, ago tibi gratias, quòd non ſum quales reliqui hominum, rapaces, injuſti, adulteri; aut etiam qualis hic Publicanus. Jejuno bìs intra ſingula Sabbata: Decumas do omnium quæ poſſideo. At Publicanus, procul abſiſtens, nè oculos quidem in cœlum attollere audebat, ſed ſibi pectus tundebat dicens; Deus propitius eſto mihi ſonti. Scitote, hunc approbatum deſcendiſſe domum ſuam: Illum non itèm; nam quiſquis ſeipſum extulerit, deprimetur; & qui ſe depreſſerit, extolletur.

Dominica duodecima à Trinitate.

COLLECTA.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui ſemper magìs propenſus ſis ad preces noſtras admittendum, quàm nos ad ferendum eas; & qui meliora quàm quæ vel petimus, vel meremur, in nos conferre ſoles; effunde ſuper nos ubertatem clementiæ tuæ, ea nobis remittens quæ noſtra metuit conſcientia, & largiens bona, quæ non ſumus digni, qui petamus, niſi per merita & mediationem Filii tui, Domini noſtri, Jeſu Chriſti. *Amen.*

Epiſtola 2 Cor. iii. 4.

IN ea autem apud Deum perſuaſione ſumus per Chriſtum: non quia per noſipſos ſimus idonei, qui aliquid, ut per noſipſos, vel cogitemus; ſed quòd idonei ſimus, id à Deo eſt, qui nos idoneos reddidit novi fœderis miniſtros, non literæ, ſed ſpiritûs: Nam litera perimit, at ſpiritus vivificat.

vificat. Quòd ſi mortis miniſterium, in literis impreſſum in lapidibus, tamen tanti fuit ſplendoris, ut non poſſent Iſraëlitæ in Moſis vultum intueri, propter ejus vultûs ſplendorem periturum: Nónne magis ſpiritûs miniſterium erit cum ſplendore conjunctum? Si enim damnationis miniſterium ſplendidum eſt, multo magis excellit ſplendore miniſterium juſtitiæ.

Evangelium D. Marc. vii. 31.

RUrsùm profectus ex Tyriis, Sidoniiſque finibus venit ad Galilææ lacum, per medios fines Decapolis, eíque adductus eſt ſurdus tardiloquus, cui ut manum imponeret, rogatus eſt. Atque ille, eo ſeorsùm extra turbam ſeducto, immiſit ſuos digitos in ejus aures, ſpuítque, & ejus linguam tetigit, &, in cœlum intuens, ingemuit, eíque dixit, EPHATHA, hoc eſt, aperitor: Ac protinùs illius & aures apertæ, & ſolutum eſt linguæ vinculum, ità ut rectè loqueretur. Præcepit autem eis, ut id nemini dicerent. Sed quò magis eis præcipiebat, eò magis prædicabant; & majorem in modum obſtupeſcebant, dicentes eum omnia rectè feciſſe, & ut ſurdi audirent, & ut muti loquerentur, efficere.

Dominica decima tertia à Trinitate.

COLLECTA.

OMnipotens Deus & exorabilis, à cujus ſolius beneficentia provenit, ut fideles tui verum & laudabilem cultum tibi præſtent; da, quæſumus, fidelem adeò tuo cultui demus operam in hac vita, ut tandem cœleſtibus tuis promiſſis non excidamus, per merita Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

Epiſtola Gal. iii. 16.

ABrahamo autem promiſſa ſunt illa, & ejus ſemini. Non dicit, Et ſeminibus, quaſi de multis, ſed ut de uno: Et ſemini tuo, qui Chriſtus eſt. Hoc autem dico: Fœdus à Deo ſancitum, ſpectans in Chriſtum, lex, quæ poſt annos quadringentos triginta fuit, non antiquat, ità ut promiſſionem reſcindat. Atqui ſi à lege pendet hereditas, non jam pendet à promiſſo, & tamen Abrahamo per promiſſum donavit Deus. Quorsùm ergò lex? delictorum causâ adjecta eſt, donèc veniret ſemen, cui promiſſum erat: Inſtituta per angelos, lata per ſequeſtrum. Sequeſter autem unius non eſt, atqui

Deus

Deus unus eſt. Ergóne lex eſt contraria Dei promiſſis? Nequaquám. Si enim data lex eſſet, quæ vitam conferre poſſet, planè in lege ſita foret juſtitia. Sed concluſerunt literæ ſacræ omnia ſub peccatum, ut promiſſum per Chriſti Jeſu fidem daretur credentibus.

Evangelium D. Luc. x. 23.

FElices oculi, qui aſpiciunt quæ vos aſpicitis. Scitote enim multos vates atque reges voluiſſe videre, quæ vos aſpicitis, neque vidiſſe; & audire, quæ auditis, nec audiviſſe. Hîc ſurrexit quidam legiſperitus, qui eum hujuſmodi verbis tentavit: Magiſter, quid faciendo ſempiternam vitam conſequar? Cui ille; In lege quid ſcriptum eſt? inquit; Quomodo legis? Et ille reſpondens; Dominum Deum tuum, inquit, toto corde, toto animo, totis viribus, totâque mente amato: Itémque proximum tuum perindè ac teipſum. Rectè reſpondiſti, inquit ei: Id facito, & vives. At ille, ſeipſum commendare volens, dixit Jeſu; Ecquis eſt meus proximus? Tum Jeſus ita ſubjecit; Homo quidam, Hieroſolymâ ad Hierichuntem deſcendens, in latrones incidit, qui eum diſpoliârunt, inflictíſque vulneribus diſceſſerunt, eo ſeminece relicto. Fortè fortunâ ſacerdos quidam, qui deſcendebat per eam viam, illum ut vidit, præteriit. Similitèr & Levita, ad eum locum delatus, ubi venit, vidítque, præteriit. Samaritanus verò quidam, iter faciens, venit ad eum: Eóque viſo, miſertus acceſſit, & ejus vulnera oleo, vinóque perfuſa obligavit, & eum jumento ſuo impoſitum duxit in diverſorium, ejúſque curam egit; & poſtridiè digreſſurus, deprompſit duos denarios, & cauponi dedit, eíque mandavit ut ejus curam haberet: Seſe, quicquid ille inſupèr inſumpſiſſet, ei in ſuo reditu eſſe ſoluturum. Quis igitùr horum trium tibi videtur proximus illius fuiſſe, qui in latrones inciderat? Et ille; Qui ei miſericordiam tribuit, inquit. Tum Jeſus, i, inquit, & tu facito ſimilitèr.

Dominica decima quarta à Trinitate.

COLLECTA.

OMnipotens & ſempiterne Deus, da nobis Fidei, Spei, Charitatíſque incrementum; útque promiſſa tua conſequamur, fac nos amare quod præcipis, per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola

Epiſtola Gal. v. 16.

DICO autem, obtemperate Spiritui, néve carnis cupiditatem exequimini. Caro enim, contra quàm ſpiritus, & ſpiritus contra quàm caro concupiſcit. Atque hæc ità ſunt inter ſeſe contraria, ut non, quæ velitis, ea faciatis; quòd ſi ſpiritu agimini, non eſtis ſub lege. Sunt autem manifeſta carnis opera, videlicèt adulterium, ſtuprum, impuritas, ſalacitas, deaſtrorum cultus, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iracundiæ, contentiones, ſeditiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: Quæ qui faciunt (hoc vobis prædico, quemadmodùm jam prædixi) ii divinum regnum non obtinebunt. At Spiritûs fructus eſt charitas, gaudium, pax, clementia, benignitas, bonitas, fides, lenitas, continentia: Contra talia non eſt lex. Qui ſunt autem Chriſti, ii carnem unà cum libidinibus & cupiditatibus crucifixerunt.

*Evangelium D.*Luc. xvii. 11.

CUM autem Hieroſolymam contenderet, & per Samariam, Galilæámque vaderet, ei in quendam vicum ingredienti occurrerunt decem homines leproſi, qui procul ſteterunt, & ſublatâ voce dixerunt; Jeſu præceptor, miſerere noſtri. Quibus ille viſis, Ite, inquit, oſtenſum vos ſacerdotibus. Atque illi inter abeundum purgati ſunt. Unus autem eorum, ſe ſanatum eſſe videns, rediit, Deum magnâ voce collaudans; & ad illius pedes pronus accidit, ei gratias agens. Erat autem is Samaritanus. At Jeſus ſic locutus eſt; Nónne decem purgati ſunt? ubi verò ſunt novem? Nullúmne repertum eſſe, qui ſit ad gloriam Deo tribuendam reverſus, niſi hunc alienigenam? Surge (inquit) abi: tua te fides ſervavit.

Dominica decima quinta à Trinitate.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, clementiâ tuâ Eccleſiam tuam in æternum protegas: Et, quoniam ſine tua ope non poteſt non labi naturæ humanæ imbecillitas, quæcunque nobis noxia ſemper avertas, & ad ea dirigas, quæ nobis in ſalutem conducunt, per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Gal. vi. 11.

VIdete quantis vobis literis ſcripſerim meâ manu. Quicunque ſe in car-

ne

ne pulchrâ ſpecie venditant, ii vos circumcidi cogunt, tantùm ut Chriſti cruce non infeſtentur. Nam ne ipſi quidem, qui circumciduntur, legi parent: Sed ideò vos circumcidi volunt, ut in veſtra carne glorientur. At mihi gloriari nè ſit, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem & mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Etenim in Chriſto Jeſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, ſed nova creatura. Et quicunque ad hanc normam ſe gerent, iis pax & miſericordia tribuatur, unà cum divinis Iſraëlitis. Deincèps nemo mihi negotia faceſſat: Ego enim Domini noſtri Jeſu Chriſti notas in corpore meo geſto. Domini noſtri Jeſu Chriſti gratia adſit animis veſtris, fratres. *Amen.*

Evangelium D. Matth. vi. 24.

NEMO poteſt duobus ſervire dominis: aut enim hunc oderit, illum amabit, aut hunc tuebitur, illum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & opibus. Hanc ob rem (inquam ego vobis) nè eſte de vita veſtra ſoliciti, quid eſuri, biburíve; neque de corpore, quid veſtituri ſitis. Quaſi verò non & vita pluris ſit quàm alimonia, & corpus quàm veſtitus. Aſpicite volucres aëreas, ut neque ſerant neque metant, nec in cellas congerant, tamen veſter cœleſtis Pater eas alit. Quaſi verò non vos multò ſitis eis præſtantiores? Quis autem veſtrûm ſuâ ſolicitudine poteſt unum cubitum addere ſuæ ſtaturæ? Itèm de veſtitu quid ſolicitamini? Diſcite ut terreſtria creſcant lilia, neque laborando, neque nendo. Atqui hoc vobis dico, nè Solomonem quidem cum omni ſplendore ſuo ità veſtitum fuiſſe, ut horum quodlibet. Quòd ſi terreſtrem herbam (quæ hodiè eſt, & cras in clibanum conjicitur) Deus ſic veſtit, nonne multò magis vos, ô parùm fidentes? Nè eſte igitur ſoliciti, dicentes; Quid edemus? aut quid bibemus? aut quid induemus? Iſta enim omnia requirunt extranei. Scit enim veſter cœleſtis Pater, vos iſtis omnibus egere. Sed quærite primùm regnum, juſtitiámque Dei, & iſta omnia vobis addentur. Nè eſte igitur in craſtinum ſoliciti: Nam craſtinus dies ſua curabit: Satìs eſt ſuum cuique diei malum.

Dominica decima ſexta à Trinitate.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, ut pro clementia tua Eccleſiam tuam perpetuò mundare velis & protegere; &, propterea quòd, niſi ei Tu auxilio ſis, non ſalva perſtet, tuo ſemper Numine & benignitate conſervetur, per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Epheſ. iii. 13.

PETO, nè animos deſpondeatis, ob eas, quas ego pro vobis fero, calamitates, quæ veſtra gloria eſt. Hujus gratiâ flecto mea genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis & in cœlis & in terra denominatur cognatio, ut pro ſua glorioſa opulentia det vobis fortitèr corroborari per ſuum Spiritum, in interiorem hominem, quò habitet Chriſtus per fidem in veſtris animis; & ſitis in charitate radicati atque fundati, ut comprehendere ac cognoſcere valeatis, unà cum ſanctis omnibus, quàm latè longéque, quàm altè ac ſublimè pateat, & quàm omnem cognitionem excedat amor Chriſti, ut omni divinâ perfectione ſitis perfecti. Ei verò, qui eâ vi, quæ viget in nobis, poteſt omnia longè, longéque copioſiùs facere quàm nos poſcere aut cogitare, ei, inquam, gloria in Eccleſia, per Chriſtum Jeſum, in omnem omnium ſeculorum perpetuitatem. *Amen.*

Evangelium D. Luc. vii. 11.

ACcidit poſtridiè ut proficiſceretur in oppidum nomine Naim, comitantibus eum frequentibus ejus diſcipulis, & ingenti hominum turbâ. Atque, ut oppidi portæ appropinquavit, ecce efferebatur mortuus, unicus matri filius, eíque viduæ, comitante eam frequente oppidanorum turbâ. Eâ visâ, miſeratus eam Dominus, dixit ei, Nè plora. Deindè ad feretrum acceſſit, & id tetigit, cúmque reſtitiſſent qui portabant, dixit; Adoleſcens, inquam tibi, ſurge. Tum mortuus ſedit, loquíque cœpit, atque ille eum matri ſuæ tradidit. Indè omnes, metû correpti, Deum collaudare, dicentes, magnum apud ipſos ortum eſſe vatem, Deúmque ſuorum curam habere. Atque is ſermo de eo totam Judæam, finitimámque regionem pervaſit.

Dominica

Dominica decima ſeptima à Trinitate.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, tua nos gratia ſemper præveniat, & ſimul ſequatur, & faciat nos in omnibus bonis operibus aſſiduos eſſe, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Epheſ. iv. 1.

EXhortor ergò vos ego propter Dominum vinctus ut ità vos geratis, ut dignum eſt iſtâ conditione, ad quam vocati eſtis, cum omni modeſtia ac manſuetudine, cum patientia, ferentes alius alium cum charitate, ſpiritûs unitatem pacis vinculo tueri ſtudentes. Unum corpus, unúſque ſpiritus, quemadmodùm in unam conditionis veſtræ ſpem eſtis vocati. Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſupra omnia, & per omnia, & in omnibus.

Evangelium D. Luc. xiv. 1.

CUM autem in domum veniſſet cujuſdam Phariſæorum primarii Sabbato ad cibum capiendum, & illi eum obſervarent, adeſſétque tum homo quidam hydropicus ante eum: Jeſus, legiſperitos & Phariſæos alloquens, quæſivit, an Sabbato curare fas eſſet? Atque, illis tacentibus, Jeſus illum prehendit, ſanavítque & dimiſit, illóſque ſic affatus eſt: Quis veſtrûm eſt, qui, ſi ejus aſinus aut bos in puteum cadat, non eum protinùs extrahat die Sabbati? Ad hæc illi ei contrà reſpondere non potuerunt. Dixit itèm invitatis exemplum (animadvertens ut prima accubandi loca deligerent) eos ſic alloquens; Si fueris ab aliquo vocatus ad nuptias, noli accubare primo loco, nè, ſi quis honoratior te ſit ab eo invitatus, veniat is qui & te & illum vocavit, tibíque, ut illi locum des, jubeat, atque ità ſit tibi ultimus locus cum pudore occupandus. Sed, cùm fueris invitatus, i accubitum ultimo loco, ut, cùm venerit, qui te invitaverit, dicat tibi; Amice, aſcende ſuperiùs; id quod tibi erit, apud eos qui tecum accumbent,glorioſum. Nam, quiſquis ſeipſum evexerit, deprimetur: Et, qui ſe depreſſerit, evehetur.

Dominica decima octava à Trinitate.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, populum tuum impertire gratia, per quam Mundi, Carnis, & Satanæ tentationibus reſiſtat, & ſincero affectu & mente Te ſolum verum Deum proſequatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola 1 Cor. i. 4.

AGO Deo meo ſemper de vobis gratias, ob Dei beneficium in vos collatum, per Jeſum Chriſtum: Quòd per eum adeò rebus omnibus ditati eſtis, omni & oratione & ſcientiâ, (quemadmodùm de Chriſto teſtimonium in vobis confirmatum eſt) ut nullà dote careatis, patefactionem expectantes Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vos confirmabit ad extremum inculpatos, ad diem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Evangelium D. Mat. xxii. 34.

PHariſæi verò, audientes ab eo confutatos Sadducæos, coïverunt eodem: Eúmque quidam eorum, legiſperitus, tentandi gratiâ, ſic interrogavit; Magiſter, quódnam præceptum eſt in lege maximum? Cui Jeſus: Dominum Deum tuum toto corde, toto animo, totâ mente amato: Hoc eſt primum & maximum præceptum. Alterum autem eſt huic ſimile: Alterum ut teipſum amato. Ab his duobus præceptis tota lex, vatéſque pendent. Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus in hunc modum: Quid cenſetis de Chriſto? cujus prognatum fore? Davidis, inquiunt ei. Et ille; Quî fit ergò, inquit eis, ut eum David afflatu divino Dominum vocet? ita dicens; Ait Dominus Domino meo, ſede ad meam dexteram, donèc tuos hoſtes effecero ſcabellum pedum tuorum. Quod ſi eum David Dominum vocat, quî fit ut ſit ejus prognatus? Itaquè nemo ei quicquam reſpondere potuit, nec eum ab illo die quiſquam deincèps interrogare auſus eſt.

Dominica decima nona à Trinitate.

COLLECTA.

DEUS, propterea quòd ſine te placere tibi nequeamus, propitius concede ut Spiritus Sanctus tuus in omnibus dirigat & gubernet mentes noſtras, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola

Epiſtola Epheſ. iv. 17.

HOC igitùr per Dominum dico, moneóque, nè deincèps vos geratis, quomodò cæteri alienigenæ ſe gerunt, in ſuæ mentis vanitate, animo caligantes, à divina vita alieni, propter eam, quâ præditi ſunt, ignorantiam, propter eorum animi duritiem, qui, obducto callo, ſeipſos addixerunt libidini, ad omnem obſcœnitatem avidè perpetrandam. At vos non ità Chriſtum didiciſtis, ſi modò eum audiviſtis, & ab eo (ut eſt in Jeſu veritas) docti eſtis, veterem hominem (qui ſuperiores veſtri fuere mores) deponere, qui fallacibus perit cupiditatibus; & mentis veſtræ ſpiritu renovari, ac novum hominem induere, conditum divinitùs, cum juſtitia, veráque pietate. Quamobrèm, depoſitâ falſitate, loquimini vera alius cum alio; quandoquidèm alii aliorum membra ſumus. Ità iraſcimini, ut nè peccetis: Néve ſol occidat iratis vobis, néve locum date diabolo. Qui furabatur, nè furetur ampliùs, ſed potiùs manuum labore bona comparet, ut habeat quod egentibus impertiat. Nulla vitioſa oratio ex ore veſtro prodeat, ſed ſi quæ bona eſt ad inſtructionem, quâ ſit opus ut auditoribus beneficium conferat Néve ſanctum Dei Spiritum contriſtate, quo conſignati eſtis ad liberationis diem. Omnis acerbitas, & odium, & ira, & clamoſitas, & maledicentia, deniquè omne vitium tollatur ex vobis: Ac eſte alii in alios benigni, miſericordes, condonantes inter vos, quemadmodùm Deus vobis in Chriſto condonavit.

Evangelium D. Matth. ix. 1.

IGitùr navem ingreſſus trajecit, & in oppidum ſuum venit. Tum ei allatus eſt jacens in lecto ſideratus. Et Jeſus, videns illorum fidem, dixit ſiderato: Confide, nate, remittuntur tibi peccata tua. Hîc Scribarum quidam ſecum cogitare, eum impiè loqui. Quorum cogitationes videns Jeſus, ità dixit: Cur vos pravè cogitatis cum veſtris animis? Utrum enim facilius eſt dicere, Remittuntur tibi peccata; an dicere, Surge & ambula? Atqui ut ſciatis poteſtatem habere Filium hominis in terris peccata condonandi; Surge (inquit tum ſiderato) tolle tuum lectum, & abi domum tuam. Atque ille ſurrexit, domúmque ſuam diſceſſit. Id quod videns hominum turba mirata, Deum collaudavit, qui tantam hominibus poteſtatem dediſſet.

Dominica vigeſima à Trinitate.

COLLECTA.

OMnipotens & clementiſſime Deus, quæſumus te, pro ſingulari tua clementia contra omnia noxia nos protegas, ut, mente paritèr ac corpore expediti, quæ fieri præcipis, alacritèr exequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Epheſ. v. 15.

VIdete igitùr, ut ſolertèr gradiamini, non ut inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniàm tempora mala ſunt. Quocircà nè eſte ſocordes, ſed intelligite quæ ſit Domini voluntas: Néve inebriamini vino, in quo ineſt luxuria; ſed ſpiritu pleni eſte, colloquentes inter vos carminibus, Deíque laudationibus & divinis cantionibus, Dominum ex animo canentes, ac cantantes in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: Alius alii obedientes cum Dei metu.

*Evangelium D.*Matth.xxii.1.

ET Jeſus eos iterùm his verbis per ſimilitudines allocutus eſt. In regno cœleſti ſimilitèr accidit, atque in rege quodam, qui, filii ſui nuptias facturus, dimiſit ſervos ſuos, qui invitatos ad nuptias vocarent: Sed illi noluerunt venire. Itaque alios itèm ſervos miſit, dicens; Dicite invitatis, me meum parâſſe prandium: Meos juvencos & altilia eſſe mactata, & omnia parata, veniant ad nuptias. At illi neglexerunt, & diſceſſerunt, alius in ſuum prædium, alius ad mercaturam ſuam. Cæteri comprehenſos ejus ſervos cum ignominia peremerunt. Quo audito, iratus rex, miſſis eò ſuis copiis, homicidas illos perdidit, eorúmque urbem cremavit. Deindè ſuis ſervis ità dixit: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed invitati non erant digni. Quamobrèm abite in trivia, &, quoſcunque inveneritis, vocate ad nuptias. Ità profecti in vias illi ſervi congregârunt quotquot invenerunt, tum malos, tum bonos, ità ut complerentur nuptiæ convivis. Ingreſſus autem rex, ad convivas ſpectandos, animadvertit ibi quendam non nuptiali veſtitu indutum, & ; Amice, inquit ei, quî ſit ut huc intraveris ſine veſtimento nuptiali? Cúmque ille obmutuiſſet, juſſit rex famulis, ut eum pedibus, manibúſque

búſque conſtrictum, in penitiſſimas tenebras compingerent, ubi futurus eſſet ploratus, ſtridórque dentium: Multi enim ſunt vocati, ſed pauci electi.

Dominica vigeſima prima à Trinitate.

COLLECTA.

DA, quæſumus, Domine miſericors, fidelibus tuis veniam & pacem, ut, ab omnibus ſuis culpis expiati, ſecurâ tibi mente ſerviant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Epheſ. vi. 10.

CÆterùm, mei fratres, convaleſcite in Domino, ejúſque virtutis robore. Induite divinam armaturam, ut poſſitis aggreſſiones ſuſtinere diaboli. Nec enim nobis lucta eſt adversùs ſanguinem & carnem, ſed adversùs principatus, adversùs poteſtates, adversùs mundi potentes tenebrarum hujus ſeculi, adversùs ſpiritus malitiæ, qui ſunt in rebus cœleſtibus. Quamobrèm ſumite divinam armaturam, ut adverſo tempore reſiſtere, & confectis omnibus, ſtare poſſitis. State igitùr accincti latera veritate, & juſtitiæ loricam induti, pedibus calceatis alacritate Evangelii pacis: Aſſumpto in primis clypeo fiduciæ, quo omnia mali ignea tela extinguere poteritis. Itèm ſalutis galeam ſumite, & gladium ſpiritûs, hoc eſt, Verbum Dei, omnibus precibus ac ſupplicationibus animo precantes omni tempore, atque in id ipſum invigilantes ſumma cum perſeverantia, & ſupplicatione, cùm pro omnibus ſanctis, tum pro me, ut mihi detur oratio, ad liberè verba faciendum, declarando Evangelii myſterio, pro quo legationem obeo in catena, ut id tam ingenuè eloquar, quàm debeo.

Evangelium D. Johan. iv. 46.

ERAT autem quidam regius, cujus filius ægrotabat Capharnai. Is, audiens Jeſum ex Judæa venire in Galilæam, eum adiit, rogavítque ut deſcenderet, ſuúmque filium ſanaret: Nam jamjam moriturus erat. Et Jeſus, niſi oſtenta & miracula videritis, inquit ei, non ſitis credituri. At regius, Domine, inquit, deſcende priuſquàm moriatur puer meus. Et Jeſus, Abi, inquit, vivit tuus filius. Hic, Jeſu verbis auditis, credidit homo, & diſceſſit. Jam verò, eo deſcendente, ei obviàm facti ejus ſervi nunciarunt, ejus puerum vivere:

eíque ſciſcitanti quâ horâ meliùs habuiſſet, dixerunt, pridiè horâ ſeptimâ liberatum fuiſſe febre. Cognovit itaquè pater eam ipſam horam eſſe, quâ ei dixerat Jeſus, ejus filium vivere; credidítque tum ipſe, tum ejus univerſa domus. Hoc itèm alterum oſtentum edidit Jeſus, cùm ex Judæa veniſſet in Galilæam.

Dominica vigeſima ſecunda à Trinitate.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, Eccleſiam familiam tuam in aſſidua pietate conſerves; ut ab omnibus adverſis, Te protegente, libera ſit, & religiosè dedita tuo cultui & bonis operibus, ad tui Nominis gloriam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Philip. i. 3.

AGO Deo meo gratias, quotiès veſtrî venit in mentem, ſemper in omnibus meis ſupplicationibus pro vobis omnibus cum lætitia ſupplicationem faciens, quòd Evangelium hactenùs à prima die participaveritis: Hoc fore confidens, ut qui in vobis rem bonam inchoavit, idem abſolvat uſquè ad diem Jeſu Chriſti: Quemadmodùm æquum eſt me hoc de vobis omnibus ſentire, quòd vos in animo habeam, & in vinculis meis, & in cauſæ dictione, & Evangelii confirmatione; vos omnes, inquam, collati in me beneficii unà participes. Nam vos omnes (teſtis mihi Deus eſt) dignâ Jeſu Chriſto affectione deſidero; atque hoc precor, ut charitate etiam magis magíſque excellatis, in omni cognitione & perſpicientia, ut præſtabilia approbetis, ut ſinceri ſitis, & innoxii ad Chriſti diem; pleni juſtitiæ fructibus, qui per Jeſum Chriſtum ad gloriam, laudémque Dei pertinent.

Evangelium D. Mat. xviii. 21.

PEtrus dixit ad Jeſum, Domine, quotiès peccanti in me fratri meo ignoſcere debeo? ad ſeptiéſne? Cui Jeſus; Non dicam tibi ad ſeptiès, ſed ad ſeptuagiès ſeptiés. Itaquè ſimiliter accidit in regno cœleſti, ac in homine rege, qui voluit rationes conferre cum ſuis ſervis. Cùm cœpiſſet autem conferre, adductus eſt ei quidam deciès mille talentorum debitor, qui cùm ſolvendo non eſſet, juſſit eum dominus ejus, uxorémque & liberos, & omnes ejus facultates vendi, atque ità ſolvi. Sed ſervus pro-

procubuit, &, ei præbens honorem, dixit; Domine, expecta me diutiùs, & omnia tibi ſolvam. Ità illius ſervi miſertus dominus eum dimiſit, eíque debitum condonavit. At ſervus ille digreſſus quendam nactus conſervorum ſuorum, qui debebat ei centum denarios, comprehendit, & ei collum obtorquet: Solve mihi, inquit, quod debes. Cúmque ejus conſervus procubuiſſet, & eum oraret, ut ſe diutiùs expectaret, ſeſe ei omnia ſoluturum; noluit, ſed eum in cuſtodiam datum ivit, donèc ſolviſſet debitum. Quam rem videntes ejus conſervi ægerrimè tulerunt, dominóque ſuo rem omnem declaratum iverunt. Tunc eum dominus ejus accerſitum ſic alloquitur: Serve nequam, ego tibi totum nomen illud, rogatus à te, condonavi; Nonne debebas tu viciſſim tui conſervi miſereri, ut ego tui miſertus eram? Ità iratus ejus dominus tradidit eum tortoribus, donèc ſolviſſet quicquid ſibi debebatur. Sic meus quoquè cœleſtis Pater vobis faciet, niſi alii aliis ex animo delicta condonaveritis.

Dominica vigeſima tertia à Trinitate.

COLLECTA.

DEUS, qui nobis perfugio & munimento es, & omnis pietatis auctor; facilis ſis, quæſumus, ad pias Eccleſiæ tuæ preces exaudiendum; & præſta, ut, quæ ſincerâ mente petimus, eorum efficacitèr ſimus compotes, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Phil. iii. 17.

ESTE mei imitatores, & eos conſiderate qui ità ſe gerunt, ut nos exemplum habetis. Nam multi ità ſe gerunt (quos & ſæpè vobis dixi, & nunc plorans dico) Chriſtianæ crucis hoſtes: Quorum exitus eſt exitium: Qui & ventrem pro Deo habent, & gloriam ſibi in ſua turpitudine collocant: Qui terreſtria ſapiunt. Nam noſtra quidem converſatio in cœlis eſt: Undè etiam ſervatorem manemus Dominum Jeſum Chriſtum, qui humile noſtrum corpus ſic transfigurabit, ut eandem cum ejus glorioſo corpore formam habeat, pro eà vi, quâ ipſe ſibi ſubjicere poteſt omnia.

Evan-

Evangelium D. Mat. xxii. 15.

TUNC Phariſæi conſilium captum iverunt, de eo in verbis illaqueando, eíque diſcipulos ſuos cum Herodianis miſerunt, qui dicerent; Magiſter, ſcimus te veracem eſſe, divinámque vitæ viam verè docere, neque quenquam curare, quippè qui non ſpectes hominum perſonam. Dic ergo nobis quid cenſeas, liceátne pendere tributum Cæſari, nécne? At Jeſus, cognitâ eorum malitiâ, dixit; Quid me tentatis? ſimulatores: Oſtendite mihi nummum tributarium. Illi ei denarium attulerunt. Et ille, Cujus eſt imago hæc, inquit eis, & inſcriptio? Cui illi, Cæſaris, inquiunt. Tunc ille, Solvite igitur (inquit eis) quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo. Hoc audito, admirati illi, eo relicto, diſceſſerunt.

Dominica vigeſima quarta à Trinitate.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, tuorum noxas dele, ut, pro tua ſingulari miſericordia, peccatorum nexibus, quæ pro noſtra imbecillitate admiſimus, expediamur; hoc concede, cœleſtis Pater, gratiâ beati Domini & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

Epiſtola Coloſſ. i. 3.

AGimus Deo, Patríque Domini noſtri Jeſu Chriſti gratias, ſemper pro vobis orantes, auditâ veſtrâ in Chriſto Jeſu fide & amore in omnes ſanctos, propter ea, quæ vobis in cœlis repoſita ſperantur, quæ antè audiviſtis in vera Evangelii oratione, quod ad vos pervenit, quemadmodùm etiam in toto orbe proficit, ſicut in vobis, ex quo die Dei beneficium verè audiviſtis ac cognoviſtis: Quemadmodùm ex Epaphra didiciſtis, conſervo noſtro chariſſimo, qui fidus eſt pro vobis miniſter Chriſti, qui idem nobis veſtram in ſpiritu charitatem expoſuerit. Itaquè nos, ex quo die id audivimus, non deſinimus pro vobis orare, ac poſcere, ut ejus voluntatis cognitione repleamini, cum omni ſapientia, prudentiáque divina. Quo ſic vos geratis, ut Domino dignum eſt, & ei omninò placeatis, in omnibus rectè factis fructum ferentes, & in Dei cognitione creſcentes, ſummâ vi convaleſcentes per ejus glorioſum robur, ut ſummâ ſitis patientiâ & clementiâ

mentiâ cum lætitia præditi. Agimúſque Patri gratias, qui nos idoneos reddidit ad participandam ſanctorum ſortem in luce.

Evangelium D. Matth. ix. 18.

HÆC Jeſu illis loquente, venit quidam de magiſtratu, qui, ei honore præſtito, itâ dixit: Filia mea modò obiit; ſed veni ei impoſitum manum tuam, & reviviſcet. Tum Jeſus ſurrexit, & eum ſecutus eſt unà cum ſuis diſcipulis. Hîc quædam mulier, quæ ſanguinis profluvio duodecimum annum laborabat, eum aggreſſa à tergo, ejus togæ oram tetigit. Sic enim ſecum ipſa cogitabat: Si vel ejus togam tetigero, ſalva ſum. Jeſus autem converſus, eâ viſâ, dixit; Confide, filia, tua te fiducia ſervavit. Itaquè ſanata eſt mulier eâdem illâ horâ. Ut venit autem Jeſus in ædes illius qui magiſtratum gerebat, vidítque tibicines & turbam tumultuantem, dixit eis, Diſcedite, non enim mortua eſt puella, ſed dormit. Illi verò eum deridere. Deindè, ejectâ turbâ, ingreſſus, prehendit puellæ manum, atque illa ſurrexit, emanavítque ejús rei fama in totam illam regionem.

Dominica vigeſima quinta à Trinitate.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, tuorum fidelium animos excita, ut, uberes bonorum operum fructus edentes, ampliſſimam à Te mercedem conſequantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Jerem. xxiii. 5.

FUturum eſt, inquit Jehova, ut ego ſuſcitem Davidi juſtam ſtirpem, qui rex regnet, & ſapiat, & jus, æquúmque faciat in terris. Ejus tempore ſervabitur Judæus, degetque tutus Iſraëlita. Vocabitur autem hoc nomine, Jehova juſtitia noſtra. Itáque tempus erit, inquit Jehova, cùm non jam dicetur, Sic vivit Jehova, qui deportavit Iſraëlitas è terra Ægypti; ſed vivit Jehova qui deportavit, quíque adduxit Iſraëliticæ domûs progeniem ex Aquilonari terra, éxque omnibus terris, in quas ego eos profligavero, degéntque in ſua terra.

Evangelium D. Johan. vi. 5.

SUblatis igitùr oculis, Jeſus videns ingentem hominum multitudinem ad ſe venire,

venire, dicit Philippo, Undè panes ememus, quos hi comedant? Id autem dicebat, ejus tentandi gratiâ; ſciebat enim ipſe quid facturus eſſet. Cui Philippus ità reſpondit, Ducentorum denariorum panes non ſatìs ſint eis, ut eorum quiſque paululum quid accipiat. Tum, unus ex ejus diſcipulis, Andreas Simonis Petri frater, ſic eum alloquitur, Eſt hîc quidam puer, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſciculos: Sed hæc quantula ſunt ad tam multos? Et Jeſus, Facite, inquit, ut homines diſcumbant: Erat autem in eo loco multum graminis. Igitùr diſcubuêre viri, numero circitèr quinquiès mille; Et Jeſus ſumptos panes, actis gratiis, diſtribuit diſcipulis; diſcipuli porrò diſcumbentibus; itidémque ex piſcibus quantum voluerunt: atque, illis expletis, juſſit diſcipulis ut ſuperantia fruſta colligerent, & duodecim caniſtra ex quinque hordeaceis panibus replevêre fruſtis, quæ convivis ſuperfuerant. Igitùr homines, videntes quod oſtentum ediſſet Jeſus; dicebant, eum verè vatem illum eſſe, qui in orbem venturus eſſet.

¶ *Si ante Dominicam Adventûs plures Dominicæ ſuprà nominatis fuerint, Collecta, Epiſtola & Evangelium earum Dominicarum, quæ poſt Epiphaniam omiſſa ſunt, recitabuntur iis Dominicis, quæ hic ſupererunt: Si pauciores extiterint, cætera omittantur. Modò hæc ultima Collecta, Epiſtola & Evangelium ſemper uſurpentur Dominicâ proximâ ante Adventum.*

Dies Divi Andreæ.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui Divum Andream ſanctum Apoſtolum tuum eâ gratiâ donâſti per quam Filii tui Jeſu Chriſti vocantis protinùs dictum audiens, eum continuò ſequutus eſt; da etiam, ut nos omnes, per divinum tuum ſermonem vocati, nóſmet continuò accingamus ad ſancta præcepta tua omni obſequio exequendum, per eundem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Rom. x. 9.

QUod ſi & ore Dominum Jeſum confeſſus fueris, & à Deo ex mortuis excitatum

tum animo credideris, ſervabere. Nam & animo creditur ad juſtitiam, & ore fit confeſſio ad ſalutem. Sic enim dicunt S. literæ, Quiſquis ei confidet, non fruſtrà futurum. Nullum quidem Judæi, Græcíque diſcrimen eſt, cùm idem ſit omnium Dominus, dives omnibus qui eum invocant. Quiſquis enim Domini nomen invocaverit, ſervabitur. Sed poſſúntne invocare eum, in quem non credunt? aut credere ei, de quo non audierunt? aut audire ſine præcone? aut prædicare, niſi qui erunt legati? quemadmodùm extat in S. literis: O quàm elegantes ſunt pedes nunciantium pacem, nunciantium bona! Sed non omnes obtemperant Evangelio. Eſaias enim dicit; Domine, quis credidit orationi noſtræ? Ergò fides eſt ex auditione: Auditio autem ex divina oratione. Sed annon audiverint? inquam. Quidni? Cùm in omnes terras pervenerit eorum ſonus, eorúmque verba ad ultimum orbem? Sed dico, an noverunt Iſraëlitæ? Primus Moſes dicit; Ego vos per non gentem provocabo: Vos per imperitam gentem irritabo. Eſaias verò dicere audet; Repertus ſum non quærentibus me: Perſpicuus factus ſum non curantibus me. Ad Iſraëlitas verò ſic dicit: Pando meas manus totum diem ad contumacem contradicentémque populum.

Evangelium D. Matth. iv. 18.

AMbulans autem Jeſus apud lacum Galilææ, cùm vidiſſet fratres duos, Simonem cognomine Petrum, & Andream ejus germanum, rete jacientes in lacum (erant enim piſcatores) dixit eis; Sequimini me, & faciam vos hominum piſcatores. Atque illi continuò, relictis retibus, eum ſecuti ſunt. Indè progreſſus vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi filium & Johannem ejus fratrem, in navi cum ſuo patre Zebedæo ſarcientes ſua retia, eóſque vocavit: Atque illi protinùs, relictâ navi, patréque ſuo, ſecuti ſunt eum.

Dies D. Thomæ Apoſtoli.

Collecta.

OMnipotens & ſempiterne Deus, cujus permiſſu, ad majorem Fidei confirmationem, divus Thomas Apoſtolus tuus de Filii tui Reſurrectione dubitavit; da nobis ſincerè adeò, nullóque nobis reſtante ſcrupulo in Filium tuum Jeſum Chri-

ſtum credere, ut Fides noſtra in oculis tuis nullam unquam reprehenſionem capiat. Attende nos, Domine, per eundem Jeſum Chriſtum, cui unà Tecum & cum Spiritu Sancto ſit omnis honor & gloria, & nunc & in diem ſempiternum. *Amen.*

Epiſtola Epheſ. ii. 19.

ERGO non jam peregrini eſtis & inquilini, ſed ſanctorum cives, Deíque domeſtici, ſuper Apoſtolorum, Vatúmque fundamentum extructi, anguli capite ipſo Jeſu Chriſto, per quod totum ædificium compactum creſcit in ſanctum templum, in Domino: In quo vos quoquè unà ædificamini, ad Dei domicilium, divino afflatu.

Evangelium D. Joh. xx. 24.

THomas autem unus ex duodecim, nomine Didymus, non erat cum eis, quandò venit Jeſus. Huic igitùr alii diſcipuli dixerunt, vidiſſe ſe Dominum. Sed ille ſic eis dixit; Niſi & in ejus manibus clavorum impreſſionem videro, & meum digitum clavorum veſtigio, & manum lateri ejus admovero, non credam. Deindè poſt dies octo, cùm rurſùs eſſent intùs ejus diſcipuli, & Thomas cum eis, venit Jeſus, portis clauſis, in medióque ſtetit, &, Salvete, inquit. Deinde Thomæ dicit: Affer huc tuum digitum, & vide meas manus; tuámque manum affer, & meo lateri admove: Néve incredulus eſto, ſed credens. Et Thomas ei reſpondens dixit; Dominus meus, & Deus meus. Cui Jeſus, quia vidiſti me, Thoma, inquit, credis: Felices, qui non viderint, & tamen crediderint. Et alia quidem multa miranda fecit Jeſus in conſpectu ſuorum diſcipulorum, quæ non ſunt in hoc libro ſcripta. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum Dei Filium; útque credentes vitam per ejus nomen adipiſcamini.

Dies Converſionis D. Pauli.

Collecta.

DEUS, qui, beato Apoſtolo Divo Paulo prædicante, univerſum orbem claritate Evangelii colluſtrâſti; da, quæſumus, ut mirabilem adeò illius Converſionem memoriæ noſtræ mandantes, ſummas tibi gratias ob eam habeamus, ſanctam, quam tradidit doctrinam, colendo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Act. ix. 1.

AC Saulus, minas adhuc, cædémque ſpirans in Domini diſcipulos, aggreſſus pontificem, petiit ab eo epiſtolas Damaſcum ferendas, ad collegia: ut, ſi quos ejus inſtituti inveniret, ſive viros, ſive fœminas, vinctum perduceret Hieroſolymam. Sed, inter eundum, eum Damaſco propinquantem ſubitò circumfulſit de cœlo lux, ad terrámque collapſus vocem audivit ſibi dicentem; Saule, Saule, quìd me perſequeris? Et ille; Quis es, Domine? Ego ſum Jeſus (inquit Dominus) quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulos calcitrare. Hîc ille tremens ac ſtupefactus; Domine, quid me vis facere? inquit. Cui Dominus: Surge, & in urbem ingredere, & tibi dicetur, quid tibi faciendum ſit. Homines autem ejus comites itineris aſtabant attoniti, vocem audientes illi quidem, ſed neminem videntes: Saulus verò à terra ſurrexit, & apertis oculis, neminem videbat. Eum illi manibus ducentes Damaſcum introduxerunt: Ac per tres dies non vidit, neque comedit aut bibit. Erat Damaſci diſcipulus quidam nomine Ananias, quem Dominus per viſum ſic allocutus eſt; Anania. Et ille; Quid eſt, inquit, Domine? Cui Dominus, Surge, inquit, & in vicum proficiſcere, qui Rectus appellatur, & quære in ædibus Judæ Saulum nomine, Tarſenſem; is enim ſupplicat: Et per viſum vidit virum, nomine Ananiam, ingreſſum, & ſibi manus imponentem, ut cernat. At Ananias, Domine, inquit, audivi ex multis de eo viro, quantum malorum tuis ſanctis Hieroſolymæ fecerit: Quinetiam hic poteſtatem habet à pontificibus vinciendi omnes tuum nomen invocantes. Cui Dominus, Vade, inquit: Nam is mihi ſelectum eſt inſtrumentum, ad profitendum meum nomen, tum apud cæteras gentes atque reges, tum apud Iſraëlitas. Nam ei oſtendam ego, quanta ſint ei patienda propter meum nomen. Tum Ananias abiit: Et, domum ingreſſus, ac impoſitis illi manibus, dixit, Saule frater: Dominus (Jeſus, inquam, is qui tibi in via venienti apparuit) me miſit ut videas, Sanctóque Spiritu repleare. Ac protinùs, delapſis ex ejus oculis quibuſdam quaſi ſquamis, viſum recepit, ſurrexítque & baptizatus eſt, ac, cibo capto, convaluit. Fuit autem Saulus cum Damaſcenis diſcipulis dies aliquot, ac ſtatim

in collegiis Chriſtum prædicabat, eum eſſe Dei Filium. Obſtupeſcebant autem omnes, qui eum audiebant, & dicebant; Nónne hic eſt, qui populatus eſt in Jeruſalem eos qui invocabant nomen iſtud, & huc idcircò venit, ut vinctos eos adduceret ad principes ſacerdotum? Saulus autem magìs invaleſcebat, & confundebat Judæos, qui habitabant Damaſci, collatis teſtimoniis, demonſtrans eum eſſe Chriſtum.

Evangelium D. Mat. xix. 27.

TUM Petrus ità loquitur: En nos reliquimus omnia, Téque ſecuti ſumus: Quid ergo hinc aſſequemur? Et Jeſus; Hoc vobis confirmo (inquit eis) vos qui me ſecuti eſtis in renovata vita, cùm ſedebit filius hominis in ſuo glorioſo tribunali, ſeſſuros eſſe vos quoquè in duodecim tribunalibus, judicantes duodecim tribus Iſraëlitarum. Et quiſquis domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut líberos, aut agros mei nominis cauſâ reliquerit, is centuplum adipiſcetur, & vitam obtinebit ſempiternam. Sed multi primi erunt ultimi, & ultimi primi.

Dies, quo Chriſtum in fano ſiſtebant, qui vulgò dicitur Purificatio D. Mariæ Virginis.

COLLECTA.

OMnipotens & ſempiterne Deus, Majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut, ſicut Filius tuus unigena, aſſumptâ ſibi noſtrâ carne, hodierno quaſi die, tibi in Fano ſiſtebatur, ità nos quoquè puris & mundis cordibus Tibi ſiſtamur, per eundem Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Malac. iii. 1.

EGO mittam meum nuncium, qui mihi viam præparabit, & repentè veniet in ſuum delubrum Dominus, quem vos requiritis, fœderíſque nuncius, quem vos avetis. Is adventat, inquit armipotens Dominus. Quis autem ejus adventûs diem ſuſtinebit? aut eo apparente conſiſtet? erit enim quaſi quidam ignis explorans, aut lanaria fullonia. Sedénſque explorabit ac expurgabit argentum, & expurgabit Levitas; ac tam puros reddet, quàm eſt aurum aut argentum. Itaque Domino fertum juſtè obmovebunt: Erítque acceptum Domino Judæorum

dæorum ac Hieroſolymitanorum fertum, ſicut antiquis ac priſcis temporibus atque annis. Congrediar autem vobiſcum judicio, eróque celer teſtis in præſtigiatores, in adulteros, in perjuros, in eos qui mercede fraudant mercenarios, qui viduas, qui pupillos, qui peregrinos labefactant, neque me timent, inquit armipotens Dominus.

Evangelium D. Luc. ii. 22.

COmpletis autem eorum purificationis diebus, ex lege Moſis tulerunt eum Hieroſolymam, ut Domino ſiſterent, (quemadmodùm in Domini lege ſcriptum eſt, ſcilicèt, omnem marem, qui matricem aperuiſſet, Domino ſacrum eſſe dicendum) útque munus conferrent, quemadmodùm in Domini lege dictum eſt, par turturum, aut duos pipiones. Erat tum Hieroſolymæ homo, nomine Simeon, qui homo juſtus erat, & religioſus, expectans Iſraëlitarum conſolationem, & Sancto Spiritu præditus. Huic fuerat Sancti Spiritûs oraculo dictum, non priùs eſſe mortem ſenſurum, quàm Domini Chriſtum vidiſſet. Is inſtinctu Spiritûs venit in fanum, atque ubi intulerunt parentes puerum Jeſum, ut de eo ex legis ritu facerent, ipſe eum ſuis ulnis excepit, Deóque gratias egit his verbis: Nunc dimittis me, Domine, ſervum tuum ſecundùm promiſſionem tuam placidè; quandoquidèm vidi meis oculis ſalutem tuam, quam omnibus expoſitam populis parâſti: Lumen gentibus patefaciendum, & tuorum Iſraëlitarum gloriam. Mirabantur autem ejus pater atque mater ea, quæ de eo dicebantur, eíſque fauſta precatus Simeon, ejus matrem Mariam ſic affatus eſt: Scito hunc multorum vel caſui vel reſurrectioni in Iſraëlitis deſtinatum eſſe, & ſignum fore cui contradicatur. Quin tuum quoquè animum penetrabit gladius, ut pateſiant multarum mentium cogitationes. Erat autem Anna vates, Phanuëlis filia, ex Aſeriana tribu, quæ, multùm ætate provecta, vixerat annos cum viro ſeptem à virginitate ſua: Erátque eadem vidua annorum circiter quatuor & octoginta, quæ ex fano non diſcedebat, jejuniis, precibúſque noctes & dies Deum colens. Hæc eâdem horâ ſupervenit, & Domino gratias agere, déque eo loqui cœpit omnibus, qui Hieroſolymis liberationem expectabant. Et illi, omnibus ex lege Domini peractis, redierunt in Galilæam, in oppidum ſuum Nazaretham. Puer verò creſ-

 cebat,

cebat, & ſpiritu confirmabatur, ſapientiáque replebatur, eíque aderat Dei gratia.

Dies D. Matthiæ.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui in locum Judæ proditoris fidelem famulum tuum Matthiam ſubſtituiſti, ut ad undecim Apoſtolos cooptatus ſit; da Eccleſiam tuam, contra Pſeudo-Apoſtolos ſemper protectam, fidelibus & veris Paſtoribus dirigi & adminiſtrari, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Act. i. 15.

PER eos dies ſurrexit Petrus in medio diſcipulorum, (cùm quidem eſſet ibidem capitum numerus ad centum viginti) & in hunc modum verba fecit: Homines et fratres, oportebat illud S. literis mandatum fieri, quod Sanctus Spiritus ore Davidis prædixit, de Juda eo, qui ſe ducem præbuit iis qui Jeſum comprehenderunt: Qui Judas, in noſtrum numerum aſcitus, hanc functionem ſortitus erat. Is quidem injuſtitiæ mercede agrum comparavit, & ſuſpenſus crepuit medius, effuſáque ſunt ejus omnia viſcera: Id quod omnibus Hieroſolymæ incolis notum factum eſt, ità ut appellatus ſit ager ille vernaculâ eorum linguâ, Haceldama, hoc eſt, Ager ſanguinis. Scriptum eſt enim Pſalmorum libro; Fiat ejus habitatio deſerta, neque ſit qui in ea habitet, ejúſque Epiſcopatum excipiat alius. Quapropter oportet unum eorum virorum (qui nobiſcum toto eo tempore verſati ſunt, quo nobiſcum conſuetudinem habuit Dominus Jeſus, uſque à Johannis baptiſmate, ad eum diem quo nobis ſubductus eſt) ejus reſurrectionis teſtem unà nobiſcum fieri. Tum duos ſtatuerunt, Joſephum nomine Barſabam, qui cognominatus eſt Juſtus, & Matthiam; atque his verbis orârunt: Tu, Domine, qui omnium mentes perſpicis, oſtende, utrum horum deſtinaveris, ſubeundæ hujus muneris & legationis ſorti, ex qua Judas excidit, ut iret in ſuum locum. Deindè eorum ſortes jecerunt; deſignavítque ſors Matthiam, atque is ad undecim Apoſtolos cooptatus eſt.

*Evangelium D.*Matth. xi. 25.

ALiquandò Jeſus locutus in hunc modum eſt: Ago tibi gratias, Pater, cœli, terræque Domine, qui hæc ſapientes, peritóſque celaveris, & infantibus patefeceris:

ris: Idque, ô Pater, quoniam ſic tibi placitum eſt. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, neque quiſquam Filium cognoſcit, niſi Pater; neque Patrem quiſquam cognoſcit, niſi Filius, & cui voluerit Filius patefacere. Venite ad me omnes laborantes & onuſti, & ego recreabo vos: Subite jugum meum, & à me diſcite, qui mitis ſum, & animo ſummiſſus; & invenietis animis veſtris requiem. Meum enim & jugum commodum, & onus leve eſt.

Annunciatio Beatæ Virginis Mariæ.

COLLECTA.

QUæſumus, Domine, gratiam tuam in corda noſtra effunde, ut, quemadmodùm, annunciante Angelo, Filium tuum Jeſum Chriſtum ſibi carnem aſſumpſiſſe novimus, ità per Crucem ejus & Paſſionem ad Reſurrectionis ejus gloriam perducamur, per eundem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Eſai. vii. 10.

PETE tibi ſignum (inquit Dominus, Achazum porrò alloquens) à Domino Deo tuo, ídque rei quamlibèt vel depreſſæ, vel ſursùm elatæ. Hîc, cùm Achazus negaret ſe ſignum petiturum aut Dominum tentaturum: Audite (inquit ille) Davididæ. Parúmne vobis eſt hominibus exhibere negotium, niſi exhibeatis etiam Deo meo? Ergo dabit vobis Dominus ipſe ſignum. Ecce puella prægnans filium pariet, quem nomine vocabit Emmanuelem; qui butyro, melléque veſcetur, diſcendo reprobare malum, & eligere bonum.

Evangelium D. Luc. i. 26.

MEnſe autem ſexto miſſus eſt à Deo angelus Gabriel, in oppidum Galilææ, nomine Nazaretham, ad virginem deſponſam viro, cui nomen erat Joſephus, ex domo Davidis: Virginis autem Maria nomen erat. Ad eam ingreſſus angelus dixit: Salve, Accepta, Cui Dominus adeſt, quæque es mulierum fortunatiſſima. At illa, eo viſo, ejus ſermone turbata, cogitabat qualis eſſet ea ſalutatio. Et angelus: Nè metue, Maria; nam propitium habes Deum: Ac ſcito, te utero concepturam, pariturámque filium, quem Jeſum nomine vocabis. Is erit magnus, & Supremi Filius vocabitur: Eíque dabit Dominus Deus ſolium Davidis, ejus parentis, íſque

 in

in Jacobeorum domum regnabit in perpetuum, nec ullus ejus regni finis erit. At Maria; Quo pacto fiet iſtud, inquit angelo, cùm ego virum neſciam? Et ille reſpondens; Te Spiritus Sanctus, inquit, invadet, & Supremi vis inumbrabit: Itaquè Sanctus iſte partus dicetur Dei Filius. Et quidem Eliſabeta, cognata tua, concepit & ipſa filium in ſenectute ſua: Eíque jam ſextus hic menſis agitur, quæ tamen ſterilis dicebatur: Adeò nulla res eſt, quam Deus facere non poſſit. Tum Maria: Ecce me Domini ſervam, eveniat mihi ita ut tu dixiſti. Ità angelus ab ea diſceſſit.

Dies D. Marci.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui ſanctam Eccleſiam tuam in Evangeliſtæ tui Divi Marci cœleſti doctrina inſtituiſti; nos gratiâ impertire, per quam non tanquàm pueri, omni vanæ Doctrinæ vento fluctuantes, ſed in ſancti Evangelii tui veritate fixi ſimus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Epheſ. iv. 7.

CÆterùm unicuique noſtrûm collatum eſt beneficium, pro portione doni Chriſti. Itaquè aſcendens in ſublime (inquit ille) captivos abduxit, & dona dedit hominibus. Quid eſt autem Aſcendit, niſi quòd priùs in imas terræ partes deſcenderat? Qui deſcenderat idem eſt qui ſupra cœlos omnes aſcendit, ut omnia compleret. Atque is partìm Apoſtolos, partìm Vates, partim Evangeliſtas, partìm paſtores & magiſtros dedit, ad condendos ſanctos, ad opus miniſterii, ad Chriſti corporis extructionem, donèc perveniamus omnes ad unitatem fidei, cognitioníſque Filii Dei, in virum adultum, ad modum plenæ ætatis Chriſtianæ. Nè ſimus ampliùs pueri; qui omni doctrinæ vento fluctuemus ac circumferamur, hominum verſutiâ, quâ nos malitiosè ad fallendum aggrediantur; ſed, verum tenentes cum charitate, omninò in eum adoleſcamus, qui caput eſt, videlicèt Chriſtus; ex quo totum corpus, omnibus (per quas efficitur adminiſtratio) commiſſuris compactum atque connexum, actione (quæ pro cujuſque partis modo fit) facit corporis incrementum, ad

ad ſemet extruendum in charitate.

Evangelium D. Johan. xv. 1.

EGO ſum vera vitis, & Pater meus eſt agricola. Omnem palmitem, in me non ferentem fructum, amputat, & omnem ferentem fructum expurgat, ut plus fructûs ferat. Jam vos puri eſtis, propter ſermonem quem ad vos habui. Quapropter manete in me, & ego in vobis. Quemadmodùm palmes fructum ferre per ſeipſum non poteſt, niſi maneat in vite; ſic neque vos, niſi maneatis in me. Ego ſum vitis, vos palmites. Qui in me manet, & ego in eo, is multum fert fructum: Siquidem ſine me vos nihil facere poteſtis. Si quis in me non manet, is extrà projectus aruit, ut ſarmenta, quæ colliguntur, & in ignem deflagratura conjiciuntur. Si & vos in me manſeritis, & mea verba in vobis manſerint, quicquid poſtulare voletis, id vobis concedetur. In eo illuſtratur Pater meus, ſi vos multum fructum feratis, meíque diſcipuli eritis. Quemadmodùm amavit me Pater, ſic ego vos amavi. Manete in amore meo: Si mea præcepta conſervaveritis, manebitis in amore meo; ut ego mei præcepta Patris conſervavi, & in ejus amore maneo. Hæc vobis elocutus ſum, ut & mea lætitia in vobis maneat, & veſtra lætitia expleatur.

Dies DD. Philippi & Jacobi.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, quem verè nôſſe eſt vita æterna, fac nos pro certo ſcire Filium tuum Jeſum Chriſtum eſſe Viam, Veritatem, & Vitam, ut, veſtigiis ſanctorum Apoſtolorum tuorum Divi Philippi & Divi Jacobi inſiſtentes, in via, quæ ducit ad vitam æternam, conſtantèr gradiamur, per eundem Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola D. Jacobi, i. 1.

JAcobus, Dei & Domini Jeſu Chriſti ſervus, duodecim tribubus ultrò citróque diſperſis ſalutem. Summoperè gaudendum exiſtimate, fratres mei, cùm in varias inciditis periclitationes, intelligentes fidei veſtræ exploratione patientiam gigni. Patientia autem perfectum opus habeat, ut perfecti, integríque nullâ re careatis. Quòd ſi quis veſtrûm ſapientiâ caret, poſtulet à Deo, qui omnibus plenè donat, nec exprobrat, & ei donabitur.

bitur. Poſtulet autem cum fiducia, nihil dubitans. Qui enim dubitat, ſimilis eſt fluctui maris, vento acto ac excito. Neque verò ſe putet is homo quicquam à Domino impetraturum. Homo duplicis animi, in omnibus ſuis actionibus inconſtans. Glorietur autem frater humilis in ſublimitate ſua, & dives in humilitate ſua, nam, ut herbæ flos, ſic peribit. Ut enim exortus cum ardore ſol herbam arefacit, ejúſque & flos decidit, & decora ſpecies interit: Ità dives cum ſuis copiis marceſcet. Felix homo qui tentationem ſuſtinet: Approbatus enim vitæ coronam accipiet, quam promiſit Dominus ſuis amatoribus.

Evangelium D. Johan. xiv. 1.

NOlite animo turbari, inquit Jeſus ſuis diſcipulis. Fidem habetis Deo, & mihi fidem habete. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: Quòd ſi secùs eſſet, dixiſſem vobis. Eo paratum vobis locum, quòd ſi ivero paratum vobis locum, reveniam, & vos mecum aſſumam, ut, ubi ero ego, vos etiam ſitis. Et quidem, quò ego proficiſcar, vos ſcitis, & viam tenetis. Dicit ei Thomas, Domine, neſcimus quò proficiſcaris, tantùm abeſt ut viam tenere poſſimus. Cui Jeſus; Ego ſum Via, & Veritas, & Vita. Nemo ad Patrem venit, niſi per me. Si me cognoſceretis, meum quoque Patrem cognoſceretis, & jam nunc eum cognoſcitis ac vidiſtis. Et Philippus, Domine, inquit ei, Oſtende nobis Patrem, & satìs erit nobis. Cui Jeſus: Tantum jam temporis vobiſcum ſum, & tu me non nôſti, Philippe? qui me vidit, Patrem vidit: Quî fit, ut dicas, Oſtende nobis Patrem? Non credis, & me in Patre, & Patrem in me eſſe? Quæ ego verba vobis dico, meâ ſponte non dico; ſed ipſe Pater, qui in me manet, facit opera. Credite mihi, & me in Patre, & Patrem in me eſſe: Aut certè de ipſis factis mihi credite. Hoc certò, certóque ſic habetote, qui mihi fidem habebit, eum eſſe eadem mecum atque etiam his majora facturum. Nam ad Patrem meum proficiſcor: Ac, quicquid per meum nomen petieritis, id faciam, ut illuſtretur Pater in Filio. Si quid per meum nomen petieritis, ego faciam.

Dies D. Barnabæ Apoſtoli.

COLLECTA.

DOmine Deus omnipotens, qui ſanctum tuum Apoſtolum Barnabam eximiis Sancti Spiritûs dotibus ornâſti; quæſumus, nè ſinas nos vel variis dotibus tuis, vel tuâ gratiâ deſtitui, per quam iis ſemper utamur, ad laudem & gloriam tuam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Act. xi. 22.

QUOD poſtquàm de eis auditione accepit Eccleſia Hieroſolymitana, Barnabam miſit, qui Antiochiam ſe conferret. Is, poſtquàm eò pervenit, viſâ Dei gratiâ, lætatus, omnéſque ut cum animi deſtinatione Domino hærerent, cohortatus eſt; útpote vir bonus, Sanctique Spiritûs & fidei plenus. Itaquè Dominò acceſſit aliquanta multitudo. Profectus eſt autem Tarſum Barnabas, Sauli requirendi gratiâ, quem nactus duxit Antiochiam, ac totum annum cum Eccleſia verſati ſunt, & aliquantam hominum multitudinem docuerunt: ac primum Antiochiæ diſcipuli nuncupati ſunt Chriſtiani. Eâ tempeſtate deſcenderunt Hieroſolymis vates Antiochiam, quorum unus extitit Agabus nomine, qui divinitùs afflatus, gravem fore toto orbe famem ſignificavit, quæ quidem accidit ſub Claudio Cæſare. Diſcipuli autem, proùt eorum cuique ſuppetebat, decreverunt opitulandi gratiâ mittere habitantibus in Judæa fratribus: Id quod fecerunt: Et ad Seniores Barnabæ & Sauli operâ miſerunt.

Evangelium D. Joh. xv. 12.

HOC meum eſt præceptum, ut ametis inter vos, quomodò ego vos amavi. Majore charitate nemo præditus eſt, quàm, ſi quis animam ſuam amicorum ſuorum causâ impendat. Vos mei eſtis amici, ſi feceritis quæcunque ego vobis præcipio. Non jam vos dico ſervos, ſiquidèm ſervus neſcit quid agat ſuus Dominus. Vos autem amicos propterea dixi, quòd vobis omnia, quæ audivi ex Patre meo, declaravi. Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi, & eò deſtinavi, ut abeatis, & fructum feratis, veſtérque fructus duret; ut quicquid Patrem per meum nomen popoſceritis, id vobis concedat.

Dies D. Johannis Baptiſtæ.

COLLECTA.

OMnipotens Deus cujus Providentiâ ſervus tuus Johannes Baptiſta non ſine miraculo quodam natus eſt, & miſſus Filii tui Servatoris noſtri viam præparatum, vitæ correctionem prædicando; da nos doctrinam illius, ſanctámque ejus vitam ità imitari, ut, juxta illius ſermonem, verè vitam corrigamus, & ejus exemplo firmè veritatem eloquamur, cum omni libertate arguentes crimina, & propter veritatem æquo animo mortem perferamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Eſai. xl. 1.

COnſolamini, conſolamini meum populum, dicit Deus veſter. Alloquimini blandè Hieroſolymam, clamantes ei ejus impletum eſſe ſpatium, ejus remiſſam eſſe culpam, quippè quæ ex Domini manu duplum acceperit, ob ſua tot peccata. Vox clamat in ſolitudine, Parate viam Domini; corrigite in incultis locis Deo noſtro ſemitam: Omnis & vallis attolletur, & mons, collíſque deprimetur, & prava in recta, & iniqua in plana redigentur; pateſiétque Domini gloria, cernentibus univerſis mortalibus: Quoniàm os Domini loquitur. Vox dicit, Clama. Quid clamabo? inquit. Omnes mortales herba ſunt, corúmque gloria omnis quaſi flos terreſtris. Aret herba, cadit flos, Domini afflatus vento: Næ herba ſunt homines. Aret herba, cadit flos: At Dei noſtri dicta rata ſunt in ſempiternum. Altum conſcende montem, ô nuncia Sionis: Attolle validè vocem tuam, ô nuncia Hieroſolymorum: Attolle impavida, dic Judæis civitatibus, Ecce Deum veſtrum! Ecce Dominum Deum fortitèr venientem, & ſuo ſibi brachio dominantem! En habet ſecum ſuam mercedem, ſuúmque præmium in præſentia! Ut paſtor gregem ſuum paſcet; lacerto ſuo congregatos in ſinu geſtabit agnos, fœtas agens.

Evangelium D. Luc. i. 57.

ELiſabeta, exacto ad pariendum tempore, filium genuit. Et ejus vicini atque cognati audientes quantâ Dominus erga eam uſus eſſet clementiâ, congratulabantur ei. Octavâ autem die puerum circumciſum iverunt: Et eum patris ejus nomine Zachariam appellabant: Sed contradixit ejus

mater:

mater: Non ità, inquit, ſed vocabitur Johannes. Cui illi, Nullus eſt, inquiunt, in cognatione tua, qui iſto nomine nuncupetur: Deindè innuunt ejus patri, quìd eum vellet appellari. Et ille, petitâ tabellâ, ſcripſit, ejus nomen eſſe Johannem: Id quod mirati ſunt omnes. Atque ille, aperto protinùs ejus ore, ſolutâque linguâ, loqui cœpit, Deo gratias agens, metúque correpti ſunt omnes eorum finitimi; ac per omnia Judææ montana dictitabantur hæc omnia: Quæ quicunque audierant, in animo reponebant, cogitantes, quidnam futurus eſſet ille puer? Atque ei Domini manus aderat. Zacharias autem pater ejus, Sancto Spiritu plenus, vaticinatus eſt his verbis: Grates Domino Iſraëlitarum Deo, qui populi ſui liberationem procuret, erigátque nobis cornu ſalutis in domo ſui Davidis: Quemadmodùm promiſerat priſcorum ore ſanctorum ſuorum Vatum; quo vindicemur ab hoſtibus noſtris, & ex omnium manu qui nos odêre: Ut utatur clementiâ erga majores noſtros, & ſui ſancti fœderis recordetur: Qui jurejurando promiſerit Abrahamo patri noſtro, daturum ſe nobis, ut intrepidè, ex hoſtium noſtrorum manu liberati, ipſum coram piè, juſtéque colamus, toto vitæ noſtræ tempore. Et tu, Puer, Supremi Vates vocabere; Præibis enim Domino, paratum vias ejus; ad dandam ſalutis cognitionem ejus populo, quòd eis venia datur peccatorum, per intimam Dei noſtri miſericordiam, quâ nos ex alto viſit ortus, qui appareat iis qui in tenebris & atra nocte degunt, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Puer autem creſcebat, & ſpiritu confirmabatur, ac in deſertis agebat, uſquè ad diem, quâ Iſraëlitis oſtenderetur.

Dies D. Petri.

Collecta.

Omnipotens Deus, qui, per Filium tuum Jeſum Chriſtum, tot eximiis dotibus Apoſtolum tuum Divum Petrum locupletâſti; &, ut oves tuas paſceret, iterùm ac tertiò juſſiſti: Fac, quæſumus, ut omnes Epiſcopi & Paſtores tuum ſermonem ſeduli eloquantur, & ei populus dicto ſit audiens, quò coronam æternæ gloriæ accipiant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro

Pro Epiſtola Act. xii. 1.

PER id tempus admovit Herodes rex manus vexandis ab Eccleſia nonnullis, & Jacobum Johannis fratrem ferro ſuſtulit: Quod Judæis gratum eſſe videns, comprehendit inſupèr etiam Petrum (quum quidem eſſent azymorum dies) captúmque dedit in cuſtodiam, & quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum tradidit, volens eum poſt Paſcha producere populo. Ità Petrus in carcere ſervabatur, fiebátque pro eo continua ab Eccleſia ſupplicatio ad Deum. Cùm autem eum producturus eſſet Herodes, & eâ nocte dormiret Petrus inter duos milites, duabus colligatus catenis, & cuſtodes ante portam cuſtodiam agerent: Ecce adeſt Domini angelus, ſplendente per domum luce, qui, pulſato Petri latere, eum expergefecit, dicens; Surge celeritér. Ac, delapſis ex ejus manu catenis, Præcinge te, inquit, & tuis ſandaliis calcea. Quod poſtquam ille fecit, Indue, inquit, tuum pallium, & me ſequere. Itaquè ille egreſſus eum ſequitur: Neque rem veram ab angelo agi intelligebat, ſed ſibi ſpectrum cernere videbatur. Prætergreſſi primam ac ſecundam cuſtodiam veniunt ad portam ferream, quâ in urbem itur, quâ eis ſuâ ſponte apertâ, ſimulàc egreſſi vicum unum proceſſerunt, deceſſit ab eo angelus. Et Petrus, ùt ad ſe rediit, ità dixit: Nunc verè ſcio, Dominum miſſo angelo ſuo, me ex Herodis manu & tanta Judaici populi expectatione eripuiſſe.

Evangelium D. Mat. xvi. 13.

CUM veniſſet Jeſus in tractum Cæſareæ Philippi, interrogavit ſuos diſcipulos his verbis; Quem me dicunt homines eſſe, me filium hominis? Cui illi, Hi Johannem Baptiſtam, illi Eliam, alii Jeremiam, aut vatum aliquem. Et ille; Vos verò (inquit eis) quem me eſſe dicitis? Cui Simon Petrus ità reſpondit, Tu es Chriſtus Dei viventis filius. Et Jeſus ei reſpondens, Beatus es, inquit, Simon Jonaide, quoniam non patefecit iſtud tibi caro & ſanguis, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Ego quoquè tibi dico; Tu es Petrus, & in hac petra conſtruam meam Eccleſiam, quam Orci portæ non ſuperabunt: Tibíque cœleſtis regni claves dabo, ac quicquid in terra ligaveris, erit ligatum in cœlis: Et quicquid in terra ſolveris, erit ſolutum in cœlis.

Dies

Dies D. Jacobi Apoſtoli.

Collecta.

CONCEDE, Deus exorabilis, ut, quemadmodùm Apoſtolus tuus D. Jacobus, patre ſuo & omnibus relictis, nullam moram obſequendi Filio tuo Jeſu Chriſto vocanti interpoſuit, & ſequutus eſt eum; ità in nobis quoquè, tum mundanis, tum corporeis cupiditatibus relictis, nulla ſit mora præcepta tua exequendi, per Jeſum Chriſtrum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Act. xi. 27. *&* *pars Cap.* xii.

EA tempeſtate deſcenderunt Hieroſolymis Vates Antiochiam, quorum unus extitit Agabus nomine, qui, divinitùs afflatus, gravem fore toto orbe famem ſignificavit, quæ quidem accidit ſub Claudio Cæſare. Diſcipuli autem, proùt eorum cuique ſuppetebat, decreverunt opitulandi gratiâ mittere habitantibus in Judæa fratribus: Id quod fecerunt; & ad Seniores Barnabæ & Sauli operâ miſerunt. Per id tempus admovit Herodes rex manus vexandis ab Eccleſia nonnullis, & Jacobum Johannis fratrem ferro ſuſtulit: Quod Judæis gratum eſſe videns, comprehendit inſupèr etiam Petrum.

Evangelium D. Matt. xx. 20.

TUNC cum egreſſa mater filiorum Zebedæi cum ſuis filiis, honore præbito, petebat aliquid ab eo. Cui ille; Quid vis? inquit. Et illa; Jube (inquit ei) ut hi duo mei filii tibi alter dexter, alter ſiniſter aſſideant in regno tuo. At Jeſus reſpondens: Neſcitis quid petatis. Poteſtis idem bibere poculum, quod ego bibiturus ſum? & eodem baptiſmate, quo ego baptizandus ſum, baptizari? Poſſumus, inquiunt illi. Et ille; Meum quidem poculum bibetis, inquit, meóque baptiſmate baptizabimini: ſed, ut mihi dexterâ lævâque aſſideatur, non eſt meum dare, niſi quibus id paratum eſt à Patre meo. Hoc audito, reliqui decem indignati ſunt ob duos fratres. At Jeſus advocatis eis dixit: Scitis, gentium principes in eas dominari, & magnos viros in eas poteſtatem obtinere. Inter vos non ſic agetur: Quin, qui volet in vobis maximus fieri, ſit veſter famulus; &, qui volet in vobis eſſe primus, eſto ſervus veſter: Sicùt filius hominis non venit ut ſibi miniſtretur, ſed ut mi-

niſtret ipſe, animámque ſuam in multorum liberationem impendat.

Dies D. Bartholomæi Apoſtoli.

COLLECTA.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui Apoſtolum tuum Bartholomæum gratiâ impertitus ſis; per quam ex animo credidit tuo verbo, & illud prædicavit; Da, quæſumus, Eccleſiæ tuæ & amare verbum, cui ipſe credidit, & etiam illud prædicare & accipere, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Act. v. 12.

APoſtolorum autem operâ, multa vulgò monſtrosè, prodigioſéque fiebant (erant autem unà omnes in Solomonis porticu, nec eis ſeſe cæterorum quiſquam audebat adjungere, ſed eos magni faciebat populus. Accedebat autem magis magíſque, qui Domino crederent, ingens tum virorum tum fœminarum multitudo, adeò ut per vicos exportarent ægrotos, inque lectis & grabatis deponerent, ut venientis Petri vel umbra aliquem eorum inumbraret. Conveniebant etiam vulgò ex finitimis urbibus Hieroſolymam, adducentes ægrotos, & ab immundis ſpiritibus vexatos, qui curabantur omnes.

Evangelium D. Luc. xxii. 24.

EXtitit inter eos contentio, quis eorum maximus eſſe videretur. At ille; Gentium reges (inquit eis) in eas dominantur: Quíque eis imperant, benefici appellantur. At vos non ità: Quin veſtrûm maximus perindè ſit ac minimus: Et qui præeſt, perindè ac qui miniſtrat. Uter enim major eſt? qui accumbit, an qui miniſtrat? nonne qui accumbit? Atque ego ſum inter vos perindè ac qui miniſtret. Vos verò ii eſtis qui mecum permanſeritis in meis adverſis: Et ego regnum, quemadmodùm mihi Pater meus legavit, ſic vobis lego, ut comedatis & bibatis in mea menſa in regno meo, & in tribunalibus ſedeatis, jus dicentes duodecim tribubus Iſraëlitarum.

Dies D. Matthæi Apoſtoli.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui per Filium tuum beatum vocâſti Matthæum, ad Publicanorum menſam ſedentem, ut Apoſtoli munere ſimul & Evangeliſtæ fungeretur;

retur; nos gratiâ impertire, per quam, omni avaritiâ & immodicâ opum ſiti extinctâ, eundem Filium tuum Jeſum Chriſtum ſequamur, qui vivit & regnat, unà tecum & cum Spiritu Sancto, unus Deus in omnia ſecula. *Amen.*

Epiſtola 2 Cor. iv. 1.

PRopterea habentes hanc adminiſtrationem (quæ divina eſt in nos clementia) non defetiſcimur: Quin, turpi occultatione repudiatâ, non nos callidè gerimus, neque divinam doctrinam fallacitèr tractamus; ſed veritatis declaratione noſipſos apud omnem hominum conſcientiam in Dei conſpectu commendamus. Quod ſi tectum eſt noſtrum Evangelium, tectum eſt pereuntibus: Quorum, videlicèt infidentium, mentes cæcavit hujus ſeculi Deus, ne colluſtret eos claritas glorioſi Chriſti Evangelii, qui eſt imago Dei inaſpectabilis. Non enim noſipſos prædicamus, ſed Chriſtum Jeſum Dominum; nos autem veſtros ſervos, per Jeſum. Nam Deus, qui lucem ex tenebris lucere juſſit, is eſt qui noſtris illuxit animis, ad claritatem cognitionis gloriæ Dei, in Jeſu Chriſti perſona.

Evangelium D. Matth. ix. 9.

ILlinc digrediens Jeſus, conſpicatus hominem ad publicanorum menſam ſedentem, Matthæum nomine; dicit ei; Sequere me. Atque ille ſurrexit, & eum eſt ſecutus. Eo autem domi accumbente, cùm frequentes publicani & improbi veniſſent, & cum Jeſu, ejúſque diſcipulis diſcumberent, Phariſæi, id videntes, quæſierunt ex ejus diſcipulis, cur cum publicanis & improbis cibum caperet eorum magiſter? Quo audito, Jeſus dixit eis; Non egent valentes medico, ſed malè affecti. Ite nunc, & diſcite quid ſit; Miſericordiam malo quàm ſacrificium. Non enim veni vocatum inſontes, ſed ſontes ad bonam frugem.

Dies D. Michaëlis, & omnium Angelorum.

COLLECTA.

ÆTerne Deus, qui & Angelorum & hominum miniſteria miro quodam ordine inſtituiſti; per gratiam largire, ut quemadmodùm ſancti Angeli tui Tibi ſemper in cœlo miniſtrant, ità tuo juſſu nobis in terra verſantibus & præſidio & munimini

munimini ſint, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Apocal. xii. 7.

FActum eſt autem in cœlo prælium; Michaël & ejus angeli adversùs draconem pugnabant: Et draco, ejúſque angeli pugnantes victi ſunt, nec ullus extitit jam eorum locus in cœlo. Itaquè dejectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui Diabolus & Satanas appellatur, qui totum orbem decipit: Dejectus eſt, inquam, ad terram, ejúſque angeli cum illo dejecti ſunt. Deindè magnam vocem audivi in cœlo dicentem; Nunc facta eſt ſalus, & poteſtas, & regnum Dei noſtri, & potentia Chriſti ejus: Quoniam dejectus eſt fratrum noſtrorum accuſator, qui eos apud Deum noſtrum dies & noctes accuſabat. Eum illi Agni ſanguine, ſuíque teſtimonii ſermone vicerunt: Animámque ſuam uſque adeò non amârunt, ut mortèm oppetierint. Proptereà lætamini cœli, & cœlicolæ. Væ terræ & maris incolis! Quandoquidèm deſcendit Diabolus ad vos, magno furore percitus, ſciens habere ſe breve tempus.

Evangelium D. Matt. xviii. 1.

ILLA horâ diſcipuli Jeſum convenerunt, quærentes quis futurus eſſet in regno cœleſti maximus. Et Jeſus advocatum puerum collocavit inter eos, &, hoc vobis, inquit, confirmo, niſi mutati fueritis, & pueris ſimiles redditi, non intrabitis in cœleſte regnum. Quiſquis ergò ſeipſum ſummiſerit, ut eſt hic puer, is erit in regno cœleſti maximus. Et quiſquis hujuſmodi puerum meo nomine accipit, me accipit. Quiſquis verò vel minimum horum mihi fidem habentium offenderit, præſtaret ei, ſuſpensâ de ejus collo aſinariâ molâ, in maris æquor demergi. Sunt quidem calamitoſæ mundo offenſiones, tametſi offenſiones accidere neceſſe eſt: Sed væ homini per quem accidit offenſio. Quòd ſi te tua manus aut pes offendit, abſcinde eum, & abjice. Satiùs eſt tibi claudum aut mancum in vitam ingredi, quàm duas manus aut pedes habentem in ſempiternum ignem conjici. Et ſi te tuus oculus offendit, erue eum, & abjice: Satiùs eſt tibi unoculum in vitam ingredi, quàm duos oculos habentem in ignis gehennam conjici. Videte nè vel minimum

minimum horum contemnatis. Scitote enim, eorum angelos in cœlis ſempèr aſpicere faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.

Dies D. Lucæ Evangeliſtæ.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui Lucam Medicum, in re Evangelica laudatum, vocâſti, ut idem ſimul & Evangeliſtæ & animarum Medici officio fungeretur; præſta, quæſumus, ut ſalutares doctrinæ illius medicinæ, omnibus noſtrarum animarum morbis adhibitæ, eos ſanent, per merita Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

Epiſtola 2 Tim. iv. 5.

TU verò in omnibus eſto ſobrius: Mala patere: Evangeliſtæ officio fungere: Tuo munere perfungere. Nam ego jamjam immolandus ſum, diſceſſûſque mei tempus inſtat. Præclarum certamen certavi; curſum abſolvi; fidem ſervavi: Quod ſupereſt, reſervatur mihi juſtitiæ corona, quam mihi Dominus reddet in illa die, juſtus judex: Neque ſolùm mihi, ſed etiam omnibus, qui ejus adventum amaverint. Da operam ut ad me brevi venias. Demas enim me, vitæ præſentis amore, dereliquit, & Theſſalonicam profectus eſt: Creſcens in Galatiam: Titus in Dalmatiam: Lucas ſolus eſt mecum. Marcum aſſumptum tecum adducito: eſt enim mihi utilis ad miniſterium. Tychicum legavi Epheſum. Penulam, quam in Troade apud Carpum reliqui, cùm venies, afferto, & libros, maximè membranas. Alexander faber ærarius multis me malis affecit: Reddat ei Dominus digna ejus factis præmia. Eum tu quoquè caveto: Nam magnoperè reſtitit noſtris verbis.

Evangelium D. Luc. x. 1.

POſtea conſtituit Dominus etiam alios ſeptuaginta, eóſque binos ante ſe præmiſit in omnes urbes & loca quò ipſe venturus erat. Atque eos ſic affatus eſt; Meſſis quidem multa eſt, ſed operarii pauci: Quocircà rogate meſſis Dominum, ut operarios emittat in meſſem ſuam. Vadite, en ego mitto vos tanquàm agnos inter lupos. Ne ferte crumenam, ne peràm, neque calceos, néve quenquam in via ſalutaveritis. In quamcunque autem domum intrabitis, primùm dicite, Salveat hæc domus. Et, ſi quidem erit ibi aliquis ſalute dignus, re-

quieſcet in ea veſtra ſalus: Sin minùs, ad vos revertetur. Atque in eadem domo manetote, comedentes & bibentes quæ eis ſuppetent: Nam dignus eſt operarius mercede ſuâ.

Dies D D. Simonis & Judæ Apoſtolorum.

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui Eccleſiam tuam ſuper Apoſtolorum, Vatúmque fundamentum extruxiſti, anguli capite ipſo Jeſu Chriſto; fac nos per eorum doctrinam in unitate Spiritûs ità compingi, ut in ſanctum Templum Tibi acceptum creſcamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola D. Judæ 1.

JUdas Jeſu Chriſti ſervus, Jacobi frater, ſanctificatus in Deo Patre, & Jeſu Chriſto reſervatis, & vocatis; miſericordiam, & pacem, & charitatem plurimam dicit. Chariſſimi, cùm vobis de communi ſalute ſcribere ſummo ſtudio contenderem, neceſſe habui vos ſcribendo cohortari, ut fide, quæ ſemel ſanctis eſt tradita, certetis. Irreſperunt enim homines quidam, olim ad hoc ipſum ſupplicium deſignati, impii, Dei noſtri gratiam transferentes in libidinem; & ſolum herum Deum, Dominúmque noſtrum Jeſum Chriſtum negantes. Illud autem vobis, quod ſemel didiciſtis, commemorare volo, quòd Dominus, cùm populum ex Ægypto ſervâſſet, rursùm eos, qui non confiderant, perdidit: Angelóſque, qui ſuam originem non retinuiſſent, ſed ſuum domicilium reliquiſſent, ad magni Dei judicium æternis vinculis ſub tenebris ſervandos curavit. Ut Sodoma & Gomorra, finitimæque urbes, quoniam conſimili modo meretricatæ impudici corporis libidinibus obſecutæ ſunt, jacent ad exemplum, pœnas igne luentes ſempiterno. Similitèr hi quoquè ſomniantes corpora habent polluta, & dominatum repudiant, dignitatibúſque maledicunt.

Evangelium D. Johan. xv. 17.

HÆC vobis præcipio, ut ametis mutuó. Si vos mundus odit, illud cognoſcite, quòd me priùs quàm vos odit. Si mundani eſſetis, mundus amaret ſuum. Verùm quia mundani non eſtis, ſed ego vos ex mundo elegi, ideò vos odit mundus. Memineritis ejus dicti, quod ego vobis dixi; non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſe-

perſecuti ſunt, & vos perſequentur: Si orationi meæ paruerunt, & veſtræ parebunt. Verùm hæc omnia vobis facient propter nomen meum; quoniam eum, qui me miſit non nôrunt. Niſi ego veniſſem, & eos allocutus fuiſſem, in peccato non eſſent. Nunc peccati ſui excuſationem nullam habent. Qui me odit, etiam Patrem meum odit. Si non opera apud eos feciſſem, qualia nemo fecit alius, non forent in peccato. Nunc & viderunt & oderunt & me & Patrem meum. Sed confieri oportet illud, quod in eorum diſciplina ſcriptum extat: Oderunt me immeritó. Cùm autem venerit Confirmator, quem ego vobis à Patre mittam, ſcilicèt Spiritus veritatis, qui à Patre proficiſcitur, is de me teſtabitur: Quin & vos teſtes eſtis, qui mecum fueritis ab initio.

Dies omnium Divorum.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui Electos tuos in una communione & ſocietate compegiſti, in myſtico corpore Filii tui Chriſti Domini noſtri; nos gratiâ impertire, per quam juſtè & piè vitam inſtituentes, Divos tuos beatos ità imitemur, ut tandem ineffabilibus iis gaudiis perfruamur, quæ præparâſti illis, qui Te amore non ficto proſequuntur; per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola Apocal. vii. 2.

ITEM vidi alium angelum ab ortu Solis aſcendentem, habentem viventis Dei ſigillum; qui ad quatuor angelos (quibus, ut terram & mare læderent, commiſſum erat) magnâ voce clamavit his verbis: Ne læditote terram, nec mare, nec arbores, donèc Dei noſtri ſervos in eorum frontibus conſignemus. Audivi autem conſignatorum numerum; qui conſignati erant centum quadraginta quatuor millia, ex omnibus Iſraëlitarum tribubus.

Ex tribu Judæ conſignati erant duodecim millia.

Ex Rubenis, duodecim millia.

Ex Gaddi, duodecim millia.

Ex Aſeris, duodecim millia.

Ex Nepththalis, duodecim millia.

Ex Manaſſis, duodecim millia.

Ex Simeonis, duodecim millia.

Ex Levis, duodecim millia.

Ex

Ex Iſſacharis, duodecim millia.

Ex Zabulonis, duodecim millia.

Ex Joſephi, duodecim millia.

Ex Benjaminis, duodecim millia.

Poſteà animadverti tantam turbam, ut eam numerare nullus poſſet, ex omnibus gentibus, nationibus, populis & linguis, qui ante ſolium & Agnum ſtabant, ſtolis amicti candidis, palmas geſtantes in manibus, & magnâ voce clamantes in hunc modum: Salus ſedenti in ſolio Deo noſtro, & Agno. Omnes autem angeli, ſolium, ſenatoréſque, & quatuor animalia circumſtantes, procubuerunt ante ſolium proni, Deúmque venerati ſunt, dicentes, *Amen*; Fauſtitas, & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, & honos, & potentia, & vires, Deo noſtro in perpetua ſecula: *Amen*.

Evangelium D. Matth. v. 1.

Videns autem tantam hominum multitudinem, conſcendit in montem. Cúmque ſediſſet, adierunt eum ejus diſcipuli, & ille eos hujuſmodi oratione docere aggreſſus eſt. Beati pauperes animo: Nam eorum eſt cœleſte regnum. Beati qui lugent: Nam ii conſolandi ſunt. Beati mites: Nam ii terram poſſidebunt. Beati qui eſuriunt, ſitiúntque juſtitiam: Nam ii ſaturabuntur. Beati miſericordes: Nam eis tribuetur miſericordia. Beati mente puri: Nam ii Deum videbunt. Beati pacifici: Nam ii Dei filii vocabuntur. Beati qui juſtitiæ causâ infeſtantur: Nam eorum eſt cœleſte regnum. Beati eſtis, quandocunque vobis conviciabuntur homines, & vos inſectabuntur, & in vos omnia maledicta conjicient mentientes, propter me: Gaudete & lætamini: Nam multa vobis in cœlo merces eſt: Sic enim inſectati ſunt Vates, majores veſtros.

ORDO

Adminiſtrandæ Cœnæ Domini,

SEU

Sacræ Communionis.

¶ *QUotquot cupiunt participes fieri ſacræ Communionis, nomina ſua, pridiè ſaltem ſacrorum, Miniſtro indicabunt.*

¶ *Si quis autem ſit manifeſtè flagitioſus, aut alterum verbis factiſve injuriâ affecerit, ità ut Eccleſia eo pacto ſit offenſa; de hoc certior factus Miniſter eum advocabit, & monebit nè ullo modo audeat ad Menſam Domini accedere, uſquè dum veræ reſipiſcentiæ & morum emendationis indicia manifeſta præbuerit; ità ut Eccleſiæ, quam priùs offenderat, ſit ſatisfactum, ut & iis, quos affecerat injuriâ; aut ſaltem promittat id ſibi propoſitum, quamprimùm id commodè fieri poterit.*

¶ *Eundem agendi modum & ordinem tenebit Miniſter cum iis, inter quos intelliget vigere ſimultates & odia, nec ſinet eos menſæ Domini participare, donèc certior factus fuerit de eorum reconciliatione. Quòd ſi pars altera alteri offenſam acceptam ex animo remittere, aut pro illata ſatisfacere, parata ſit, alterâ id detrectante, & in odio & malitia ſua perſiſtente, ità ut ad piam concordiam adduci nolit: Miniſter pœnitentem ad ſacram Communionem admittet, non verò pertinacem. Cum hac cautela, ut Miniſter, qui quemquam à ſacris arcuerit, proùt habetur in hoc, aut præcedente hujus Rubricæ paragrapho,*

ragrapho, totum negotium cum Ordinario communicet intra dies quatuordecim ad ſummum. Ordinarius autem inquiret in eum, qui ſic offenderit, juxta Canonem.

¶ *Quo tempore Cœna Domini celebrabitur, menſa panno mundo linteo ſtrata ſtabit in medio vel Templi, vel Adyti, ubi Matutinæ & Veſpertinæ Preces debent recitari; Preſbyter autem, ſtans ad Septentrionalem partem Menſæ, Supplicationem Dominicam cum Collecta ſequente recitabit, populo in genua provoluto.*

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terrâ. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui omnium mentes perſpicis, omnium cognoſcis poſtulata, & quem nulla latent arcana; Sancti tui Spiritûs afflatu, puras mentibus noſtris cogitationes crea, ut Te perfecto amore proſequamur, & meritis laudibus ſanctum nomen tuum efferamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter converſus ad populum, Decalogum integrum clarâ voce recitabit; Populus autem, in genua adhùc provolutus, poſt unumquodque præceptum, veniam petet à Deo, pro illius violatione tempore præterito, & rogabit ut ſibi gratia concedatur, qua illud ſervet in futurum, in hunc modum.*

MINISTER.

I. DEUS hæc omnia ad hunc modum effatus eſt: Ego ſum Dominus Deus tuus, Deos alienos nullos, præter me, habeto.

POPULUS.

Miſerere noſtri, Domine, & animos noſtros ad hoc præceptum conſervandum inclina.

MINISTER.

II. Ne facito tibi ſculptile, aut ſimulachrum ullius rei, quæ extet aut ſuprà in cœlo, aut infrà in terra, aut in aquis ſub terra: Néve ea venerator, néve colito: Nam ego ſum Dominus Deus tuus, Deus impatiens ſocii, qui parentum culpam etiam in liberos perſequor, vel ad tertiam uſquè quartámque ſtirpem

ſtirpem oſorum mei: clementiàque utor ad milleſimam uſquè ſtirpem erga mei amantes, meáque præcepta conſervantes.

POPULUS.

Miſerere noſtrî, Domine, & animos noſtros ad hoc præceptum conſervandum inclina.

MINISTER.

III. Domini Dei tui nomen inanitèr nè adhibeto: Neque enim ſinet impunitum Dominus, qui ejus nomen inanitèr adhibuerit.

POPULUS.

Miſerere noſtrî, Domine, & animos noſtros ad hoc præceptum conſervandum inclina.

MINISTER.

IV. Diem Sabbati ſanctè agere memento. Sex diebus agito, tuáque opera omnia patrato. Septimo autem die, quod Domini Dei tui Sabbatum eſt, nullum opus facito, neu tu, neu tuus filius, aut filia, neu tuus ſervus, aut ancilla, neu tuum jumentum, neu apud te degens peregrinus. Nam, quum ſex diebus feciſſet Dominus cœlum, terram, mare, quæque in eis ſunt omnia, feriatus eſt die ſeptimo: Qua de cauſa diem ſeptimum fauſtum ſacrúmque fecit.

POPULUS.

Miſerere noſtrî, Domine, & animos noſtros ad hoc præceptum conſervandum inclina.

MINISTER.

V. Parentem utrumque honorato, ut diù ætatem producas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus donat.

POPULUS.

Miſerere noſtrî, Domine, & animos noſtros ad hoc præceptum conſervandum inclina.

MINISTER.

VI. Ne hominem occidito.

POPULUS.

Miſerere noſtrî, Domine, & animos noſtros ad hoc præceptum conſervandum inclina.

MINISTER.

VII. Nè adulterato.

POPULUS.

Miſerere noſtrî, Domine, & animos noſtros ad hoc præceptum conſervandum inclina.

MINISTER.

VIII. Nè furator.

POPULUS.

Miſerere noſtrî, Domine, & animos noſtros ad hoc præceptum conſervandum inclina.

MINISTER.

IX. Falſum teſtimonium contra alterum nè dicito.

POPULUS.

Miſerere noſtrî, Domine, & animos noſtros ad hoc præceptum conſervandum inclina.

MINISTER.

X. Alterius domum nè concupiſcito: Alterius uxorem nè concupiſcito; néve ſervum aut ancillam, néve bovem aut aſinum, nihil deniquè quod ſit alterius.

POPU-

POPULUS.

Miſerere noſtrî, Domine, & hæc omnia præcepta tua in mentes noſtras, quæſumus, inſcribe.

¶ *Tum ſequetur harum Collectarum alterutra pro Rege, Preſbytero, ut anteà, ſtante, ac dicente.*

OREMUS.

OMnipotens Deus, cujus regnum eſt omnium ſeculorum, & vires immenſæ, miſerere univerſæ Eccleſiæ, & animum electi famuli tui GEORGII Regis & Gubernatoris noſtri ita dirige, ut ipſe (cujus vice fungatur ſciens) potiſſimùm honori tuo & gloriæ ſtudeat: Et ut nos cum omnibus ei ſubjectis (penſitantes, ut decet, cujus ei demandatum ſit imperium) fidelitèr ei ſerviamus, eum honoremus, & ſummiſsè ei obediamus, in Te, & propter Te, juxta ſacrum ſermonem & præceptum tuum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui unà Tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat unus Deus, in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Aut.*

OMnipotens & æterne Deus, in literis ſacris habetur animos Regum eſſe in manu tua, Téque eos dirigere, &, quocunque divinæ tuæ prudentiæ optimè videbitur, inclinare; ſupplices quæſumus animum famuli tui GEORGII Regis & Gubernatoris noſtri ita inclines atque dirigas, ut in omni ſua cogitatione, verbo, & opere, honori tuo & gloriæ conſulat, & populum tuum, cujus curam ei demandâſti, opibus, pace ac pietate florentem ſervare ſtudeat. His annue, Pater miſericors, gratiâ chariſſimi Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

¶ *Recitabitur proximè Coll[e]cta Diei. Et proximè poſ[t] Collectam Preſbyter lege[t] Epiſtolam, dicens,* Epiſtol[a] [*ſeu,* Portio Scripturæ aſſignata pro Epiſtola] ſcripta eſt capite —— Epiſt[olæ] —— verſu —— *Finit[a] autem Epiſtolâ, dicet,* Hì[c] deſinit Epiſtola. *Tunc leget Evangelium (ſtante u[ni]verſo populo) dicens,* Sanctum Evangelium ſcriptum eſt capite —— Evangelii —— verſu —— *Finito autem Evangelio cantabitur aut recitabitu[r] ſequens Symbolum, ſtant[e] adhùc univerſo populo u[t] anteà.*

CREDO in unum Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ

ræ, atque viſibilium omnium & inviſibilium.

Et in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſecula: Deum de Deo, Lumen de Lumine: Deum verum de Deo vero; Genitum non Factum; Conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, Et propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus eſt; Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato; Paſſus & ſepultus eſt, & reſurrexit tertiâ die ſecundùm ſcripturas, & aſcendit in cœlum; ſedet ad dexteram Patris: Et iterùm venturus eſt cum gloria, judicare vivos & mortuos; Cujus regni non erit finis.

Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, Qui ex Patre, Filióque procedit, Qui cum Patre & Filio ſimùl adoratur & conglorificatur, Qui loquutus eſt per Prophetas. Et Unam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, Et expecto Reſurrectionem mortuorum, Et vitam venturi ſeculi. *Amen.*

¶ *Tum Miniſter populo renunciabit, ſi qui ſunt dies Feſti, aut Jejunii, per ſequentem hebdomadam obſervandi. Tum etiàm, ſi ità feret occaſio, futura Communio prænunciabitur; & Matrimoniorum futurorum Solemnitas; Brevia etiam, Citationes & Excommunicationes legentur. Nec quicquam promulgabitur aut publicabitur in Eccleſia, quo tempore Sacra peraguntur, præterquàm ab ipſo Miniſtro: Nec quicquam ab ipſo niſi quod Regulis hujus Libri continetur, aut à Regia Majeſtate imperatum aut à loci Ordinario præſcriptum fuerit.*

¶ *Tum ſequetur Concio, ſeu aliqua Homiliarum jam editarum, aut in poſterum publica auctoritate edendarum.*

¶ *Tum Preſbyter ad Menſam Domini revertetur, & Offertorium incipiet, unâ aut alterâ, aut etiam pluribus harum ſententiarum recitatis, proùt ipſi optimè videbitur.*

SIC luceat veſtra lux apud homines, ut, veſtra rectè facta videntes, collaudent veſtrum Patrem, qui eſt in cœlis. D. *Matth.* v. 16.

Nè congerite vobis opes in terris, ubi & corrumpit tinea, ærugóque, & fures perfodiunt ac furantur: Sed vobis opes in cœlis congerite, ubi nec ærugo nec tinea corrumpit, nec fures perfodiunt aut furantur. D. *Matth*. vi. 19, 20.

Quicquid igitùr vultis ut vobis faciant alii, idem vos quoquè eis facite: Nam ea lex eſt atque vates. D. *Matth*. vii. 12.

Non quiſquis mihi dicet, Domine, Domine, intrabit in cœleſte regnum: ſed qui fecerit quod vult Pater meus, qui eſt in cœlis. D. *Matth*. vii. 21.

Zachæus verò Dominum ſic alloqui inſtitit: Scito me, Domine, dimidium facultatum mearum largiri pauperibus. Quòd ſi quem ullâ re fraudavi, reddo quadruplum. D. *Luc*. xix. 8.

Quis unquàm ſuis ſtipendiis militat? quis vineam pangit, nec ejus fructu veſcitur? aut quis ovile paſcit, quin ovilis lacte veſcatur? 1 *Cor*. ix. 7.

Si nos vobis divina ſeminavimus, magnum verò eſt ſi nos humana veſtra metemus? 1 *Cor*. ix. 11.

An neſcitis eos, qui ſacra procurant, ſacris veſci? qui aræ operam dant, aræ participes eſſe? Similitèr item Evangelium publicantibus mandavit Dominus, ut Evangelio viverent. 1 *Cor*. ix. 13, 14.

Cæterum & qui parcè ſeret, parcè etiam metet: Et qui largè ſeret, largè etiam metet: Proùt quiſque animo deſtinavit, non ægrè, aut invitus: Hilarem enim datorem amat Deus. 2 *Cor*. ix. 6, 7.

Communicet autem, qui doctrinâ eruditur, cum eo, à quo eruditur, omnia bona. Nè errate. Deus non eluditur: Nam quod quiſque ſeverit, idem metet. *Gal*. vi. 6, 7.

Ergò ut tempus habemus benefaciamus, cùm omnibus, tùm maximè fidei domeſticis. *Gal*. vi. 10.

Eſt verò quæſtus magnus pietas, & ſuâ ſorte contentum eſſe. Cùm enim nihil in mundum attulerimus, profectò nihil auferre poſſumus. 1 *Tim*. vi. 6, 7.

Iis qui in hac vita divites ſunt, præcipe ut liberales ſint atque largi, præclarum ſibi fundamentum in futurum congerentes, ut vitam aſſequantur verè ſempiternam. 1 *Tim*. vi. 17, 18, 19.

Nec enim ità injuſtus Deus eſt, ut oblitus ſit opus veſtrum, laborémque charitatis, quam exeruiſtis in ejus nomen, dum ſanctis & miniſtrâſtis

niſtrâſtis & miniſtratis. *Heb.* vi. 10.

Beneficentiam autem & liberalitatem obliviſci nolite: Talibus enim ſacrificiis propitiatur Deus. *Heb.* xiii. 16.

Jam qui, cùm hujus vitæ facultates habeat & fratrem ſuum egere videat, tamen non ejus vicem miſeratur, quî fieri poteſt ut ſit Dei charitate præditus? 1 D. *Johan.* iii. 17.

Quantumcunque tibi Dominus largitus erit, de eo nè parcito liberalitatem exercere: Et noli à reſpiciendis egentibus abhorrere, nè Dominus viciſſim tuis temporibus adverſis à te reſpiciendo abhorreat. *Tob.* iv. 7.

Ut ſuppeditant facultates tuæ eſto miſericors: ſi tibi multum fuerit, eas largè facias; ſi exiguis frueris, de his etiam libenter impertire ſtude: quo bonum tibi Præmium in diem neceſſitatis theſaurizas. *Tob.* iv. 8, 9, 10.

Dominum fœnerat qui miſeratur tenuem, eíque meritum rependet ille. *Prov.* xix. 17.

Beatus qui egentium habet rationem: Eum adverſo tempore liberabit Dominus. *Pſal.* xli. 1.

¶ *Dum iſta recitantur, Diaconi, Æditui, aliive ad hoc idonei, quibus illud muneris demandatum eſt, Eleemoſynas in pauperum uſus erogatas colligent, ut & alias populi oblationes in pios uſus, in lance idonea à parochianis in hunc uſum comparata, eámque ad Preſbyterum reverentèr afferent; ab illo autem, geſtu modeſto ac humili, ſuper ſacra Menſa collocabitur.*

¶ *Quotiès verò ſacra Communio celebrabitur, tum Preſbyter tantum Panis & Vini ſuper Menſa reponet quantum ſufficere videbitur. Quibus peractis, dicet Preſbyter,*

Oremus pro univerſo ſtatu Eccleſiæ Chriſti hìc in terra militantis.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui per ſanctum Apoſtolum tuum nos docueris, fieri ſupplicationes, preces, & gratiarum actiones pro cunctis hominibus; Te ſupplicitèr rogamus, ut, pro tua ſumma clementia (* *Eleemoſynas & Oblationes has noſtras gratas habeas &*) has noſtras

* Si Eleemoſynæ Oblationéſve nullæ fuerint, tum iſta (*Eleemoſynas & Oblationes has noſtras gratas habeas, &*) quæ Parentheſi includuntur, omittenda ſunt.

noſtras preces, quibus divinam Majeſtatem tuam interpellamus, admittas; ſupplicantes, ut Eccleſiam univerſam Spiritu Veritatis, Unitatis, & Concordiæ, perpetuò afflare velis. Da etiam, ut quotquot ſanctum nomen tuum confitentur, in veritate ſancti tui verbi conſentiant, & alii alios Concordiâ & divinâ Charitate complectantur. Rogamus etiam tibi in curam & tutelam commendari omnes Reges, Principes, & poteſtate pollentes, qui Chriſtum profitentur; præcipuè autem famulum tuum GEORGIUM Regem noſtrum, ut ſub eo tranquillam agamus vitam cum pietate. Da etiam omnes à Conſiliis ejus, & ſingulos qui ſub eo aliquem Magiſtratum gerunt, jus verum, nullo perſonarum habito diſcrimine, diſcere, quò vitia & nequitiæ afficiantur ſupplicio, tua autem vera Religio & Pietas conſerventur. Gratiam impertire, cœleſtis Pater, omnibus Epiſcopis, & iis qui curam animarum gerunt, ut tam moribus, quàm doctrinâ ſuâ ſermonem tuum verum & vitalem patefaciant, & officio celebrandi Sacramenta tua ſacra rectè ritéque perfungantur. Præthereà autem populum univerſum tuum impertire gratiâ, potiſſimùm tamen hos, qui jam adſunt, per quam demiſſo animo & quâ decet reverentiâ, ſanctum verbum tuum & audiant & accipiant, Tibíque per omnem eorum vitam cum pietate & juſtitia verè ſerviant. Te inſuper, Domine, quàm maximè ſupplices quæſumus, pro clementia tua conſolari omnes eóſque ſublevare velis, qui, dum mortalem hanc vitam agunt, anguſtiis, doloribus, inopiâ, morbis, aut rebus adverſis, qualeſcunque eæ ſunt, premuntur. Nomen denique ſanctum tuum laudibus efferimus pro omnibus tuis famulis, qui in fide & timore tuo ſint fato perfuncti; rogantes Te eâ nos gratiâ impertire velis, per quam, eorum bona exempla imitati, unà cum illis in divinum regnum tuum cooptemur. His annue, Pater, propter Jeſum Chriſtum, unicum noſtrum Mediatorem & Advocatum. *Amen.*

¶ *Quum Miniſter futuram Communionem ſacram prænunciat, (quam ſemper prænunciabit Dominico aut Feſto die aliquo noviſſimè præcedente) finitâ Concione aut Homiliâ, ſequentem Exhortationem præleget.*

Chariſſimi,

CHariſſimi, die——proximo, mihi in animo eſt, favente Deo, quotquot fuerint eâ quâ par eſt pietate & religione affecti, iis omnibus adminiſtrare maximè ſalutare Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, ab iis participandum in recordationem meritoriæ illius Crucis & Paſſionis, quâ ſolâ peccatorum noſtrorum veniam, & conſortium cœleſtis regni conſequimur. Proindè noſtrum eſt ſummiſsè atque ex animo gratias Omnipotenti Deo Patri noſtro cœleſti agere, qui Filium ſuum ſervatorem noſtrum Jeſum Chriſtum dedit, non tantùm ut pro nobis moreretur, ſed etiam ut in ſancto illo Sacramento ſpirituali cibo & alimento nobis eſſet. Quod quidem cùm adeò divinum eſt ac ſalutare iis, qui dignè participant; adeò autem periculoſum iis, qui, indigni licèt, & tamen illud ſumere audent; meum eſt exhortari vos, ut intereà loci dignitatem ſancti illius myſterii trutinetis, periculúmque ingens quod indignè participantibus imminet; útque ità quiſque veſtrûm deſcendat in ſe, ſuámque exploret conſcientiam, idque non perfunctoriè, pro hypocritarum conſuetudine, ſed ità, ut ſancti mundíque ad cœleſte adeò convivium accedatis, & nuptiali illo veſtitu induti (proùt Deus in S. literis poſtulat) admittamini, tanquàm digni qui Menſam illam ſacram participent.

Rationem autem & modum jam ſubdo: Primùm oportet veſtram vivendi rationem & mores exigere, ad normam præceptorum Dei; & quacunque in re animadvertetis à vobis peccatum eſſe, aut voluntate, verbóve, aut facto, ibi deplorare impietatem veſtram, & peccata Deo Omnipotenti confiteri, cum firmo conſtantíque vitam corrigendi propoſito. Quòd ſi conſtet peccata veſtra non in Deum ſolùm, ſed etiam in alios committi, tum oportet vos cum iis in gratiam redire, paratos ad reddendum, &, quantum quidem in vobis eſt, de omnibus injuriis & damnis ſatisfaciendum, quibus alterum affeciſtis: Æquè etiam paratos ad remittendum iis, qui vobis injuriam intulerunt, ac ipſi à Domino veniam peccatorum velitis conſequi: Abſque hoc, Sanctæ Communionis participatio non ſolùm non conducit, ſed graviori ſupplicio vos obnoxios reddit. His de cauſis, ſi quiſquam è vobis ſit

 in

in Deum maledicus, ſermoni illius infeſtus, & contumelioſus, aut adulter, flagrans irâ, aut odio, aut in alio quocunque gravi ſcelere verſetur; corrigite pravos mores, ſin minùs, ad ſacram iſtam Menſam nè accedite, nè, participato ſancto illo Sacramento, Satanas in vos intret, quemadmodùm in Judam intravit, vobíſque omni iniquitate repletis, exitium tum Corporis, tum Animæ afferat.

Et propterea quòd non eſt fas quenquam ſacræ Communionis participem eſſe, niſi ſolidâ fiduciâ miſericordiæ divinæ, & tranquillæ mentis conſcientiâ, eò incitatum: Idcircò ſi quiſquam è vobis ſit, qui ſuperioribus rationibus ſuam nequeat pacare Conſcientiam, verùm ei opus eſt vel ampliori Solatio, vel Conſilio; tum conſulat Me, aut aliquem alium prudentem ac eruditum Miniſtrum divini Sermonis, & illi quo gravatur explicet, ut divini Sermonis Miniſterio beneficium Abſolutionis ei collatum ſit, ut & ſpirituale Conſilium & Admonitio ad Conſcientiæ æſtus mulcendos, & Dubia & Scrupulos omnes ei eximendos.

¶ *Aut ſi animadvertat quod Populus negligat ad ſacram Communionem accedere, loco præcedentis, hâc utetur Exhortatione.*

CHariſſimi Fratres ac dilectiſſimi——mihi propoſitum eſt, favente Deo, Cœnam Dominicam celebrare; ad quam Dei nomine, vos quotquot adeſtis omnes voco; itémque obſecro, gratiâ Domini Jeſu Chriſti, ut nolitis non venire, præſertìm quos Deus ipſe benignè invitatos vocavit. Vos non latet, quàm graviter & iniquo animo ferre ſolet, cùm quis, lauto convivio apparato, menſam conquiſitiſſimis epulis inſtruxerit, adeò ut nihil ampliùs deſideretur, niſi ut Convivæ accumbant; ſi vocati tam ingrato animo ſint, ut temerè nulláque de cauſâ, quò minùs veniant, recuſent. Quis è vobis, ſi ſecum ità ageretur, non ſuccenſeret? Quis ſe gravi injuriâ & damno affici non crederet? Quibus de cauſis, in Chriſto chariſſimi, cauto opus eſt, nè, ſubducentes vos ab hac ſancta Cœna, iram divinam in vos accendatis. Nihil eſt dictu facilius, Nolo communicare, quippè qui hujus vitæ negotiis impeditus ſim. Ve-

rùm hujuſmodi cauſæ inanes ſunt, nec quas admittit Deus, aut accipit. Si quiſquam dixerit, gravium peccatorum reus ſum, & ideò non auſim accedere; cur, quæſo, non vos peccatorum pœnitet, & pravos mores corrigitis? Deo vocanti nónne turpe ducitis reſponſum, Venire nolumus? Quum ad eum convertendum eſt, an hanc excuſationem afferetis, vos nondùm paratos eſſe? Seriò autem vobiſcum cogitate, quàm non valebunt ejuſmodi fictæ cauſæ apud Deum. Qui ad convivium (ut in Evangelio habetur) accedere dedignati ſunt, quia fundum emerant, aut juga bonum experiri vellent, aut uxores duxerant, non habuerunt ſe excuſatos, ſed indigni habìti ſunt, qui cœleſti illi convivio accumberent. Quod ad me attinet, hîc adero, ac, pro meo officio, Dei nomine vos invito, Chriſti nomine vos voco; vóſque exhortor (quantum veſtram ipſorum ſalutem conſequi velitis) ſacræ hujus Communionis fieri participes. Et quemadmodùm Filius Dei efflare animam in Cruce, ut ſalus vobis indè oriatur, non dedignatus eſt; ità veſtrum eſt, ut, ex præcepto illius in recordationem ſacrificii illius mortis, huic Cœnæ accumbatis. Quod quidèm ſi neglexeritis, apud vos reputate, quibus contumeliis Deum laceſſitis, & quàm grave ſupplicium vobis ideò impendet; quippè qui à Cœna Dominica ſcientes abeſtis, & à fratribus veſtris ſeceſſionem facitis, qui lautioribus epulis cœleſtiſſimi illius cibi accubitum veniunt. Has res ſi iterùm atque iterùm perpenderitis, ad ſaniorem mentem (Deo favente) redituri eſtis: Quam ut conſequamini humiles noſtras Supplicationes ad Omnipotentem Deum Patrem noſtrum cœleſtem non intermittemus.

¶ *Quum celebrabitur ſacra Communio, Communicantibus in locis idoneis ad ſacrum Sacramentum commodè accipiendum diſpoſitis, Preſbyter hanc Exhortationem recitabit.*

CHariſſimi in Domino, quibus in animo eſt participare Corpus & Sanguinem Chriſti Servatoris noſtri, ut ad memoriam revocetis neceſſe eſt, quomodò Divus Paulus omnes exhortetur, ut in ſe quiſque deſcendat, ſéque exploret accuratè, priuſquàm Panem illum comedere, & bibere Poculum iſtud audeat. Nam ſicut magnum indè beneficium nobis collatum eſt, ſi

cum

cum vero, pœnitente animo, & fide vivida ſancti illius Sacramenti fiamus participes (tunc enim ſpiritualitèr Carnem Chriſti comedimus, & illius Sanguinem bibimus; tunc in Chriſto manemus, & Chriſtus in nobis; idem ſumus in Chriſto, & Chriſtus in nobis) ſic magno in periculo verſamur, ſi indignè eam participemus. Tunc enim rei tenebimur Corporis & Sanguinis Chriſti Servatoris noſtri; Damnationem ipſi nobis comedimus & bibimus, qui de Domini Corpore non rectè judicemus: Deum in nos excandeſcere facimus, eúmque ad infligendum nobis varias miſerias, variáſque mortes movemus. Quarè, fratres, vos ipſos judicate, nè à Domino judicemini; præteritorum peccatorum vos ex animo pœniteat: Vividam & firmam fidem vobis apud Chriſtum Servatorem noſtrum collocate; vitam corrigite, & ſincerâ Charitate omnes amplectimini; ità enim digni eritis, qui horum Myſteriorum ſitis participes. Potiſſimùm verò ex animo gratias agere oportet humillimas Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto, ob Redemptionem Mundi per Mortem & Paſſionem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, veri Dei ſimùl & veri hominis, qui ſeſe dejecit uſque ad Mortem, & quidem Mortem Crucis, ut nos miſeros peccatores, qui in tenebris, & atra nocte degimus, in filios Dei & vitæ æternæ heredes aſciſceret. Quò autem perpetuâ memoriâ proſequamur vehementem adeò amorem Magiſtri noſtri, & unici Servatoris Jeſu Chriſti, hoc pacto pro nobis morientis, & innumera beneficia, quæ ſuo pretioſo Sanguine effuſo apud nos collocavit, ſacroſancta Myſteria, amoris ſui quaſi pignus, & perpetuum monimentum mortis ſuæ, inſtituit, & ordinavit, undè magna & æterna conſolatio nobis exoritur. Ipſi itaquè unà cum Patre & Spiritu Sancto (proùt tenemur maximè) continuè gratias agamus, ſanctiſſimæ illius voluntati & arbitrio obtemperantes prorsùs, & ſummo cum conatu ei in vera pietate, & juſtitia ſerviamus, omnibus diebus vitæ noſtræ. *Amen.*

¶ *Tùm Preſbyter ad participandam ſacram Communionem accedentibus dicet*:

VOS, qui verè & ſeriò deſciſcitis à peccatis veſtris, quique Amore & Charitate alios complectimini,

ni, & quibus aliam vivendi rationem inſtituere propoſitum eſt, præcepta Dei exequendo, & dehinc in viis ejus ſanctis gradiendo, cum fide accedite, & ſanctum hoc Sacramentum percipite in conſolationem veſtram, Deóque Omnipotenti ſupplicitèr peccata confitemini, in genua modeſtè provoluti.

¶ *Tum hæc ſummaria Confeſſio eorum omnium nomine, quibus propoſitum eſt ſacram Communionem participare, fiet ab aliquo Miniſtrorum, ipſo & Populo univerſo in genua humilitèr provolutis, ac dicentibus:*

OMnipotens Deus, pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Conditor omnium rerum, omniúmque hominum Judex, confitemur & deploramus tot tantáque ſcelera, & peccata noſtra, quæ ſubindè in divinam tuam Majeſtatem, cogitatione, verbis, & facto, flagitiosè admodùm admiſimus, iram & indignationem tuam in nos meritiſſimò moventes. Seriò nos pœnitet, & ex animo ſumus anxii ob hæc delicta noſtra: Eorum recordatio nobis acerba eſt, & eorum onere opprimimur. Miſerere noſtrî, miſerere noſtrî, clementiſſime Pater; Remitte nobis præterita commiſſa, propter Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: Da etiam, ut poſthàc ſemper Tibi ſerviamus, & placeamus in novitate vitæ, ad laudem & gloriam tui Nominis, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter (aut Epiſcopus ſi adſit) eriget ſe, & converſus ad Populum hanc Abſolvendi formulam pronunciabit.*

OMnipotens Deus, Pater noſter cœleſtis, qui pro ſingulari ſua clementia, omnibus seriò & ex animo pœnitentibus, & vera fide ſe ad illum convertentibus, veniam peccatorum pollicitus eſt, veſtrî miſereatur, remittat vobis peccata omnia, & eorum vos abſolvat: Confirmet & corroboret vos in omni bono opere, vóſque ad vitam æternam perducat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Deinde Preſbyter dicet:*

Audite ſuaviſſima verba Chriſti Servatoris noſtri ad conſolandum eos omnes, qui ad ipſum reverà convertuntur.

Venite

Venite ad me, omnes laborantes, & onuſti; & ego recreabo vos. D. *Matth.* xi. 28.

Sic enim amavit Deus mundum, ut Filium ſuum unicum dederit, ut quiſquis in eum credat, non pereat, ſed vitam obtineat ſempiternam. D. *Johan.* iii. 16.

Audite etiam quid affirmat Divus Paulus.

Certa res eſt, & omni approbatione digna, Chriſtum Jeſum in mundum veniſſe ſervatum ſontes. 1 *Tim.* i. 15.

Audite etiam quid affirmat Divus Johannes.

Si quis peccaverit, Patronum habemus ad Patrem, Jeſum Chriſtum, juſtum; qui idem piaculum eſt peccatorum noſtrorum. 1 D. *Johan.* ii. 1.

¶ *Deindè perget Preſbyter dicens.*

Surſum corda.

Responsio.

Habemus ad Dominum.

Presbyter.

Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Responsio.

Æquum eſt & juſtum.

¶ *Tum Preſbyter, ad Menſam Domini converſus, dicet:*

Vere æquum eſt & juſtum, & pro debito noſtro officio tenemur, Tibi ſemper & ubiquè gratias agere, Domine, *Sancte Pater, Omnipotens, Æterne Deus.

* Hæc verba (*Sancte Pater*) in Feſto Trinitatis omittentur.

¶ *Hìc ſequetur Præfatio Solemnitati peculiaris, ſi quæ ſit expreſsè aſſignata; alioquì ſtatim ſubjungetur:*

Ideo cum Angelis & Archangelis, cúmque omni cœleſtium Copiarum multitudine, celebramus tuum præclarum collaudantes Nomen, Te laudibus efferentes, & ſine ulla intermiſſione dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus armipotens; Tuâ gloriâ pleni ſunt Cœli, & Univerſus Orbis: Gloria Tibi, in ſupremis, Domine.

¶ *Præfationes Propriæ.*

¶ *Natali die Chriſti, & ſeptem diebus ſequentibus.*

Quia dediſti nobis Filium tuum unicum, Jeſum Chriſtum, quem hodierno quaſi

quaſi die pro nobis naſci voluiſti, &, per Sancti Spiritûs operationem, Hominem aſſumere, ex ſubſtantia Mariæ Virginis Matris ſuæ, ſine labe peccati, quo nos ab omni peccato expiet. Ideò cum Angelis, *&c.*

¶ *Die Paſchatis, & ſeptem diebus ſequentibus.*

POtiſſimùm verò noſtras Tibi debemus laudes, propter glorioſam Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri Reſurrectionem: Ipſe enim verus eſt Paſchalis Agnus, qui pro nobis libatus mundi peccata ſuſtulit: Qui, per mortem ſuam, Mortem abolevit; & per Reſurrectionem nobis vitam æternam reſtituit. Ideò cum Angelis, *&c.*

¶ *Die Aſcenſionis, & ſeptem diebus ſequentibus.*

PER chariſſimum Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui, poſt Reſurrectionem ſuam quàm maximè glorioſam, manifeſtus apparuit omnibus ſuis Apoſtolis; &, ſpectantibus eis, cœlum conſcendit, quò nobis paret locum, ut, ubi eſſet ipſe, eò nos etiam conſcendamus, & cum ipſo regnemus in gloria. Ideò cum Angelis, *&c.*

¶ *Die Pentecoſtes, & ſex diebus ſequentibus.*

PER Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; juxta cujus certiſſimam promiſſionem, Spiritus Sanctus hodierno quaſi die, repentè de cœlo cum ſonitu deſcendit quaſi vehementis flatûs; indutúſque formam linguarum, quaſi ignis, Apoſtolis inſedit, ut doceret eos, iíſque ad omnem Veritatem præiret; contulítque iis variarum linguarum donum, unà cum ardenti ſtudio liberè eloquendi Evangelium apud omnes gentes: Quibus nos, in tenebris & errore verſantes, ad puram lucem, & ad cognoſcendum Te, Jeſúmque Chriſtum Filium tuum pervenimus. Ideo cum Angelis, *&c.*

¶ *In feſto Trinitatis tantúm.*

QUI unus es Deus, unus Dominus: non una tantùm Perſona, ſed tres Perſonæ in una Subſtantia. Quod enim de gloria Patris, hoc de Filio, hoc de Spiritu Sancto credimus, ſine ullo diſcrimine aut inæqualitate. Ideò cum Angelis, *&c.*

¶ *Poſt*

¶ *Poſt unamquamque ex his Præfationibus proximè cantabitur aut recitabitur.*

IDEO cum Angelis & Archangelis, cúmque omni cœleſtium Copiarum multitudine celebramus tuum præclarum collaudantes Nomen, Te laudibus efferentes, & ſine ulla intermiſſione dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus armipotens; Tuâ gloriâ pleni ſunt Cœli, & Univerſus Orbis: Gloria Tibi, in ſupremis, Domine. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter, in genua provolutus ad Menſam Domini, hanc ſequentem Supplicationem dicet, eorum omnium nomine qui ſunt Communionem percepturi.*

NON audemus accedere ad hanc Menſam tuam, miſericors Domine, fiduciâ juſtitiæ noſtræ, ſed ſingularis tantæque tuæ clementiæ. Non ſumus digni, qui vel micas colligamus ſub Menſa tua. Tu es idem Dominus, cujus ſemper proprium eſt clementiâ uti. Da igitur, Domine miſericors, nos ſic veſci Carne chariſſimi Filii tui Jeſu Chriſti, & illius Sanguinem bibere, ut Corpora noſtra peccatis inquinata per illius Corpus expientur, Animæque noſtræ abluantur in pretioſo ipſius Sanguine, útque ſemper maneamus nos apud ipſum, & ipſe apud nos. *Amen.*

¶ *Quum Preſbyter, ſtans ante Menſam Domini, Panem & Vinum ità diſpoſuerit, ut expeditiùs ac decentiùs poſſit Panem frangere coram Populo, & Calicem in manus ſumere, dicet formulam Conſecrandi, proùt ſequitur.*

OMnipotens Deus, Pater noſter cœleſtis, qui pro ſingulari tua clementia Jeſum Chriſtum Filium tuum unicum dediſti, ut ad redimendum nos morte crucis plecteretur, qui ibi (unica illa libatione, qua ſemel ſeipſum libavit) plenum, perfectum & ſufficiens obtulit ſacrificium, libationem, & ſatisfactionem pro peccatis totius mundi, quíque inſtituit, præcepítque nobis in ſacroſancto ſuo Evangelio, ut pretioſam mortem, uſque dum redeat, perpetuâ memoriâ proſequamur: Attende nos, quæſumus ſupplices, miſericors Pater, & da ut nos, ſumentes haſce tuas Creaturas, Panem & Vinum, juxta ſanctam inſtitutionem Filii tui Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, in Mortis & Paſſionis illius recordationem, ſanctiſſimi illius

lius Corporis & Sanguinis participes ſiamus: Qui, eâ nocte, quâ traditus eſt, 1 Panem cepit, actiſque gratiis 2 fregit, deditque diſcipulis; &, Accipite, inquit, comedite, 3 hoc eſt Corpus meum pro vobis datum; hoc facite in mei recordationem. Similitèr & Poculum, poſtquàm cœnatum eſt, 4 cepit, actiſque gratiis, dedit eis, dicens, Bibite ex eo omnes; 5 hic eſt enim Sanguis meus novi Fœderis, pro vobis & pro multis effundendus, ad veniam peccatorum. Hoc facite, quotieſcunque biberitis, in mei recordationem. *Amen.*

1 Hìc Preſbyter accipiat Patinam in manus.

2 Hìç autèm frangat Panem.

3 Hìc manu porrectâ tangat quicquid Panis ibi fuerit.

4. Hìc Calicem manu prehendat.

5. Et hìc vaſa omnia (ſive ſint Calices ſive Lagenæ) in quibus eſt Vinum conſecrandum, tanget porrectâ manu.

¶ *Tunc Miniſter primus ſacram Communionem ſumet ipſe ſub utraque ſpecie, tum perget eam porrigere Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconis, eodem modo, ſi qui adfuerint; poſteà verò etiam ordine plebi in manus ſingulis humilitèr in genua provolutis. Unicuique autem panem porrigens dicet:*

CORpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod pro Te datum eſt, Corpus, & Animam tuam ſervet in vitam æternam. Accipe & comede hoc in memoriam quòd Chriſtus pro Te mortuus eſt, & fide illo veſcitor in corde tuo, cum gratiarum actione.

¶ *Miniſter Calicem porrigens unicuique dicet:*

SAnguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui pro te effuſus eſt, Corpus & Animam tuam ſervet in vitam æternam. Bibe hoc, in memoriam quòd Sanguis Chriſti pro te effuſus eſt, & gratias age.

¶ *Si quantum Panis aut Vini conſecratum fuerat totum abſumptum ſit, priuſquam omnes participaverint, Preſbyter majorem copiam conſecrabit juxta priùs præſcriptam formulam: Incipiens à verbis (*Servator noſter Chriſtus eâ nocte quâ, *&c.) ad conſecrandum*

ſecrandum Panem: Et ab his (ſimiliter poſtquàm Cœnatum, *&c.*) *ad conſecrandum Vinum.*

¶ *Poſtquam omnes participaverint, miniſter redibit ad Menſam Domini, & reverentèr ſuper ea reponet quicquid ſuperfuerit ex conſecratis Elementis, illud cooperiens mundo linteo.*

¶ *Tum Preſbyter recitabit Supplicationem Dominicam Populo unamquamque Petitionem poſt ipſum iterante.*

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terrâ. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere: quoniam tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſempiternum. *Amen.*

¶ *Poſteà decitur, ut habetur in ſequentibus.*

O Domine & Pater cœleſtis, nos humiles famuli rogamus ex animo, ut, pro paterna tua benignitate & clementia, hæc gratitudinis hoſtia ſimul cum gratiarum actionibus apud Te accepta ſit: Summa porrò cum animi demiſſione ſupplicamus, ut propter merita & mortem Filii tui Jeſu Chriſti, & per illius Sanguinis fiduciam, nos cum univerſa Eccleſia peccatorum veniam conſequamur, cæteráque illius Paſſionis beneficia nobis collata ſint. Hìc autem libamus & præſtamus tibi, Domine, nos ipſos, animas noſtras, & noſtra corpora, hoſtiam rationalem, ſanctam, & vivam; & ſummiſsè quæſumus, ut, quotquot communionem hanc participamus, gratiâ tuâ & cœleſti favore tuo repleamur. Et quanquam indigni ſumus ob tanta peccata noſtra, qui tibi ullum libemus ſacrificium, Te tamen ſupplices quæſumus, ut acceptum habeas hoc debitum obſequium & cultum noſtrum, nullâ habitâ ratione meritorum noſtrorum, ſed delictis noſtris ignoſcendo; per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quem & cum quo, in unitate Spiritûs Sancti, Tibi ſit, Omnipotens Pater, omnis honor & gloria in perpetua ſecula, *Amen.*

¶ *Aut*

¶ *Aut hæc.*

OMnipotens & ſempiterne Deus, ex animo Tibi gratias agimus, quòd nos, qui ſacroſancta hæc Myſteria ritè percepimus, ſpirituali cibo pretioſiſſimi Corporis & Sanguinis Filii tui Servatoris noſtri paſcere digneris; nóſque inde certos reddis de favore tuo & gratia, & nos eſſe vera membra myſtico Corpori Filii tui inſita (quod eſt fidelium omnium ſancta Communio) & per ſpem inter heredes vitæ æternæ aſciſci, per merita pretioſiſſimæ Mortis & Paſſionis chariſſimi tui Filii. Te etiam quàm maximè ſupplices rogamus, Pater cœleſtis, ità nobis adeſſe gratiam tuam, ut in ſancta hac Communione permaneamus, utque ea omnia opera bona præſtemus, quæ Tu præparâſti, ut in eis gradiamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui unà Tecum & cum Spiritu Sancto ſit omnis honor & gloria, in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Deinde dicatur aut cantetur,*

GLoria in ſupremis Deo, & in terra pax: Erga homines benevolentia. Te celebramus, Te collaudamus, Te veneramur, Te illuſtramus, Tibi gratias habemus propter ſummam gloriam tuam, Domine Deus, Rex cœli, Deus Pater Omnipotens.

Domine Fili unigena, Jeſu Chriſte, Domine Deus, Agnus Dei, Patris Fili, qui mundi peccata tollis, miſerere noſtrî. Qui mundi peccata tollis, utere tuâ erga nos clementiâ. Qui mundi peccata tollis, admitte preces noſtras. Qui ſedes ad dexteram Dei Patris, miſerere noſtrî.

Quoniam Tu ſolus Sanctus, Tu ſolus Dominus, Tu ſolus, ô Chriſte, cum Spiritu Sancto, ſupremus es in gloria Dei Patris. *Amen.*

¶ *Poſtremò Preſbyter (aut Epiſcopus, ſi adſit) Eccleſiam dimittet cum hac fauſta precatione.*

DIvina pax, omnem mentem exuperans, veſtros animos & cogitationes in cognitione & amore Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti cuſtodiat: Et favor Dei omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti vobis adſit, ſempérque vobiſcum maneat. *Amen.*

¶ *Collectæ, poſt offertorium dicendæ, quando non celebratur Communio, quolibet die una, aut altera, aut etiam plures: Dici etiam poterunt, pro data occaſione, poſt Collectas Matutinarum aut Veſpertinarum Precum, Communionis aut Litaniæ, proùt Miniſtro videbitur.*

ADeſto propitius, Domine, his noſtris ſupplicationibus & precibus, viámque famulorum tuorum dirige, ad æternam ſalutem conſequendam, ut inter omnes mortalis hujus vitæ viciſſitudines & caſus, clementiſſimo & præſentiſſimo tuo auxilio ſemper protegantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

OMnipotens Domine & ſempiterne Deus, digneris, quæſumus, tum animos noſtros, tum corpora dirigere, ſanctificare & regere in viis legum tuarum, præceptíſque tuis exequendis; ut viribus tuis præſtantiſſimis & animæ noſtræ & corpora hìc & in æternum conſerventur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, & Servatorem. *Amen.*

LArgire, quæſumus, omnipotens Deus, ut quæ verba hodiè externis auribus accepimus, ea intùs animis noſtris per Gratiam tuam ità inſerantur, ut fructus piæ vitæ feramus, ad nominis tui honorem & laudem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

IN omnibus noſtris actionibus, clementiſſimo tuo, Domine, favore nos præveni, & perpetuo tuo auxilio nos proſequere, ut in omnibus operibus noſtris, inceptis, continuatis, & in Te perfectis, ſacroſanctum Nomen tuum illuſtremus, & tandem pro clementia tua ſempiternam vitam conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

OMnipotens Deus, fons omnis ſapientiæ, qui ſcis, non ſolùm quibus rebus opus ſit nobis, antequàm petimus, ſed etiam noſtram, dum petimus, ignorantiam; Te ſupplices oramus, ut noſtrarum infirmitatum miſerearis; & quæ vel propter indignitatem noſtram non audemus, vel propter cæcitatem noſtram petere nequeamus, iis nos impertire digneris, propter merita Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

Omnipo-

OMnipotens Deus, qui pollicitus es Te eorùm preces admiſſurum, qui per Filii tui Nomen petant; aures tuas, pro tua clementia, quæſumus, nobis præbe qui preces noſtras & ſupplicationes tibi libavimus: Largire etiam, ut quæ pro voluntate tua fidelitèr rogavimus, ad indigentiam noſtram ſublevandam, gloriámque tuam promovendam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Diebus Dominicis, aliiſque diebus Feriatis (ſi non celebratur ſacra Communio) dicentur ea omnia, quæ præſcripta ſunt in Officio pro ſacra Communione uſque ad finem Supplicationis illius Generalis* (Pro ſtatu proſpero Catholicæ Chriſti Eccleſiæ) *atque una aut altera Collectarum jam memoratarum; quæ omnia Precatio fauſta claudet.*

¶ *Non celebrabitur autem Cæna Domini, niſi adſit Communicantium numerus competens ad communicandum cum Preſbytero, proùt ipſi viſum fuerit.*

¶ *Quòd ſi non ſint ſupra viginti in Parochia idonei ad Communicandum, non tamen celebrabitur ſacra Communio, niſi quatuor (aut ad minimùm tres) cum Preſbytero Communicent.*

¶ *In Cathedralibus autem aut Collegiatis Eccleſiis, aut Collegiis, ubi ſunt Preſbyteri & Diaconi complures, Communicabunt ſinguli unà cum Preſbytero, ad minimum quolibet die Dominico, niſi cauſam juſtam habeant ſecùs faciendi.*

¶ *Atque ut præcidatur omnis occaſio diſſenſionis & ſuperſtitionis, quæ ſuboriri poſſet circa Panem aut Vinum, ſatìs erit ſi modò Panis ſit vulgaris uſûs; ſed lectiſſimus & ex meliore tritico confectus, qui commodè parari queat.*

¶ *Quòd ſi ſuperſit aliquid Panis aut Vini non conſecrati, id ſibi ſumat Miniſter in privatos uſus: Sin verò conſecrati Panis aut Vini quicquam ſuperſit, extra Eccleſiam non efferetur, quin Preſbyter, unà cum aliis Communicantibus, quos tum advocabit, ſtatim à fauſta Precatione illud*

illud reverentèr comedet & bibet.

¶ *Panem & Vinum parabunt Miniſter & Oeconomi, ſumptibus Parochiæ.*

¶ *Obſerva autèm unicuique Parochianorum ad minimum tèr in anno Communicandum: Nominatìm verò in feſto Paſchatis. Ac ſingulis annis quilibet Parochianus cum Parocho, Vicario, aut Miniſtro, vel cum ejus eorúmve Deputato aut Deputatis rationes conferet, & ipſis, ipſive perſolvet omnia Eccleſiaſtica debita, tum ſolvenda, & ſolvi ſolita.*

¶ *Sacris peractis, Pecunia in Offertorio erogata collocabitur in pios uſus à Miniſtro & Oeconomis, proùt ipſis viſum fuerit. Quòd ſi non fuerint concordes, tum pro arbitrio Ordinarii collocabitur.*

QUandoquidem in hoc Officio pro Adminiſtratione Cœnæ Domini præſcribitur, ut Communicantes illam ſumant in genua provoluti; (quod quidem rectè præſcriptum eſt, nempè, ut hoc pacto ſubmiſſo & grato animo beneficia Chriſti proſequamur, quæ in ea omnibus dignè Communicantibus tribuuntur; atque ut ſic omnibus abſint à ſacra Communione Profanatio & Confuſio, quæ alioquì oriri poſſent.) Attamèn, nè Genuflectio illa à quoquam, ſeu ex ignorantia & infirmitate, ſeu ex malitia & obſtinata pervicacia, ſecùs qùam par eſt accipiatur, aut etiam depravetur; hìc declaramus, & omnibus notum facimus, eâ Genuflectione nullam Adorationem deferri, aut deferri debere Pani aut Vino Sacramentali, quæ ibi corporalitèr accipiuntur, aut ulli Præſentiæ Corporali naturalis Carnis, aut Sanguinis Chriſti. Quippè Panis Sacramentalis & Sacramentale Vinum manent in veris ſuis naturalibus ſubſtantiis, ideóque non debent adorari (id enim Idololatria foret, à qua fideles omnes Chriſtiani abhorrere debent.) Et naturale Corpus & Sanguis Chriſti Servatoris noſtri ſunt in cœlo, non autem hìc; Quandoquidèm eſſe ſimul & ſemel in pluribus locis veritati Corporis naturalis Chriſti adverſatur.

ADMINISTRATIO

PÆDOBAPTISMI,

Quemadmodùm publicè celebrari debet in ECCLESIA.

¶ *MOnendus eſt Populus quàm maximè decere, ut Baptiſmus non niſi Dominicis aut aliis diebus Feriatis adminiſtretur, cùm frequentiſſimus convenit Populus: Cùm, ut ibi præſens Cœtus teſtari poſſit recèns baptizatorum admiſſionem in Eccleſiam Chriſti; tùm etiam, ut quotquot præſentes adfuerint, dum infantes baptizantur, ſuæ ipſorum Profeſſionis admoneantur, quam Deo fecerunt in Baptiſmo. Qua de cauſa etiam convenit, ut Baptiſmus vulgari idiomate adminiſtretur. Attamèn poterunt Infantes (ſic urgente neceſſitate) aliis diebus baptizari.*

¶ *Obſerva autem quòd unicuique Maſculo Baptizando aderunt Suſceptores duo & Suſceptrix unica: Fœminæ autem Suſceptor unicus, Suſceptrices autem duæ.*

¶ *Si quandò Infantes fuerint Baptizandi, Parentes eorum Veſperâ præcedente aut Mane ante initium Precum Matutinarum, id notum facient Miniſtro. Tum autem Suſceptores & Suſceptrices, & Populus, unà cum Infantibus ad Baptiſterium præſtò aderunt, ſtatim à finita Lectione poſteriori, ad Preces ſeu Matutinas, ſeu Veſpertinas, proùt Miniſtro viſum fuerit. Accedens autem Preſbyter ad Baptiſterium (quod tum aquâ purâ implendum eſt) ibique ſtans dicet:*

An Infans iſte Baptizatus eſt, an non?

¶ *Si reſponderint,* Minimè: *Tum perget Preſbyter, proùt ſequitur.*

DIlectiſſimi, quoniam omnes homines in peccato concepti & nati ſunt, &

& Chriſtus Servator noſter confirmat, qui renatus, & ex Aqua & Spiritu Sancto iterùm natus, non fuerit, non poſſe eum in divinum regnum intrare; obteſtor vos ut Deum Patrem invocetis; per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ut, pro ſingulari ſua clementia, iſti Infanti dignetur concedere, quod à Natura habere nequit, ſcilicèt ut Aqua & Spiritu Sancto baptizetur, & in ſanctam Chriſti Eccleſiam cooptetur, & vivum illius membrum fiat.

¶ *Tum dicet Preſbyter.*

OREMUS.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui pro ſingulari tua clementia ex aquarum periculo Noam cum Familia in Arca eripuiſti, quo etiam duce tui Iſraëlitæ Mare Rubrum trajecerunt incolumes (quâ re ſacri tui Baptiſmatis figuram exhibebas) quíque etiam per chariſſimi Filii tui Jeſu Chriſti Baptiſma in Jordane flumine aquam ad myſticam peccati ablutionem conſecrâſti: Pro tot tuis beneficiis, Te quæſumus, benigno vultu *hunc* Infantem reſpice, *ipſum* ablue, ut per Spiritum Sanctum reddatur Sanctus, tuóque à ſupplicio liberatus in Eccleſiæ Chriſti Arcam admittatur: Et Fide *firmus*, Spe gaudens, & in Charitate *radicatus*, trajectis mundi hujus procelloſi fluctibus, ad portum æternæ vitæ tandem perveniat, ibi Tecum in perpetua ſecula *regnaturus*, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

OMnipotens & immortalis Deus, qui ſis omnibus auxilio in adverſis, iíſque Te defenſorem præbeas, qui ad Te perfugiunt ad auxilium, quíque etiam ſis credentium Vita, & Reſurrectio mortuorum, Te in Infantis hujus jam *Baptizandi* gratiam imploramus, ut, per ſpiritualem renaſcentiam, peccatorum veniam conſequatur: Aſciſce *eum*, Domine, ex promiſſo tuo, quod feciſti per chariſſimum Filium tuum, dicentem, Petite & dabitur vobis: Quærite & invenietis: Pulſate & vobis aperietur: Da igitùr nobis jam petentibus; fac ut quærentes inveniamus, pulſantibus aperiatur; ut *hic* Infans tum æternum favorem divinæ tuæ ablutionis, tum æternum regnum ex promiſſo tuo conſequatur, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum*

¶ *Tum eriget ſe Populus, Preſbyter autem dicet:*

Audite verba Evangelii Divi Marci, Capite decimo, commate decimo tertio.

ADducebantur autem Chriſto Pueri, ut illos tangeret; diſcipuli verò eos, à quibus adducebantur objurgabant. Quo viſo, indignatus Jeſus dixit eis; Sinite Pueros ad me venire, néve eos prohibete: talium enim eſt Dei regnum. Hoc pro certo habetote, qui Dei regnum non acceperit ut Puer, non eſſe in id ingreſſurum. Deindè, eos complexus ulnis, & manibus eis impoſitis, eis benè precatus eſt.

¶ *Poſt prælectum Evangelium, Miniſter hanc brevem Exhortationem ſuper verba Evangelii recitabit.*

CHariſſimi, auditis ex jam citato Evangelio, quòd Chriſtus Servator noſter juſſerit Pueros ad ſe adduci; útque prohibentes quò minus ad eum venirent, objurgaverit; ut etiam omnes exhortetur, ut eorum inſtar innocentes eſſent. Inter vos liquet eum ab externo geſtu & facto ſuo benevolentiam erga eos declarâſſe: quippè qui, eos complexus ulnis, & manibus impoſitis, eis benè precatus eſt. Nolite igitùr dubitare, ſed ſeriò credite, ut Infantem *illum, qui* coràm adeſt, pari benignitate aſciverit, &, ulnis clementiæ ſuæ fuerit complexus, æternæ vitæ beneficium apud *eum* collocârit, & in æternum illius regnum admiſerit. Cùm igitur ità nobis perſuaſum ſit de benignitate Patris noſtri cœleſtis erga *hunc* Infantem, patefacta nobis per Filium ſuum Jeſum Chriſtum, & nulla ſit dubitandi cauſa, quin noſtra hæc pietas, qui infantem *hunc* ad ſacrum illius Baptiſma adduximus, illi accepta ſit, ſumma cum fide & ardore ei gratias habeamus, dicentes,

OMnipotens & ſempiterne Deus, Pater cœleſtis, gratiarum actionibus Te ex animo celebramus, quòd nos ad gratiæ tuæ cognitionem, fideíque Tibi habendæ vocare dignatus fueris: Hanc nobis cognitionem adauge, & in hac fide ſemper fundatos præſta. Dona Infantem *iſtum* Spiritu tuo, ut *renatus* æternam ſalutem adipiſcatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui Tecum vivit & regnat,

unà cum Spiritu Sancto, & nunc & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter Suſceptores & Suſceptrices alloquetur in hunc modum.*

DIlectiſſimi, Infantem *hunc baptizandum* adduxiſtis, invocato etiam Domino noſtro Jeſu Chriſto, ut *eum* aſciſcere velit; remiſsíſque ei peccatis, per Sanctum Spiritum ſanctificaret, *dignúmque* haberet divino regno & vitâ æternâ. Audîſtis etiam, ut Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Evangelio ſuo ſe obſtrinxerit poſtulata veſtra omnia conceſſurum: Cui promiſſo ex parte ſua nullatenùs deerit. Cùm itaquè hanc promiſſionem Chriſtus fecerit, *iſtum* etiam Infantem ex ſua parte per vos illius fide-juſſores fideliter polliceri oportet (donèc per ætatem liceat in ſe recipere) ut Diabolo unà cum omnibus ejus operibus renunciaverit; firmámque fidem ſacro Dei verbo adhibens, ejus præcepta obedientèr obſervaverit.

Quæro itaquè:

TUNE illius Infantis nomine renuncias Diabolo, & omnibus operibus ejus, inani pompæ & hujus mundi gloriæ; ut & omnibus ejuſdem avaris cupiditatibus, & carnis libidinibus: Adeò ut nec te earum deſiderio teneri, nec iis te duci permiſſurus ſis?

RESPONSIO.

Illis ego omnibus renuncio.

MINISTER.

CRedíſne in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cœli & terræ?

Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unigenam, Dominum noſtrum? Hunc etiam conceptum eſſe de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum & ſepultum; deſcendiſſe ad inferos, tertio die reſurrexiſſe à mortuis; aſcendiſſe ad Cœlos, ſedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; & indè venturum eſſe mundi fine judicare vivos & mortuos?

Túne etiam credis in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remiſſionem Peccatorum, Carnis Reſurrectionem, & poſt mortem Vitam æternam?

RESPONSIO.

His omnibus firmam fidem adhibeo.

MINISTER.

NUM vis in hanc fidem baptizari?

RE-

RESPONSIO.

Cupio.

MINISTER.

AN igitùr ſanctæ Dei voluntati, ejúſque præceptis obſequentèr parebis, & in iis per omnem vitam tuam gradieris?

RESPONSIO.

Ei parebo, & in iis gradiar.

¶ *Tum dicet Preſbyter.*

PRæſta, quæſumus, clemens Deus, veterem Adamum in *hoc* Infante ità ſepeliri, ut novus homo in *eo* ſuſcitetur. *Amen.*

Præſta ſingulas libidines carnis in *eo* mori, & omnia ſecundùm Spiritum in *eo* vivere & adaugeri. *Amen.*

Da illi vires & poteſtatem reportandi victoriam, & triumphandi de Diabolo, Mundo, & Carne. *Amen.*

Concede, ut quicunque hoc nobis demandato officio, & miniſterio Tibi conſecratus ſit, cœleſtibus donis ornetur, & æternæ ſalutis mercedem conſequatur per clementiam tuam, benigniſſime Domine Deus, qui vivis & gubernas omnia in omne ævum. *Amen.*

OMnipotens æterne Deus, cujus chariſſimus Filius Jeſus Chriſtus ex pretioſiſſimo ſuo latere Aquam ſimùl & Sanguinem, ad peccatorum noſtrorum veniam, effudit, quíque etiam diſcipulis ſuis in mandatis dedit, ut vaderent doctum omnes gentes, eóſque baptizarent in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti; admitte, quæſumus, preces Eccleſiæ tuæ; ſacram facito hanc Aquam, ad myſticam peccatorum ablutionem; da etiam, ut *hic* Infans, *qui* jam in ea eſt *baptizandus*, plenam gratiæ tuæ ubertatem percipiat, & in perpetuum prorsùs in numero fidelium & electorum tuorum filiorum permaneat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter Infantem in manus accipiet, & Suſceptoribus ac Suſceptricibus dicet:*

Infantis nomen indicate.

¶ *Tunc ipſum nomine jam ab ipſis indicato compellans (ſi affirmaverint Infantem ferre poſſe) aquæ cautè & circumſpectè immerget, dicens:*

N. Ego baptizo te in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. *Amen.*

¶ *Sin*

¶ *Sin verò infirmum eſſe Infantem affirment, ſatìs erit aquam in illum lenitèr effudiſſe, verba ſuprà memorata recitando:*

N. Ego baptizo te in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. *Amen.*

¶ *Tum dicet Preſbyter.*

INfantem hunc in cœtum gregis Chriſti cooptamus, eíque ſignum Crucis imprimimus, * in teſtimonium quòd ipſum poſthàc non pudebit fidem in Chriſtum crucifixum agnoſcere; & ſub ejus vexillis contra Peccatum, Mundum, & Satanam virilitèr pugnare, fidelémque ejus militem & ſervum uſquè ad finem vitæ permanere. *Amen.*

* *Hìc Preſbyter Infantis frontem ſigno Crucis notabit.*

¶ *Deinde dicet Preſbyter.*

DIlectiſſimi, cùm Infans *hic* denuò ſit *natus*, & in corpus Eccleſiæ Chriſti inſeratur; ob hæc collata in *eum* beneficia omnipotentem Deum gratiarum actionibus celebremus, uno ore, unóque animo precantes, ut Infantis hujus futura vita huic initio reſpondeat.

¶ *Tum, cunctis in genua provolutis, dicetur:*

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terrâ. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris. Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

¶ *Deinde Preſbyter dicet:*

PAter clementiſſime, Tibi ex animo gratias agimus, quòd dignatus ſis Infantem *hunc*, ex Spiritu Sancto tuo *renatum* dare, adoptare in filium, & ad Eccleſiam ſanctam tuam aggregare; da, ſupplices quæſumus, ut peccato *defunctus* juſtitiæ vivat, & unà cum Chriſto ad mortem *ſepultus* veterem hominem crucifigat, & peccati corpus totum prorsùs aboleat; ut quemadmodùm Mortis Filii tui *factus* eſt particeps, ità etiam & Reſurrectionis illius particeps fiat, adeò ut tandem, cum reliqua ſancta Eccleſia tua, æterni tui regni hereditatem adeat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum*

Tum, cunctis ſtantibus, Preſbyter ad Suſceptores & Suſceptrices hanc ſequentem Exhortationem diriget:

QUandoquidèm *hic* Infans per vos illius Fide-juſſores *pollicitus* eſt, ſe Diabolo unà cum operibus ejus *renunciaturum*, & in Deum *crediturum* & *culturum* ipſum; meminiſſe vos oportet, hoc vobis munus & officium incumbere, ut *hic* Infans doceatur, quamprimùm diſcere potuerit, quàm ſolemnis voti, promiſſionis, & profeſſionis nexu ſe per vos obligaverit. Quò autem iſta pulchrè calleat, monere *eum* vos oportet, ut ſacris concionibus adſit: Præcipuè de *èo* vobis curæ erit, ut vernaculè diſcat Symbolum Apoſtolicum, Supplicationem Dominicam, & Decalogum, unà cum cæteris omnibus, quæ ad animæ ſalutem Chriſtianum expedit & nôſſe & credere. Proſpicietis deniquè, ut *hic* infans ad piam & Chriſtianam vitam inſtituendam ſtudioſè educetur; ſempèr memores, Baptiſmum effigiem nobis ob oculos proponere profeſſionis noſtræ, ſcilicèt ut, à Chriſto noſtro Servatore exemplum ſumentes, ei ſimiles ſimus. Ut quemadmodùm ille pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit; nos itidem, qui baptizamur, peccatis defuncti ad juſtitiam reſurgamus, & pravas omnes & corruptas carnis libidines aſſiduè perimentes, tum in virtute, tum pietate indiès profectum faciamus.

¶ *Tum addet ac dicet.*

PRoſpicere vos oportet, ut *hic* Infans ad Epiſcopum adducatur, *qui* ab ipſo confirmetur, quamprimùm memoritèr teneat Symbolum Apoſtolicum, Supplicationem Dominicam, & Decalogum linguâ vernaculâ; utque in Catechiſmo ea de cauſa edito pleniùs inſtituatur.

COnſtat ex verbo Dei Infantes baptizatos, qui moriuntur antequam peccatum ullum facto commiſerint, proculdubiò ſalvari.

AD eximendum omnem ſcrupulum, circa uſum ſigni Crucis in Baptiſmo, vera rei iſtius Explicatio, & juſta cauſa illius retinendæ videri poterunt in Canone XXX. Anno Domini 1604. *primùm edito.*

ADMINISTRATIO

PÆDOBAPTISMI

In Privatis Ædibus.

¶ *CUrati uniuſcujuſque Parochiæ populum ſæpè admonebunt, nè Infantum Baptiſmum longiùs differant, quàm in Dominicum, nativitatem eorum proximè ſequentem, aut à nativitate ſecundum, aut in alium diem feſtum inter utrumque Dominicum, niſi ob cauſam gravem juſtámque Miniſtro approbandam.*

¶ *Ipſos etiam monebunt, nè, niſi gravi & neceſſaria de cauſa, liberos ſuos procurent domi intra privatos parietes baptizandos. Urgente autem neceſſitate, tum adminſtrabitur Baptiſmus in hunc modum:*

¶ *Primò Parochus, (aut, eo abſente, alius quilibet Miniſter legitimus, qui præſtò aderit) unà cum iis qui præſentes adfuerint, Deum precibus implorabunt, Supplicationem Dominicam recitantes, ſimúlque tot Collectas ex iis, quæ habentur in forma Baptiſmi publici, quot per temporis anguſtias & rei neceſſitatem licuerit. Deindè, nomine ab aliquo eorum qui præſentes aderunt Infantis indicato, Miniſter aquam in eum effundet, hæc verba recitando,*

N. Ego baptizo te in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. *Amen.*

¶ *Tum, cunctis in genua provolutis, Miniſter Deo gratias aget, dicens:*

PATER clementiſſime, Tibi ex animo gratias agimus, quòd dignatus ſis Infantem *hunc*, ex Spiritu Sancto tuo *renatum* dare, adoptare in filium, & ad Eccleſiam ſanctam tuam aggregare; da, ſupplices quæſumus, ut, quemadmodùm mortis Filii tui *factus* eſt particeps; ità etiam & Reſurrectionis illius particeps fiat; adeò ut tandem, unà

cum

cum reliqua ſancta Eccleſia tua, æterni tui regni hereditatem adeat, per eundem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Nè autem ullo modo dubitent, quin Infans, eo modo ſacro Baptiſmo tinctus, ſit ritè & plenè baptizatus; adeò ut nefas ſit eum denuò baptizari. Si tamen Infans ad hunc modum baptizatus ſuperſtes fuerit, eum expedit in Eccleſiam afferri, ut ſi Parochus ipſe illum baptizaverit, Eccleſia certior fiat de vera forma Baptiſmi ab eo privatìm celebrata: Re autem ſic ſe habente ità dicet:*

Ego vos certiores facio, me Infantem *iſtum*, tali tempore & loco, juxta legitimum præſcriptúmque Eccleſiæ ordinem coram multis teſtibus baptizâſſe.

¶ *Si autem Infans ab aliquo alio Miniſtro legitimo baptizatus fuerit, tunc Miniſter Parochiæ illius, in qua natus eſt Infans & baptizatus, examinabit atque perquiret, fuerítne Infans ritè baptizatus, an non? Si fuerit, & illi, qui Infantem in Eccleſiam afferunt, reſponderint, Infantem iſtum jam baptizatum eſſe, tunc Miniſter eos ulteriùs examinabit, dicens:*

A Quo baptizatus eſt Infans ille?

Quis adfuit, cùm baptizatus fuerit Infans ille?

Quoniàm fieri poteſt, ut nonnulla, quæ ad hujus Sacramenti Eſſentiam ſpectant, præ metu aut nimia feſtinatione in tanta periculi imminentis neceſſitate, omiſſa ſint, ideò quæro à vobis:

Quo Liquore baptizatus eſt Infans ille?

Quibus Verbis Infans ille baptizatus eſt?

¶ *Quòd ſi Miniſter ex eorùm reſponſionibus, qui Infantem ſiſtunt, omnia ritè legitiméque peracta comperiat; tunc Infanti Baptiſmum non iterabit, ſed illum recipiet, tanquam unum è grege verè Chriſtiani Populi, dicens in hunc modum:*

EGO vos certiores facio, re ità ſe habente, ritè & juxta præſcriptum ordinem præſtari cuncta, quæ ad Baptiſmum hujus Infantis ſpectant; qui, in peccato originali natus, & ſub ira divina, nunc eſt, per Lavacrum renaſcentiæ in Baptiſmo, in filios Dei & heredes vitæ ſempiternæ cooptatus.

Quippè Dominus noſter Jeſus Chriſtus gratiam & clementiam ſuam hujuſmodi Infantibus non denegat, ſed eos ad ſe quàm amantiſſimè invitat; ut in ſacroſancto Evangelio ad ingentem noſtram conſolationem habetur, ad hunc modum.

Evangelium D. Marc. x. 13.

ADducebantur autem Chriſto Pueri, ut illos tangeret; diſcipuli verò eos, à quibus adducebantur, objurgabant. Quo viſo, indignatus Jeſus dixit eis; Sinite Pueros ad me venire, néve eos prohibete: talium enim eſt Dei regnum. Hoc pro certo habetote, qui Dei regnum non acceperit ut Puer, non eſſe in id ingreſſurum. Deindè, eos complexus ulnis, & manibus eis impoſitis, eis bene precatus eſt.

¶ *Poſt prælectum Evangelium, Miniſter hanc brevem Exhortationem ſuper verba Evangelii recitabit.*

CHariſſimi, auditis in hoc Evangelio verba ipſius Chriſti Servatoris noſtri, quòd juſſerit Pueros ad ſe adduci, atque prohibentes quò minùs ad eum venirent reprehenderit; ut etiam omnes exhortetur eorum imitari innocentiam. Vobis patet, eum ad externo geſtu & facto ſuo benevolentiam erga eos declarâſſe; quippè qui, eos complexus ulnis, & manibus impoſitis, eis bene precatus eſt. Nolite igitur dubitare, ſed confidite potiùs, ut Infantem *hunc, qui* coràm adeſt, pari benignitate aſciverit, &, ulnis clementiæ ſuæ complexus (ex promiſſo quod in S. literis habetur) æternæ vitæ beneficium apud *eum* collocârit. Cùm igitùr nobis ità perſuaſum eſt de benigna Patris noſtri cœleſtis voluntate erga *hunc* Infantem, patefacta nobis per Filium ſuum Jeſum Chriſtum; ipſi cum fide & religiosè gratias agamus, ſupplicantes ut ipſe Dominus nos docuit.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris. Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

OMnipotens & ſempiterne Deus, Pater cœleſtis, gratiarum actionibus

Te

Te ſupplices celebramus, quòd nos vocare ad gratiæ tuæ cognitionem, fideique Tibi habendæ dignatus ſis; hanc nobis cognitionem adauge, & in hac fide ſemper nos fundatos præſta. Dona Infantem *hunc* Spiritu tuo, ut *renatus* & æternæ ſalutis heres *factus*, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, *tuus* permaneat, tuíque promiſſi compos fiat, per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui vivit & regnat unà tecum, & cum Spiritu Sancto, & nunc, & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter quæret Infantis nomen; quo à Suſceptoribus & Suſceptricibus prolato, Miniſter dicet:*

TUNE hujus Infantis nomine renuncias Diabolo, & omnibus operibus ejus, inani pompæ & hujus mundi gloriæ; ut & omnibus avaris ejuſdem cupiditatibus, & carnis libidinibus: adeò ut nec te earum deſiderio laborare, nec iis te duci permiſſurus ſis?

RESPONSIO.

Illis ego omnibus renuncio.

MINISTER.

CRedíſne in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ?

Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unigenam, Dominum noſtrum? Hunc etiam conceptum eſſe de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum & ſepultum; deſcendiſſe ad inferos, tertio die reſurrexiſſe à mortuis; aſcendiſſe ad Cœlos, ſedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; & indè venturum eſſe mundi fine judicare vivos & mortuos?

Túne etiam credis in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remiſſionem Peccatorum, Carnis Reſurrectionem, & poſt mortem Vitam æternam?

RESPONSIO.

His omnibus firmam fidem adhibeo.

MINISTER.

AN igitùr ſanctæ Dei voluntati, ejúſque præceptis obſequentèr parebis, & in iis per omnem vitam tuam gradiêris?

RESPONSIO.

Ei parebo, & in iis gradiar.

¶ *Tum dicet Preſbyter:*

INfantem *hunc* in cœtum gregis Chriſti cooptamus, * eíque ſignum Crucis imprimimus, in teſtimonium

* *Hìc Preſbyter Infantis frontem ſigno Crucis notabit.*

 monium

monium quòd *ipſum* poſthàc non pudebit fidem in Chriſtum crucifixum agnoſcere; & ſub ejus vexillis contra Peccatum, Mundum, & Satanam virilitèr pugnare, fidelémque ejus militem & ſervum uſque ad finem vitæ ſuæ permanere. *Amen.*

¶ *Deinde dicet Preſbyter:*

DIlectiſſimi, cùm Infans *hic* denuo ſit *natu*, & in corpus Eccleſiæ Chriſti inſeratur; ob hæc collata in *eum* beneficia omnipotentem Deum gratiarum actionibus celebremus, uno ore, unóque animo precantes, ut Infantis hujus futura vita huic initio reſpondeat.

¶ *Tum Preſbyter dicet:*

PAter clementiſſime, Tibi ex animo gratias agimus, quòd dignatus ſis Infantem *hunc*, ex Spiritu Sancto tuo *renatum* dare, adoptare in filium, & ad Eccleſiam ſanctam tuam aggregare; da, ſupplices quæſumus, ut peccato *defunctus* juſtitiæ vivat, & unà cum Chriſto ad mortem *ſepultus* veterem hominem crucifigat, & peccati corpus totum prorsùs aboleat; ut quemadmodùm Mortis Filii tui fuit particeps, ità etiam Reſurrectionis ejus ſit, adeò ut tandem, cum reliqua ſancta tua Eccleſia, æterni tui regni hereditatem adeat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum, cunctis ſtantibus, Preſbyter ad Suſceptores & Suſceptrices hanc ſequentem Exhortationem diriget.*

QUandoquidèm *hic* Infans per vos illius Fide-juſſores *pollicitus* eſt, ſe Diabolo unà cum operibus ejus *renunciaturum*, & in Deum *crediturum*, & *culturum* ipſum; meminiſſe vos oportet hoc vobis munus & officium incumbere ut *hic* Infans doceatur, quamprimùm diſcere potuerit, quàm ſolemnis voti, promiſſionis, & profeſſionis nexu ſe per vos obligaverit. Quò autem iſta pulchrè calleat, monere *eum* vos oportet, ut ſacris concionibus adſit; præcipuè de *eo* vobis curæ erit, ut vernaculè diſcat Symbolum Apoſtolicum, Supplicationem Dominicam, & Decalogum unà cum cæteris omnibus, quæ ad animæ ſalutem Chriſtianum expedit & nôſſe & credere. Proſpicietis deniquè, ut *hic* Infans ad piam & Chriſtianam vitam inſtituendam ſtudiosè educetur, ſemper memores, Baptiſmum effigiem

effigiem nobis ob oculos proponere profeſſionis noſtræ, ſcilicèt ut, à Chriſto noſtro Servatore exemplum ſumentes, ei ſimiles ſimus. Ut quemadmodùm ille pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, nos itidem, qui baptizamur, peccatis defuncti ad juſtitiam reſurgamus, & pravas omnes & corruptas carnis libidines aſſiduè perimentes, tum in virtute, tum pietate indiès profectum faciamus.

¶ *Quod ſi autem ii, qui Infantem adferunt in Eccleſiam, incertas adeò reſponſiones dederint quæſtionibus à Preſbytero propoſitis, ut indè non liqueat Infantem Aquâ baptizatum fuiſſe in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti (quæ ſunt Baptiſmi partes eſſentiales) tunc Preſbyter eum baptizet, juxta formam in præcedentibus præſcriptam pro Baptiſmo publico, excepto quòd in immerſione Infantis in Baptiſterium utetur hâc verborum formulâ:*

QUòd ſi anteà non fueris baptizatus, N. ego baptizo te in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. *Amen.*

ADMINISTRATIO BAPTISMI ADULTORUM,

Qui pro ſeipſis poſſunt reſpondere.

¶ *QUum baptizandi ſunt Adulti, maturè id Epiſcopo (aut cui hoc munus ab Epiſcopo demandatum fuerit) à Parentibus aut aliis viris prudentibus renunciabitur, ſeptem ad minimum dies priuſquàm baptizantur, ut eo pacto cùm debita diligentia examinentur, num ſcilicèt elementa chriſtianæ Religionis ſatìs probè teneant: & moneantur ut ſe ſupplicationibus & jejunio præparent ad ſanctum hoc Sacramentum percipiendum.*

¶ *Et ſi idonei reperti fuerint, tum Suſceptores & Suſceptrices (congregato populo die dominico, aut feriato die ad id deſignato) præſtò aderunt, ut eos ſiſtant ad Baptiſterium, ſtatim à poſteriori Lectione, ad Preces*

ſeu

ſeu matutinas, ſeu veſpertinas, prout Miniſtro viſum fuerit.

¶ *Iis autem ibi ſtantibus, Preſbyter quæret, num ullus eorum, qui ſiſtantur, baptizatus fuerit, an non? Si reſponderint, minime: tunc ſic dicet Preſbyter,*

CHariſſimi, quoniam omnes in peccato concepti & nati ſunt, (& quod ex carne natum eſt, caro eſt) &, qui ſunt in carne, Deo placere nequeunt, ſed in peccato verſantes factis ſuis plurimùm delinquunt; & Chriſtus Servator noſter confirmat, qui renatus, & ex aqua & Spiritu Sancto natus non fuerit, non poſſe eum in divinum regnum intrare; obteſtor vos ut Deum Patrem invocetis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut pro ſingulari ſua clementia *iſtis* dignetur concedere, quod à natura haberi nequit; ſcilicèt ut aquâ & Spiritu Sancto *baptizentur*, &, in ſanctam Chriſti Eccleſiam *cooptati*, illius *membra viva fiant*.

¶ *Tum Preſbyter dicet:*

OREMUS.

Hìc autem genua flectet univerſus Cœtus.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui pro ſingulari tua clementia, ex aquarum periculo Noam cum familia ejus in arca eripuiſti, & qui tuos Iſraëlitas Mare Rubrum traduxiſti incolumes (qua re ſacri tui Baptiſmatis figuram exhibebas) quíque etiam, per chariſſimi Filii tui Jeſu Chriſti Baptiſmum in Jordane flumine, elementum aquæ ad myſticam peccati ablutionem conſecrâſti: Pro tot tuis beneficiis, Te quæſumus, benigno vultu *hos homines* reſpice, *ipſos* ablue, ut per Spiritum Sanctum *reddantur ſancti*, tuóque à ſupplicio *defenſi* in Eccleſiæ Chriſti arcam *admittantur*: Et Fide *firmi*, Spe *gaudentes*, & in Charitate *radicati*, trajectis mundi hujus procelloſi fluctibus, ad portum æternæ vitæ tandem *appellant*, ibi tecum in perpetua ſecula *regnaturi*, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

OMnipotens immortalis Deus, qui ſis omnibus firmamento in adverſis, iíſque Te defenſorem præbeas, qui ad Te perfugiunt ad auxilium, quíque etiam ſis credentium Vita, & Reſurrectio mortuorum: Te in *horum hominum* jam ad ſacrum tuum Baptiſma *accedentium* gratiam imploramus, ut per ſpiritualem renaſcentiam peccatorum

catorum veniam *conſequantur*: Aſciſce *eos*, Domine, ex promiſſo tuo, quod feciſti per chariſſimum Filium tuum dicentem, Petite & dabitur vobis, Quærite & invenietis; Pulſate & vobis aperietur: Da igitur nobis jam petentibus; fac, ut quærentes inveniamus, pulſantibus aperiatur; ut *hi homines* tum æternum favorem divinæ tuæ ablutionis, tum æternum illud regnum, quod promiſiſti, *conſequantur*, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum eriget ſe Populus, & dicet Preſbyter,*

Audite verba Evangelii à Divo Johanne ſcripti, capite tertio, commate primo.

ERAT autem homo quidam ex Phariſæis, nomine Nicodemus, Judæorum primarius. Is Jeſum noctu adiit, & eum ſic eſt allocutus: Magiſter, ſcimus Te veniſſe doctorem à Deo; nam iſta tam miranda facere, quæ tu facis, nemo poſſit, niſi adſit ei Deus. Cui Jeſus reſpondens; Hoc tibi etiam atque etiam confirmo, inquit, qui denuò natus non fuerit eum non poſſe divinum regnum videre. Et Nicodemus; Quo pacto poſſit homo naſci, qui ſit ſenex? Numquìd poteſt iterùm in ventrem ſuæ matris ingredi, atque naſci? At Jeſus ei reſpondens; Hoc tibi magnoperè confirmo, qui ex Aqua & Spiritu natus non fuerit, eum non poſſe in divinum regnum intrare. Quod ex carne natum eſt, caro eſt, & quod ex Spiritu natum eſt, ſpiritus eſt. Noli mirari quòd tibi dixerim, vobis eſſe renaſcendum. Ventus quò vult flat, ejúſque ſonitum tu audis; ſed undè veniat, aut quò abeat, neſcis: Sic eſt, quiſquis ex ſpiritu natus eſt.

¶ *Poſt prælectum Evangelium, hanc ſequentem Exhortationem recitabit.*

CHariſſimi, auditis ex jam citato Evangelio Chriſtum Servatorem noſtrum magnoperè confirmantem, qui ex Aqua & Spiritu natus non fuerit, eum non poſſe in divinum regnum intrare; ex quibus Sacramenti hujus elucet neceſſitas, ubi illius facultas oblata eſt. Itidèm etiam jam cœlum conſcenſurus (ut patet ex ultimo capite juxta D. Marcum Evangelii) in mandatis dedit diſcipulis ſuis dicens, Ite in totum orbem, prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſervabitur: qui verò

non

non crediderit, condemnabitur: ex quibus liquidò conſtat, quantum indè ſit apud nos collocatum beneficium. Qua de cauſa, cùm divus Apoſtolus Petrus primùm doceret Evangelium, multi in animo compuncti, Petrum & cæteros Apoſtolos ſic alloquuntur; Quid agemus, viri fratres? tum dixit eis, Redite ad frugem, & baptizamini cuncti ad peccatorum veniam, & donum Sancti Spiritûs aſſequemini. Ad vos enim pertinet promiſſio, & ad veſtros natos, & ad omnes remotiores, quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter. His ille aliíſque pluribus verbis eos commonuit, &, ut ex eo perverſo hominum genere evaderent, cohortatus eſt. Quippe (ſicùt alibi dicit idem Apoſtolus) nunc quoquè baptiſma nos ſervat (non corporis ſordium detractio, ſed bonæ conſcientiæ ſtipulatio ad Deum,) per Jeſu Chriſti reſurrectionem. Nolite igitur dubitare, ſed toto animo credite, ut *hóſce homines, qui* jam *adſunt*, verè *pœnitentes*, ipſúmque cum fide *adeuntes*, benignè aſciverit; & *iis* peccata remittens impertitus fuerit Spiritum Sanctum, &, collocato apud *eos* æternæ vitæ beneficio, æterni etiam regni *participes* fecerit. Cùm itaquè perſuaſum habeamus Patrem noſtrum cœleſtem ita benevolo eſſe erga *hos homines* animo, quem per Jeſum Chriſtum Filium ſuum patefecit, ſumma cum fide & ardore ei gratias habeamus, dicentes:

OMnipotens & ſempiterne Deus, Pater cœleſtis, gratiarum actionibus Te humilitèr celebramus, quòd nos ad gratiæ tuæ cognitionem, fideíque Tibi habendæ vocare dignatus fueris: Hanc nobis cognitionem adauge, & in hac fide ſempèr fundatos præſta. Dona *hóſce homines* Spiritu Sancto tuo, ut *renati ſint*, & æternam ſalutem *adipiſcantur*, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui Tecum vivit & regnat, unà cum Spiritu Sancto, & nunc, & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter* baptizandos *ſic alloquetur:*

CHariſſimi, *qui* huc *acceſſiſtis* cum propoſito ſacrum Baptiſmum ſuſcipiendi, *audîſtis* quomodò Cœtus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum precibus imploraverit, ut *vos*, conciliato illius favore, aſciſcere velit & felicitare; remiſsíſque vobis peccatis veſtris, *dignos* haberet divino regno, & ſalute æternâ.

æternâ. *Audiſtis* etiam, ut Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Evangelio ſuo promiſerit, poſtulata ſe noſtra omnia conceſſurum; cui promiſſo ex parte ſua nullatenùs deerit. Cùm itaquè Chriſtus hanc promiſſionem fecerit, *vos* etiam oportet, coram his teſtibus *veſtris* & hoc cœtu univerſo, ſanctè promittere, quòd Diabolo & omnibus operibus ejus *renunciaturi eſtis*, firmámque fidem ſacro Dei verbo conſtanter *adhibentes*, ejus præcepta obedientèr *exequemini.*

¶ *Tum Preſbyter ſingulis baptizandis has ſequentes Quæſtiones ſeorſim proponet.*

QUÆSTIO.

TUNE renuncias Diabolo, & omnibus operibus ejus, inani pompæ & hujus mundi gloriæ, ut & omnibus ejuſdem avaris cupiditatibus & carnis libidinibus; adeò, ut nec te earum deſiderio laborare, nec iis te abripi permiſſurus ſis?

RESPONSIO.

Illis ego omnibus renuncio.

QUÆSTIO.

CRediſne in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ?

Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unigenam, Dominum noſtrum? Hunc etiam conceptum eſſe de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum & ſepultum; deſcendiſſe ad inferos, tertio die reſurrexiſſe à mortuis; aſcendiſſe ad Cœlos, ſedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; & indè venturum eſſe mundi fine judicare vivos & mortuos?

Túne etiam credis in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remiſſionem Peccatorum, Carnis Reſurrectionem, & poſt mortem Vitam æternam?

RESPONSIO.

His omnibus firmam fidem adhibeo.

QUÆSTIO.

NUM vis in hanc fidem baptizari?

RESPONSIO.

Cupio.

QUÆSTIO.

AN igitur ſanctæ Dei voluntati, præceptiſque ejus fidelitèr parebis, & in iis per omnem vitam tuam gradiêris?

RESPONSIO.

Dabo operam, mihi Domino opitulante.

¶ *Tum*

¶ *Tum dicet Preſbyter:*

PRæſta, quæſumus, clemens Deus, veterem Adamum in *hiſce hominibus* ità ſepeliri, ut novus homo in *iis* ſuſcitetur. *Amen.*

Præſta ſingulas libidines carnis in *eis* mori, & omnia ſecundùm Spiritum in *eis* vivere & adaugeri. *Amen.*

Da *illis* vires & poteſtatem reportandi victoriam, & triumphandi de Diabolo, Mundo, & Carne. *Amen.*

Concede, ut quicunque hoc nobis demandato officio, & miniſterio conſecrati ſint, cœleſtibus donis ornentur, & æternæ ſalutis mercedem conſequantur, benigniſſime Domine Deus, qui vivis & omnia gubernas in perpetua ſecula. *Amen.*

OMnipotens æterne Deus, cujus chariſſimus Filius Jeſus Chriſtus ex latere pretioſiſſimo & Aquam & Sanguinem in peccatorum noſtrorum veniam effudit, quíque etiam diſcipulis ſuis in mandatis dedit, ut vaderent doctum omnes gentes, eáſque baptizarent in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti; admitte, quæſumus, preces hujuſce Eccleſiæ tuæ; ſacram facito hanc Aquam, ad myſticam peccati ablutionem; da etiam, ut *hi, qui* jam eadem baptizandi ſunt, plenam gratiæ tuæ ubertatem *percipiant*, & in perpetuum *maneant* in numero fidelium & electorum filiorum tuorum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter, prehensâ uniuſcujuſque baptizandorum dexterâ, eóque, in loco commodo, juxta baptiſterium collocato, proùt ipſi viſum fuerit, quæret nomen ipſius à Suſceptoribus & Suſceptricibus, deindè ipſum immerget in Aquam, aut Aquam in eum effundet, dicens,*

N. Ego baptizo te in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. *Amen.*

¶ *Tum dicet Preſbyter:*

HUnc hominem in Cœtum gregis Chriſti cooptamus, eíque Signum Crucis imprimimus, * in teſtimonium quòd *ipſum* poſthàc non pudebit fidem in Chriſtum crucifixum profiteri; & ſub ejus vexillis contra Peccatum, Mundum, & Satanam fortitèr pugnare,

* *Hic preſbyter Hominis frontem Signo Crucis notabit.*

pugnare, fidelémque Chriſti militem & ſervum uſquè ad finem vitæ permanere. *Amen.*

¶ *Tum dicet Preſbyter:*

Dilectiſſimi fratres, cum *hi homines* denuò *nati ſint* & in Corpus Eccleſiæ *inſerantur*, ob hæc collata in *eos* beneficia Omnipotentem Deum gratiarum actionibus celebremus, uno ore, unóque animo precantes, ut *horum hominum* futura vita huic initio reſpondeat.

¶ *Tum recitabitur Supplicatio Dominica, omnibus in genua provolutis.*

Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

Tibi gratias ex animo humili agimus, cœleſtis Pater, quòd nos ad gratiæ tuæ cognitionem, fideíque tibi habendæ vocare dignatus fueris; hanc nobis cognitionem adauge, & in hac fide ſemper *fundatos* præſta: Dona *hóſce homines* Spiritu, per quem *renati ſint* & æternam ſalutem *adipiſcantur*, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, *tuíque famuli permaneant*, & promiſſi tui *fiant compotes*, per eundem Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat Tecum, in unitate ejuſdem Spiritûs Sancti in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Tum, cunctis ſtantibus, Preſbyter hanc ſequentem Exhortationem habebit, Suſceptores & Suſceptrices primùm alloquens.*

Quandoquidèm *homines iſti* coram vobis *promiſerunt*, ſe *renunciaturos* Diabolo, omnibúſque ejus operibus; in Deum *credituros* & *culturos* ipſum; meminiſſe vos oportet, ut veſtri muneris & officii ſit monere *ipſos* quàm ſolemnis voti, promiſſionis, & profeſſionis nexu ſe coram hoc Cœtu, maximè autem vobis teſtibus ad hoc adhibitis, *obligaverint*. Vobis etiam curæ erit monere, ſedulò illis faciendum, ut ſacris diviníſque literis rectè inſtituantur, quò creſcant in gratia & cognitione Domini noſtri Jeſu Chriſti,

ſti, ac piè juſtéque & frugaliter *vivant* in hoc mundo.

¶ *Tum, recèns* baptizatos *alloquens, perget ac dicet:*

AD *vos* autem quod attinet, *qui baptizati* Chriſtum *induiſtis*, veſtri etiam muneris & officii eſt, in *filios* Dei & lucis *cooptatos* per fidem in Jeſum Chriſtum,ità *vos* gerere, ut dignum eſt Chriſtianâ iſtâ conditione, ad quam *vocati eſtis*, atque ut decet *filios* lucis; ſempèr *memores*, baptiſmum nobis profeſſionis noſtræ figuram exhibere: Scilicèt ut Chriſti noſtri Servatoris exemplum imitemur, & ad ejus ſimilitudinem accedamus: Ut, quemadmodùm ille pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, nos itidèm, qui baptizamur, peccatis defuncti ad juſtitiam reſurgeremus; & pravas omnes corruptáſque carnis libidines indeſinentèr *perimentes*, tum in virtute, tum pietate, profectum indiès faceremus.

¶ *Expedit, ut unuſquiſque ità baptizatus, ab Epiſcopo confirmetur, quàm citò fieri poterit à baptiſmo; ut ſic ad ſacram Communionem admittatur.*

¶ *Si qui in prima infantia non baptizati afferantur ad baptiſmum, priuſquàm ad adultam ætatem pervenerint, ità ut pro ſe reſpondere non valeant; ſatis erit, ſi adhibeatur Officium Pædobaptiſmi publici; aut (ſi verſentur in ſummo periculo) Officium Pædobaptiſmi privati, mutato tantùm vocabulo,* Infans, *in vocabulum* Puer, *aut* Homo, *proùt res poſtulabit.*

CATE-

CATECHISMUS,

HOC EST

Inſtitutio, quam unuſquiſque addiſcere tenetur, priuſquàm adducatur ad Epiſcopum, ut ab illo confirmetur.

QUÆSTIO.

QUI vocare?

RESPONSIO.

N. aut *M.*

QUÆSTIO.

Quis iſtud nomen tibi indidit?

RESPONSIO.

Suſceptores mei & Suſceptrices in Baptiſmo, in quo factus ſum membrum Chriſti, filius Dei, & heres regni cœleſtis.

QUÆSTIO.

Quid Suſceptores tui & Suſceptrices tuâ vice tum præſtiterunt?

RESPONSIO.

Promiſſa & vota tria meo nomine nuncupârunt: Primùm, me renunciaturum Diabolo & omnibus operibus illius, pompis, nugíſque hujus mundi nequam, unà cum omnibus pravis cupiditatibus carnis. Deindè, me omnes Fidei Chriſtianæ Articulos crediturum. Deniquè autem, me ſanctam Dei voluntatem, & illius præcepta executurum, & ad illorum normam me totam vitam meam directurum.

QUÆSTIO.

An non putas te teneri ad ea credendum & præſtandum, quæ tuo nomine ſuſceperunt?

RESPONSIO.

Imò ſanè, &, Deo juvante, enitar quantùm quidem potuero præſtare. Patri item cœleſti gratias ago ex animo, quòd me per Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum in hunc Salutis ſtatum vocaverit. Deúmque vehementèr oro, ut mihi ſuam gratiam impertiat, quò uſquè ad extremum ſpiritum meum in eodem permaneam.

CATECHISTES.

Recita Fidei tuæ Articulos memoritér.

RESPONSIO.

CRedo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Mariâ Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus; deſcendit ad inferos, tertio die reſurrexit à mortuis; aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remiſſionem Peccatorum, Carnis reſurrectionem, & Vitam æternam. *Amen.*

QUÆSTIO.

In illis Fidei Articulis quid tu potiſſimùm doceris?

RESPONSIO.

Primò, credendum mihi eſſe in Deum Patrem, qui me, orbémque univerſum condidit.

Deindè, in Deum Filium, qui me & totum genus humanum redemit.

Deniquè autem, in Spiritum Sanctum Deum, qui me cum omnibus Dei electis ſanctificat.

QUÆSTIO.

Dicebas Suſceptores & Suſceptrices tuas tuo nomine promiſiſſe, te præcepta Dei executurum, Dic mihi, quot ſunt illa?

RESPONSIO.

Decem.

QUÆSTIO.

Quænam ſunt illa?

RESPONSIO.

EA ipſa quæ Deus, ut in Capite vigeſimo Exodi habetur, effatus eſt ad hunc modum: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex domicilio ſervitutis Ægyptiæ.

I. Deos alienos nullos, præter me, habeto.

II. Ne facito tibi ſculptile, aut ſimulacrum ullius rei, quæ extet aut ſuprà in cœlo, aut infrà in terra, aut in aquis ſub terra: Néve ea venerator néve colito: Nam ego ſum Dominus Deus tuus, Deus impatiens ſocii, qui parentum culpam etiam in liberos perſequor, vel ad tertiam uſquè quartámque ſtirpem oſorum mei: clementiâque utor ad milleſimam uſquè ſtirpem erga me amantes, meáque præcepta conſervantes.

III. Domini Dei tui nomen inanitèr ne adhibeto: Neque enim ſinet impunitum Dominus, qui ejus nomen inanitèr adhibuerit.

IV. Diem Sabbati ſanctè agere memento. Sex diebus agito, tuáque opera omni-

nia patrato. Septimo autem die, quod Domini Dei tui Sabbatum eſt, nullum opus facito, neu tu, neu tuus filius, aut filia, neu tuus ſervus, aut ancilla, neu tuum jumentum, neu apud te degens peregrinus. Nam, quum ſex diebus feciſſet Dominus cœlum, terram, mare, quæque in eis ſunt omnia, feriatus eſt die ſeptimo: Qua de cauſa diem Septimum fauſtum ſacrúmque fecit.

V. Parentem utrumque honorato, ut diù ætatem producas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus donat.

VI. Nè hominem occidito.

VII. Nè adulterato.

VIII. Nè furator.

IX. Falſum teſtimonium contra alterum nè dicito.

X. Alterius domum nè concupiſcito: Alterius uxorem nè concupiſcito; néve ſervum aut ancillam, néve bovem aut aſinum, nihil deniquè quod ſit alterius.

QUÆSTIO.

In his præceptis quid potiſſimùm diſcendum arbitraris?

RESPONSIO.

Duo: Officium ſcilicèt primùm erga Deum; deindè etiam & erga alterum.

QUÆSTIO.

Quódnam eſt Officium tuum erga Deum?

RESPONSIO.

Officium meum erga Deum eſt, ut in illum credam, illum verear, & amem toto corde, totâ mente, toto animo, ſummâque ope; ut illi ſerviam, illi gratias agam, in illo omnem mihi fiduciam collocem, illum invocem; illius ſacroſancto Nomini & verbo ſummam ut præſtem venerationem, & per omnem vitam meam illi verè inſerviam.

QUÆSTIO.

Quodnam eſt officium tuum in alterum?

RESPONSIO.

Meum eſt in alterum, ut eum eodem amore, quo meipſum, proſequar, &, quicquid volo ut mihi faciant omnes alii, idem ego quoque iis faciam: Parentem utrumque amore, honore, & ſubſidio complectar: Regiam Majeſtatem, & quibus officium ſuum delegavit, honore & obedientiâ proſequar; erga omnes gubernatores, inſtitutores, paſtores ſpirituales, & magiſtros morigerum me & obedientem præbeam: ſummiſsè me, & reverentèr geram erga omnes meos ſuperiores: neminem injuria, verbo, factóve afficiam: in omnibus fidelem & juſtum me præbeam: nemini in animo meo malè velim: manus

meas à furto & latrocinio, linguam à maledicentia, falſitate, & obtrectatione contineam: corpore me temperantem, ſobrium, & caſtum præbeam: aliena deniquè bona non concupiſcam, neque aveam, ſed proprio labore ſtudeam victum exercere, eíque vitæ rationi ſatisfacere, ad quam divina providentia me vocârit.

CATECHISTES.

Hoc velim ſcias, optime Fili, tuis te viribus iſta præſtare non poſſe, neque in præceptis Dei ambulare, & illi proùt decet ſervire, niſi ſingularis illius gratia tibi adſit, quam ut impetres, importunâ prece continentèr utendum eſt. Audiam itaquè an ſupplicationem Dominicam memoritèr teneas.

RESPONSIO.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

QUÆSTIO.

Quid in hac Supplicatione à Deo poſtulas?

RESPONSIO.

Equidèm contendo à Domino Deo meo, Patre noſtro cœleſti, bonorum omnium largitore, ut me, omnéſque alios ſuâ gratiâ impertire velit, per quam illum colamus, illi ſerviamus, & pro eo ac decet obſequamur. Oro etiam Deum, ut ea omnia nobis largiri velit, quæ tum animæ, tum corporis ſtatus exigit: útque ſuâ erga nos utatur clementiâ, & delicta noſtra nobis remittat: ut, quibus in periculis vel anima, vel corpus verſatur noſtrum, ab iis nos conſervare velit & tueri, nóſque ab omni peccato & ſcelere, & ab hoſte animarum, & morte ſempiterna cuſtodire. Quæ quidem omnia in ſpem adducor ut præſtiterit pro ſingulari clementia ſua & benignitate, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: Et ea de cauſa dico, *Amen.* Sic fiat.

QUÆSTIO.

QUot Sacramenta inſtituit Chriſtus in Eccleſia ſua?

RESPONSIO.

Duo tantùm, quæ quidem ad ſalutem conſequendam in genere neceſſaria ſunt, nempè Baptiſmum, & Cœnam Domini.

QUÆSTIO.

Quid vis per vocem iſtam Sacramentum?

RESPON-

RESPONSIO.

Externum volo & aſpectabile Signum internæ & ſpiritualis Gratiæ, collatæ nobis, ab ipſo Chriſto inſtitutum, tanquàm medium quo eam adipiſcimur, & pignus certitudinis, nos eam adeptos eſſe.

QUÆSTIO.

Quot ſunt partes in Sacramento?

RESPONSIO.

Duæ, externum aſpectabile Signum, & interna ſpiritualis Gratia.

QUÆSTIO.

Quodnam eſt externum aſpectabile Signum, aut Forma in Baptiſmo?

RESPONSIO.

Aqua, quâ quis baptizatur in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

QUÆSTIO.

Quænam eſt interna & ſpiritualis Gratia?

RESPONSIO.

Mori peccato, & denuò naſci juſtitiæ; cum enim à natura comparatum eſt nos in peccato naſci, & iræ filios, hac ratione facti ſumus filii Gratiæ.

QUÆSTIO.

Quid in baptizandis requiritur?

RESPONSIO.

Correctio vitæ, quâ à peccato deſciſcunt; & fides, quâ firmiter promiſſis adhærent, quibus eos donavit Deus in eo Sacramento.

QUÆSTIO.

Cur igitur baptizantur Infantes, qui propter ætatem immaturam iſta præſtare non valeant?

RESPONSIO.

Quia ad utrumque præſtandum ſe per ſuos Sponſores obſtrinxerunt; quam fidem, ut ex ephebis exceſſerint, ipſi tenentur liberare.

QUÆSTIO.

Quibus de cauſis Sacramentum Cœnæ Domini inſtitutum eſt?

RESPONSIO.

Ut in perpetuum memoriæ proderetur Sacrificium mortis Chriſti, & beneficia nobis inde collata.

QUÆSTIO.

Quænam eſt pars externa, ſeu Signum Cœnæ Domini?

RESPONSIO.

Panis & Vinum, quæ Dominus juſſit accipi.

QUÆSTIO.

Quænam eſt pars interna, ſeu res ſignificata?

RESPONSIO.

Corpus & Sanguis Chriſti, quæ verè & reipſâ ſumuntur & percipiuntur à fidelibus in Cœna Domini.

QUÆSTIO.

Quænam beneficia apud nos indè collata ſunt?

RESPONSIO.

Animarum noſtrarum confirmatio & recreatio per Corpus & Sanguinem Chriſti, quemadmodùm Pane & Vino corpora noſtra confirmantur & recreantur.

QUÆSTIO.

Quid in iis requiritur, qui Cœnam Domini participant?

RESPONSIO.

Ut explorent ſeipſos, an à ſuperioribus peccatis verè deſciſcant, firmitèr in animo inſtituentes novam vitæ rationem; an fidem vividam in Dei miſericordia per Chriſtum collocent, gratâ memoriâ mortem illius proſequentes; an deniquè eâ quâ par eſt charitate omnes homines complectantur.

¶ *Curatus uniuſcujuſque Parochiæ diebus dominicis & feriatis, poſt Lectionem poſteriorem, ad veſpertinas Preces publicè in Eccleſia inſtituet & examinabit in parte aliqua hujus Catechiſmi pueros ex ſua Parochia ad ſe adductos, quot ipſi viſum fuerit.*

¶ *Omnes autem Patres, Matres, Heri & Heræ, curabunt, ut Liberi, Famuli ac Tyrones (qui Catechiſmum ſuum nondùm didicerunt) in Eccleſiam ſe conferant tempore præſtituto, & attentas aures præbeant, & à Miniſtro dirigantur, donec ea omnia addidicerint, quæ hìc jubentur addiſcere.*

¶ *Ubi primùm Infantes adoleverint, ita ut linguâ vernaculâ poſſint recitare Symbolum Apoſtolorum, Supplicationem Dominicam, Decalogum, & ad alias Quæſtiones reſpondere, quæ habentur in breviori hoc Catechiſmo, ad Epiſcopum adducentur. Habebunt autem ſinguli Suſceptorem aut Suſceptricem, ſuæ ſcilicet Confirmationis teſtem.*

¶ *Quotieſcunquè verò Epiſcopus indicaverit, ut pueri ad ſe confirmationis gratiâ adducantur; uniuſcujuſque Parochiæ Miniſter, aut ipſe afferet, aut ſaltem mittet eorum omnium nomina chartæ inſcripta (ſuo etiam manu propriâ ſubſcripto nomine) qui ipſi videbuntur idonei, qui Epiſcopo præſententur, ut ab eo confirmentur. Quòd ſi Epiſcopo probentur, eos confirmabit juxta ſequentem Formulam.*

ORDO CONFIRMATIONIS,

SEU

Impoſitionis Manuum ſuper eos, qui baptizati ad adultam ætatem pervenerunt.

¶ *Die ad hoc præſtituto, quotquot tunc confirmandi ſunt, ordine diſpoſitis ac ſtantibus coram Epiſcopo, vel Ipſe, vel alius Miniſter ad hoc ab eo conſtitutus, hanc ſequentem Præfationem præleget.*

QUO Confirmatio adminiſtrata majori ſit confirmandis utilitati, Eccleſiæ viſum eſt ſtatuere, ut nemo dehinc ad Confirmationem admittatur, niſi qui Symbolum Apoſtolicum, Supplicationem Dominicam, & Decalogum memoritèr proferat, & poſſit etiam reſpondere ad alias illas brevis Catechiſmi Quæſtiones. Cui quidem ſtatuto ſua obſervatio redderetur, quò pueri, cùm jam ex ephebis exceſſerint, & didicerint, quæ & quanta Suſceptores & Suſceptrices ipſorum nomine in Baptiſmo fuerint polliciti, ipſi ſuo ipſorum ore & conſenſu, publicè in conſpectu Eccleſiæ, eadem rata faciant, profiteantúrque ſe, divinâ gratiâ adjuvante, magis ac magis daturos operam, ut ea omnia fidelitèr obſervent, quibus jam ſuis ipſorum verbis aſſenſerint.

¶ *Tum dicet Epiſcopus.*

VOſne hìc coram Deo, & hoc Cœtu ſolemni iſti promiſſo ſtatis, votóque iſti, veſtro nomine, cùm baptizemini, nuncupato; ipſi eadem rata facientes & confirmantes, itémque agnoſcentes vos teneri ea omnia credere & præſtare, quæ Suſceptores veſtri & Suſceptrices veſtro nomine in ſe ſuſceperunt?

¶ *Unuſquiſque, itâ ut audiri poſſit, reſpondebit,* Maximé.

EPISCOPUS.

AUxilium noſtrum à Domino eſt.

RESPONSIO.

Cœli, Terræque Creatore.

EPISCOPUS.

Laudetur nomen Domini.

RESPON-

RESPONSIO.

Abhinc & in perpetua ſecula.

EPISCOPUS.

Nos, Domine, invocantes exaudi.

RESPONSIO.

Et ad Te perlata ſit querela noſtra.

EPISCOPUS.

OREMUS.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui hos famulos tuos ex Aqua & Spiritu Sancto denuò naſci dignatus ſis, quíque iis omnium peccatorum gratiam feceris; eos, quæſumus, Domine, Spiritu Sancto Paracleto corrobores, iiſque indiès varia Gratiæ tuæ dona accumules, ſpiritum ſapientiæ & intelligentiæ; ſpiritum conſilii & ſpiritualis fortitudinis; ſpiritum ſcientiæ & veræ pietatis; eóſque ſpiritu ſancti metûs tui repleas, & nunc & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Tunc, omnibus ordine in genua provolutis coram eo, Epiſcopus uniuſcujuſque capiti ſucceſſivè manum imponet, dicens:*

HUNC Puerum [*aut hunc Famulum*] tuum, Domine, cœleſti tuâ gratiâ protege, ut tuus ſemper maneat & indiès Sancti Spiritûs tui incremento magis magíſque creſcat, donec in æternum regnum tuum intret. *Amen.*

¶ *Tum dicet Epiſcopus,*
Dominus vobiſcum.

RESPONSIO.

Et cum ſpiritu tuo.

¶ *Et (ſingulis in genua provolutis) Epiſcopus ſubjunget,*

OREMUS.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris. Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

¶ *Et hanc Collectam.*

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui in nobis efficis ut velimus & faciamus ea, quæ bona ſunt & divinæ Majeſtati tuæ accepta; Te ſupplicitèr rogamus pro his famulis tuis, quibus (ab Apoſtolis more accepto) manus noſtras impoſuimus, ut hoc ſigno de tuo favore & ſumma erga eos clementia certiores fiant: Paterna manus tua eos, quæſumus, ſemper protegat: Iis ſemper adſit

ſit Spiritus Sanctus tuus, iíſque ad cognitionem verbi tui & obedientiam ita præeas, ut tandem vitam æternam conſequantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui unà Tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat ſemper unus Deus, in perpetua ſecula. *Amen.*

OMnipotens Domine & ſempiterne Deus, dignare, quæſumus, tum animas noſtras tum corpora dirigere, conſecrare, & ducere, per iter legum tuarum, & ad tua præcepta exequendum; ut, præſtantiſſimis tuis viribus, & animæ & corpora criminis expertia & hìc & in perpetuum prorsùs conſerventur, per Jeſum Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum eis benè precabitur Epiſcopus, ità dicens:*

FAVOR Omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spititûs Sancti vobis adſit, ſempérque vobiſcum maneat. *Amen.*

¶ *Nec quiſquam admittetur ad Sacram Communionem, donec fuerit confirmatus, aut niſi ſit idoneus qui confirmetur, & confirmari cupiat.*

FORMULA

MATRIMONII CELEBRANDI.

¶ *PRimò Banna eorum, qui ſunt matrimonio copulandi, promulganda ſunt tribus diebus Dominicis aut feriatis ſucceſſivè, dum ſacra peraguntur, proximè antequàm prælegantur ſententiæ offertorii, miniſtro juxta conſuetum morem dicente:*

Ego promulgo banna matrimonii inter M. ex---& N. ex——Si cui veſtrûm innoteſcat cauſa, aut juſtum impedimentum, quò minùs iſti ſancto connubio conjungantur, in apertum proferto. Hæc prima [*ſecunda*, vel *tertia*] eſt Bannorum promulgatio.

¶ *Quòd*

¶ *Quòd ſi ii qui ſunt matrimonio copulandi vivant in diverſis Parochiis, in utraque Parochia Banna promulganda ſunt. Unius autem parochiæ miniſter eos matrimonio non copulabit, niſi certior factus ab alterius parochiæ miniſtro, exhibito ipſius chirographo, banna fuiſſe tribus vicibus promulgata.*

¶ *Tempore & die ad celebrandum matrimonium præſtitutis, copulandi unà cum amicis & vicinis ingrediuntur in Eccleſiam: Atque, ibi ſtantibus illis, viro à dexteris, muliere à ſiniſtris, Preſbyter dicet:*

DIlectiſſimi, hìc convenimus coram Deo, & in conſpectu Eccleſiæ ejus, ut hunc virum & hanc mulierem ſancto Matrimonio jungamus; quod quidem vitæ genus honeſtum eſt, & à Deo (dum homo adhùc perſiſteret innocuus) inſtitutum, myſticam illam Chriſti & Eccleſiæ unionem nobis exhibens: Quem quidem ſanctum vitæ ſtatum ornavit Chriſtus præſentiâ ſuâ, primóque illo miraculo quod edidit Canæ in Galilæa; & quem affirmat Divus Paulus honeſtum eſſe in omnibus; qua de cauſa nè quis ſuſcipito, aut aggreditor inconſultò, ex præcipiti, aut laſcivè ad carnis cupiditates, & affectus hominum explendos, (quod brutorum eſt rationis expertium) verùm reverentèr, conſultò, perpensè, ſobriè, & in metu Dei, cauſis de quibus conjugium inſtitutum eſt ritè perpenſis.

Quarum prima eſt, procreare liberos, tum in metu, tum diſciplina Domini, & ad ſancti nominis ejus gloriam educandos.

Deindè inſtitutum eſt, ut remedio ſit adversùs peccatum, & ſtuprum; ut, qui ſe non contineant, contracto matrimonio, ſe corporis Chriſti membra impolluta cuſtodiant.

Accedit deniquè illius inſtituendi ratio, utriuſque mutua ſocietas, auxilium, & conſolatio, in rebus tum ſecundis, tum adverſis: atque in hunc ſacrum conjugii ſtatum ut conſocientur, acceſſerunt huc iſti duo, quos coràm videtis. Si quiſquam igitùr juſtam cauſam afferre poterit, quò minùs legitimo jure conjungi queant, aut jam in apertum proferat, aut in futurum reticeat perpetuó.

¶ *Eos*

¶ *Eos etiam alloquens, qui ſunt matrimonio copulandi, dicet:*

DICO & edico vobis (proùt terribili illo judicii die, cùm animorum omnium reſerentur arcana, rationem eſtis reddituri) ut, ſi cui utriuſque veſtrûm innoteſcat impedimentum aliquod, quò minùs matrimonium contrahatis, id nunc in apertum proferat: Hoc enim pro certo habetote, quotquot alitèr conjunguntur, quàm Dei verbo conſentaneum ſit, nec à Deo illos conjungi, nec legitimas eſſe eorum nuptias.

¶ *Quo nuptiarum die ſi quis allegaverit ac denunciaverit aliquod impedimentum, quò minùs matrimonio copulentur juxta legem Dei aut ſtatuta hujúſce regni; & ſeipſum cum fidejuſſoribus idoneis obligari velit perſonis matrimonio copulandis, aut pignus cautionis deponat (quod par ſit ſumptibus, quos fecerint qui matrimonio copulandi ſunt, perſolvendis) ſi rem allegatam non probaverit. Tum oportet matrimonii celebrationem differre tantiſpèr dum conſtet de rei veritate.*

¶ *Si nullum impedimentum allegatum fuerit, tum Miniſter viro dicet:*

N. Víſne hanc mulierem tuam tibi adjungere uxorem; ut in ſancto conjugii ſtatu, juxta divinam inſtitutionem, cum illa vivas? Víſne eam amare, conſolari, honorare, tibíque curæ eſſe eam tam adversâ quàm proſperâ valetudine utentem; atque, aliis omnibus repudiatis, ei ſoli adhærere, quamdiù uterque veſtrûm vixerit?

¶ *Vir reſpondebit,*
Volo.

¶ *Tum dicet Preſbyter Mulieri,*

N. Víſne hunc virum tuum tibi maritum adjungere, ut in ſancto conjugii ſtatu, juxta divinam inſtitutionem, cum illo vivas? Víſne illi obedire, ſervire, amare, honorare, tibíque curæ eſſe illum tàm adversâ, quàm proſperâ valetudine utentem; atque, aliis omnibus repudiatis, ei ſoli adhærere, quamdiù uterque veſtrûm vixerit?

¶ *Mulier reſpondebit,*
Volo.

¶ *Tum Miniſter,*

Quis hanc mulierem huic viro nuptum dat?

¶ *Tum fidem ſuam mutuò ſibi obligabunt in hunc modum:*

¶ *Miniſter, acceptâ de parentis aut affinis alicujus manibus muliere, virum jubebit illius dexteram dexterâ ſuâ prenſare, & ſe verba præeuntem ità ſequi.*

EGO N. Te N. meam mihi legitimam uxorem adjungo, ut te ab hoc die & in futurum, ſeu pejorem ſive meliorem; ſeu ditiorem ſive pauperiorem habeam & teneam, tam adverſâ quàm proſperâ valetudine utentem; téque amem & foveam, (dum nos diſjunxerit mors) juxta ſanctam Dei inſtitutionem; atque ad hoc ratum faciendum meam tibi aſtringo fidem.

¶ *Tum ſejungent manus ſuas, ac mulier, dexterâ ſuâ dexterâ viri prehensâ, eodem modo miniſtrum verba præeuntem ſequetur.*

EGO N. Te N. meum mihi legitimum maritum adjungo, ut te ab hoc die & in futurum, ſeu pejorem ſive meliorem; ſeu ditiorem ſive pauperiorem, habeam & teneam, tam adverſâ quàm proſperâ valetudine utentem; téque amem, foveam, & obediam, (dum nos disjunxerit mors) juxta ſanctam Dei inſtitutionem; atque ad hoc ratum faciendum meam tibi aſtringo fidem.

¶ *Tum denuò manus ſejungent: Vir autem mulieri annulum dabit, illum ponens ſuper librum unà cum eo quicquid ſit quod preſbytero & clerico jure pendi debet. Preſbyter acceptum annulum viro tradet, ut aptet digito annulari manûs ſiniſtræ mulieris, atque vir, annulum ibi digitis tenens, miniſtrum verba præeuntem ſequetur, dicens:*

EGO te hoc annulo meam mihi uxorem adjungo, Te corpore meo honoro, & tecum bona omnia mea participo, in nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti. *Amen.*

¶ *Tum poſtquam reliquerit Annulum in digito annulari ſiniſtræ manûs mulieris, ambo genua flectent, & Miniſter dicet:*

OREMUS.

OREMUS.

SEmpiterne Deus, conditor, conſervatórque totius generis humani, omnis gratiæ ſpiritualis largitor, ſalutis æternæ auctor; favore proſequaris hos famulos tuos, hunc virum & hanc mulierem, quibus in tuo nomine benè precamur, ut, quemadmodùm Iſaac & Rebecca ſumma cum fide inter ſe vixerunt, ità hi duo votum à ſe nuncupatum certò perſolvant, & fœdus inter ſe initum (cujus annulus iſte datus & acceptus ſymbolum eſt & arrha) ſervent; útque ſummo inter ſe amore, pacíſque vinculo ſempèr conſtricti ſint, vitámque ad tuum præſcriptum exigant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter eorum dexteras junget, ac dicet:*

Quos Deus conjunxit, nè homo disjungat.

¶ *Poſtea Miniſter populum alloquetur.*

QUum *N.* & *N.* mutuo conſenſu Matrimonium ſanctum contraxerint, ídque coram Deo, & in conſpectu Eccleſiæ ejus conteſtati ſint; &, quo ratum habeatur, mutuam ſibi fidem aſtrinxerint; quod datóque & recepto annulo, manibúſque ſimùl junctis publicè agnoverint, ego eos maritum eſſe & uxorem inter ſe pronuncio, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. *Amen.*

¶ *Addet etiam Miniſter hanc fauſtam precationem.*

DEUS Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus felicitet vos, conſervet, & protegat: Dominus favore benignè reſpiciat vos, atque ità vos omni ſpirituali felicitate & gratiâ repleat; ut in hoc ſeculo ità vivatis, ut in futuro vitam ſempiternam conſequamini.

¶ *Tum Miniſter aut Clerici ad menſam Domini accedentes ſequentem Pſalmum dicent, aut cantabunt:*

PSALM. cxxviii.

BEati ſunt quicunque Dominum reverentes, vivunt ad ejus normam.

Tu enim labore manuum tuarum veſcêris: beatus es, & benè tibi erit.

Uxor tua ſimilis erit fœcundæ vitis: in lateribus domûs tuæ.

Liberi tui quaſi olivarum plantæ: circum tuam menſam.

Sic quidèm certè fortunabitur homo: Domini metuens.

Sic te fortunabit Sionius Dominus: ut Hieroſolymæ bonum videas per omnem vitam;

Videas & natorum tuorum natos: ſalvis Iſraëlitis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſempèr, & in perpetua ſecula. Amen.

Aut hunc Pſalmum.

PSALM. lxvii.

DEus, miſerere noſtrî, & nobis fave, tuóque nos illuſtrando vultu noſtrî miſerere.

Ut in terris tua ratio, ut apud omnes gentes tua ſalutaris cognoſcatur tutela.

Te populi, Deus, celebrent: te populi celebrent univerſi.

Gaudeant ovéntque nationes, tu enim populos ex æquo reges, & nationes moderabere per terras.

Te populi, Deus, celebrent: te populi celebrent univerſi.

Edet ſuum tum terra proventum: & Deus, nobis Deus favebit noſter.

Favebit nobis Deus, eúmque omnes terrarum tractus reverebuntur.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in Principio, & nunc, & ſempèr, & in perpetua ſecula. Amen.

¶ *Finito hoc Pſalmo, & in genua provolutis viro ac muliere ante menſam Domini, ad menſam ſtans Preſbyter, & ad eos converſus, dicet:*

Miſerere noſtrî, Domine.

RESPONSIO.

Miſerere noſtrî, Chriſte.

MINISTER.

Miſerere noſtrî, Domine.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

MINISTER.

Salvum fac, Domine, ſervum tuum, & ancillam tuam.

RESPONSIO.

Tibi confidentes.

MINISTER.

Mitte eis auxilium ex ſano tuo:

RESPONSIO.

Et iis ſempèr opitulare.

MINI-

MINISTER.

Eſto iis, Domine, turris valida;

RESPONSIO.

Adversùs faciem hoſtis.

MINISTER.

Exaudi, Domine, noſtras preces:

RESPONSIO.

Et ad Te perlata ſit querela noſtra.

DEus Abrahami, Deus Iſaaci, Deus Jacobi, his famulis tuis fave, & eorum animis inſere ſemen æternæ ſalutis, ut, quicquid in ſcripto tuo bonum ad inſtructionem didicerint, hoc ipſum verè exequantur. De cœlis, Domine, aſpice, & fave iis; & quemadmodùm Abrahamum & Saram (quod ſummo iis ſolatio fuit) favore tuo reſpexiſti, eo itidèm digneris proſequi hos famulos tuos, ut, tuæ voluntati obſequentes, & Te iis præſidio ſempèr tuti, ad extremam uſquè vitam in tuo amore permaneant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Sequens oratio omittetur, ubi mulier parere deſierit.*

CLemens Domine & Pater cœleſtis, cujus gratioſo munere humanum genus propagatur, hos duos felicita, quæſumus, favore tuo, ut liberis aucti ſint, & tamdiù pio inter ſe amore & honeſtate vitam agant, uſquè dum liberos ſuos viderint in Chriſtiana diſciplina & pietate educatos, ad laudem & gloriam tuam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

DEus, qui validis tuis opibus cuncta ex nihilo condidiſti, & cui etiam (cæteris ritè diſpoſitis) viſum fuit, ut ex viro ad Tui imaginem, Tuíque ſimilem facto, mulier conſtructa foret; atque eos conjungendo docuiſti non fas eſſe disjungere eos, qui Matrimonii jure in unam carnem coaluerint: Deus, qui in præclarum adeò myſterium conjugale vinculum conſecrâſti, ut eo ſymbolo exhibeatur ſpirituale conjugium & unio Chriſti cum Eccleſia ſua: his famulis tuis adeſto propitius, ut & hic vir juxta præſcriptum tuum eo amore uxorem proſequatur (quo Chriſtus Eccleſiam ſponſam ſuam, qui ſe pro ea dedidit, eam & amans & fovens, non ſecùs ac ſuam ipſius carnem) & hæc etiam mulier ſit viri amans, ut dignam ſe gerat ut ab eo ametur, ſítque ſuo marito fidelis & morigera, & in quietis, frugalitatis, & pacis

cis ſtudio, ſanctas piáſque matronas imitetur. Felicita utroſque, Domine, & da eos regnum tuum ſempiternum poſſidere, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Tum dicet Preſbyter:

OMnipotens Deus, qui in principio primos parentes noſtros, Adamum & Evam creavit, & cùm eos ſanctificâſſet, conjugii vinculo copulavit, divinam ſuam beneficentiam in vos effundat, vos reddat ſanctos, felicitétque vos, ut illi tum corpore tum animo placeatis, & ad extremam vitam ametis vos inter vos. *Amen.*

¶ *Poſteà, ſi non habeatur concio, in qua mutua viri ac uxoris officia declarentur, miniſter ea leget, quæ ſequuntur.*

VOS quotquot aut jam matrimonio conjuncti eſtis aut quibus ſanctum Matrimonium contrahere propoſitum eſt, audite quid in S. literis habetur de mutuis virorum erga uxores, & uxorum erga viros officiis.

Divus Paulus in ejus ad Epheſios epiſtola, cap. v. in hunc modum præcipit viris omnibus: Vos viri, amate veſtras uxores, ut Chriſtus amavit Eccleſiam, ſéque pro ea dedidit, quò eam ſanctam redderet, aquæ lotione purgatam, divinis verbis: ut eam ſibi præſtaret glorioſam Eccleſiam, nullâ maculâ, aut rugâ, aut ullâ tali re præditam, ſed quæ ſancta, inculpatáque foret. Sic debent amare viri ſuas uxores, ut ſua ipſorum corpora. Qui ſuam uxorem amat, ſeipſum amat. Nam nemo unquàm ſuum corpus odit, ſed id alit, fovétque, ut Chriſtus Eccleſiam: cujus Chriſti corporis membra ſumus nos, ex ejus carne, atque oſſibus. Proptereà homo, relicto patre & matre, adhærebit uxori ſuæ, fiétque ex duobus una caro. Myſterium hoc magnum eſt: ego de Chriſto & Eccleſia dico. Quanquàm veſtrûm quoque ſingulatim ſuam quiſque uxorem ſic amato, ut ſeipſum. *Epheſ.* v. 25.

In eundem planè modum idem Divus Paulus, ad Coloſſenſes ſcribens, conjugatos omnes ſic alloquitur: Viri, amate uxores veſtras, néve in eas ſævite. *Coloſſ.* iii. 19.

Attendite etiàm, quid maritis præcipit Divus Petrus Chriſti Apoſtolus, qui & ipſe ſibi uxorem adjunxerat: viri itidem habitate ſcientèr cum uxoribus, mulieri va-

ſi ut infirmiori, tribuentes honorem, ut multiplicis beneficii & vitæ coheredes, nè veſtræ preces impediantur. 1 D. *Pet.* iii. 7.

Huc uſquè audiviſtis officium viri erga uxorem; nunc autem & vos, uxores attendite, & diſcite officium veſtrum erga viros, proùt liquidò in S. literis habetur.

Divus Paulus in citata modò epiſtola ad Epheſios hæc vobis præcipit; Vos, uxores, veſtris parete viris, ut Domino: Nam vir caput uxoris eſt, ut Chriſtus Eccleſiæ caput, idémque corporis ſervator eſt. Ac quemadmodùm Eccleſia Chriſto paret, ſic uxores ſuis viris parere debent in omnibus: & iterùm dicit, Uxor autem virum revereatur. *Epheſ.* v. 22.

Et in epiſtola ad Coloſſenſes paucis vos ſic hortatur D. Paulus; Uxores, parete veſtris viris, ut dominicis dignum eſt. *Coloſſ.* iii. 18.

Divus etiàm Petrus vos rectè admodùm inſtituit, dicens, ſimilitèr uxores veſtris parete viris, ut, quibus verbo non perſuadetur, ii per uxorum mores abſque verbo lucrifiant, veſtrorum morum caſtitatem cum religione conjunctam contemplati. Eſto autem veſter ornatus non exterior ille, in capillorum cincinnis, & auri circumpoſitu, aut palliorum amictu poſitus: ſed mentis occultus homo, cum mitis & quieti animi ſinceritate, quæ res magni eſt in conſpectu Dei precii. Sic enim olim ſanctæ illæ fœminæ, in Deo ſpem habentes, ſeſe comebant, obedientes ſuis viris, ut Sara obedivit Abrahamo, dominum eum appellans: cujus factæ eſtis filiæ, dum benefacitis & nullo pavore terremini. 1 D. *Pet.* iii. 1.

¶ *Expedit, ut recèns conjugati ſacram Communionem participent, quum matrimonio copulantur; aut oblatâ primâ occaſione poſt nuptiarum ſolemnia.*

ORDO

ORDO VISITANDI INFIRMOS.

¶ *Cùm quis infirmus fuerit, id ſignificabitur parocho, qui ingrediens domum infirmi dicet:*

SAlveat hæc domus, & ſinguli eam incolentes.

¶ *Accedens ad infirmum dicet, flexis genibus:*

DElicta noſtra, & majorum noſtrorum delicta noli, Domine, meminiſſe. Ignoſce nobis, Domine, ignoſce populo tuo, quem pretioſiſſimo tuo Sanguine redemiſti, & in æternum nobis ſuccenſere noli.

RESPONSIO.

Ignoſce nobis, Domine.

¶ *Tum Miniſter dicet,*

OREMUS.

Miſerere noſtrî, Domine.
Miſerere noſtrî, Chriſte.
Miſerere noſtrî, Domine.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris. Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

MINISTER.

Serva, Domine, *famulum tuum.*

RESPONSIO.

Qui ſibi collocat in Te præſidium.

MINISTER.

Mitte ei auxilium ex ſano tuo.

RESPONSIO.

Et potentèr ei ſempèr opitulare.

MINISTER.

Ne *eum* inimicus circumveniat.

RESPONSIO.

Nec iniquitatis filius adeò appropinquet, ut ei noceat.

MINISTER.

Eſto ei, Domine, valida turris,

RESPONSIO.

Adversùs faciem hoſtis.

MINISTER.

Exaudi, Domine, noſtras preces.

RESPONSIO.

Et ad Te perlata ſit querela noſtra.

MI-

MINISTER.

ASpice, Domine, de cœlis, reſpice, cura, & ſuccurre ei, *qui tuus* eſt. Illuſtra *eum* oculis clementiæ tuæ, ſuſtentet *eum* conſolatio tua, & da ut ſibi in Te præſidium collocet; contra hoſtis inſidias *eum* protege, & pace ſemper & ſecuritate *eum* dona, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

EXaudi nos, Omnipotens & Clementiſſime Deus, & Conſervator; utere, ut ſoles, tuâ clementiâ erga *hunc famulum tuum, qui* morbo jam laborat. Paterna hæc tua in *eum* animadverſio *ſanctum* reddat, ut corporis debilitatem animo percipiens fidem habeat firmiorem, & ſeriò ad frugem redeat. Quòd ſi Tibi placitum fuerit *eum* ex morbo revaleſcere, fac ut reliquam vitam religiosè agat, & ad gloriam tuam; vel *eum* gratiâ impertire, per quam caſtigationem tuam ita perferat, ut, exacto demum hujus vitæ ærumnoſæ curriculo, tecum vitâ ſempiternâ fruatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Miniſter infirmum hortabitur in hunc modum, aut alium ſimilem:*

HOC ſcias, chariſſime, omnipotentem Deum eſſe Dominum vitæ, necíſque, eorúmque omnium, quæ eò ſpectant; nimirùm, juventutis, roboris, ſanitatis, ſenectutis, debilitatis, malæque valetudinis. Quarè tibi maximè perſuaſum ſit, quocunque morbo labores, in te à Deo jam animadverti: Et quacunque tandem de cauſa hæc tibi contingat infirmitas, ſeu ad probandam patientiam tuam, ut de te alii exemplum capiant, útque fides tua in die Domini tibi in laudem, gloriam, & honorem cedat, undè gloriâ & felicitate tumuleris ſempiternâ, ſeu tibi inflicta ſit, ad corrigendum & emendandum in te neſcio quod Pater cœleſtis videns improbat. Noveris certo, quòd ſi veram peccatorum pœnitentiam agas, & æquo animo feras hunc morbum, divinâ *fretus* clementiâ, propter Jeſum Chriſtum chariſſimum Filium ſuum, ipſíque, qui jam, utì Pater, te caſtigat, gratias agas humiles, & te ſubjicias prorsùs illius voluntati, in tuam cedet utilitatem, téque in via recta promovebit, quæ ad vitam ducit ſempiternam.

¶ *Si*

¶ *Si infirmus, qui viſitatur, vehementèr laboret, tum Miniſter hìc exhortandi finem facere poterit, aut pergat.*

QUARE Domini caſtigationem æqui boníque facias; quippè (ut Divus Paulus habet in epiſtola ad Hebræos capite duodecimo) quem amat Deus, caſtigat, & verberat quemcunque filium acceptum habet. Si caſtigationem ſuſtinetis, ut filiis vobis utitur Deus. Quis eſt enim filius, quem non caſtigat pater? Quòd ſi caſtigationis expertes eſtis, cujus participes fuerunt omnes, ergò ſpurii eſtis, non veri liberi. Deindè autem, quum patres noſtrorum corporum haberemus caſtigatores, reverebamur; non multò magìs parebimus ſpirituum Patri, ut vivamus? Nam illi ad tempus exiguum, proùt eis videbatur, nos caſtigabant; hic verò ad utilitatem, quòd ejus ſanctitatem participemus. Hæc verba, *dilecte frater*, ad conſolationem & doctrinam utilia, in S. literis habentur, ut æquo animo, & cum gratiarum actione, Patris noſtri cœleſtis caſtigationem feramus, quotieſcunque, pro ſingulari ſua clementia, ei viſum fuerit quibuſcunque rebus adverſis in nos animadvertere. Nequè etiàm Chriſtianis hominibus quicquam eſſe acceptius deberet, quàm eos ſimiles Chriſto eſſe in adverſis, ærumnis, morbíſque æquo animo perferendis. Quemadmodùm igitùr Chriſtus ipſe, non antè in voluptatem ingrederetur quàm paſſus eſſet; nec, niſi crucifixus, gloriam acciperet: Ità profectò cum Chriſto hìc pati via eſt ad æternam voluptatem; & alacriter mori cum Chriſto ad vitam ducit ſempiternam; ut, à morte reſurgentes, cum eo vitâ æternâ perfruamur. Æquo igitùr animo hanc tuam valetudinem feras, quæ in tantam utilitatem tibi cedet; téque adhortor, in nomine Domini, ut memineris, quæ Deo in baptiſmo tuo *profeſſus* fueris. Cùm autem, exacto demum hujus vitæ curriculo, reddenda ſit ratio juſto Judici, qui ex cujuſque facto omnes judicabit; exhortor te, ut teipſum tuáque omnia probes, nempe quomodò Deo & omnibus tecum convenit: ut, dum teipſum accuſas & judicas propter delicta tua, peccatorum veniam conſequaris apud Patrem noſtrum cœleſtem propter Chriſtum; & non accuſeris & damneris in tremendo illo judicio.

Reci-

Recitabo igitùr articulos fidei, ut nôris utrum verè credas illa, quæ Chriſtianum credere oportet.

¶ *Hìc Miniſter articulos fidei recitabit in hunc modum:*

CRedíſne in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cœli & terræ?

Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unigenam, Dominum noſtrum? Hunc etiam conceptum eſſe de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum in ſepultum; deſcendiſſe ad inferos, tertio die reſurrexiſſe à mortuis; aſcendiſſe ad Cœlos, ſedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; & indè venturum eſſe mundi fine judicare vivos & mortuos?

Túne etiàm credis in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remiſſionem Peccatorum, Carnis Reſurrectionem, & poſt mortem Vitam æternam?

¶ *Infirmus reſpondebit,*

His omnibus firmam fidem adhibeo.

¶ *Tum Miniſter quæret, num ipſe ab omnibus ſuis peccatis ex animo deſciſcat, & omnes homines Chriſtianâ charitate complectatur; exhortans illum, ut, à quibuſcunque injuriâ affectus fuerit, iis omnibus ignoſcat ex animo. Et ſi aliquot ipſe offenderit, roget ut ignoſcatur ſibi. Si quos autem injuriâ, aut contumeliâ affecerit, pro viribus ſatiſfaciat. Et ſi nondum teſtamentum ſcripſerit, moneatur, ut teſtamento rebus ſuis conſulat, ac declaret quantum habeat æris alieni, quantúmque ipſi ſit in tabulis & nominibus, ut eo pacto ſcilicèt propriæ ipſius conſcientiæ & quieti curatorum teſtamenti meliùs proſpiciatur. Verùm operæ pretium foret mortales omnes ſæpè admonere, ut, dum proſperâ fruuntur valetudine, rebus ſuis teſtamento caveant.*

¶ *Superiora verba à Miniſtro haberi poſſunt ante ſupplicationem, proùt ipſi viſum fuerit.*

¶ *Videat Miniſter, nè omittat divites ſeriò exhortari, ut liberales ſint erga pauperes.*

¶ *Hìc monebitur infirmus, ut peccata ſua privatìm confiteatur, ſi in re ulla magni*

ni momenti gravatam conſcientiam ſentiat. Quâ finitâ confeſſione, Preſbyter (ſi id infirmus ſupplicitèr atque ex animo petierit) eum abſolvet in hunc modum:

DOminus noſter Jeſus Chriſtus, qui legavit Eccleſiæ ſuæ poteſtatem abſolvendi omnes peccatores, qui veram agunt pœnitentiam, & in eum credunt, ipſe pro ſingulari ſua clementia peccata tua tibi remittat. Ego autem, auctoritate ejus mihi delegatâ, abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter dicet ſequentem Collectam:*

OREMUS.

CLementiſſime Deus, qui pro ſingulari tua clementia ità deles peccata eorum, qui ex animo ad frugem redeant, ut Tu jam eorum non memineris; reſpice *hunc famulum tuum* oculis tuæ miſericordiæ, *qui* gratiam & veniam peccatorum quàm maximè abs Te poſtulat. Renova, Pater amantiſſime, quicquid in *eo* vel fraude & malitiâ Diaboli, vel ſuâ ipſius carnis affectione, vel humanâ imbecillitate corruptum eſt. *Hunc* morbo laborantem conſerva & cuſtodi, ut in unitate Eccleſiæ membrum permaneat; afflictam illius mentem reſpice, lacrymas illius gratas habe, illius dolorem mitiga, proùt tibi maximè illi expedire viſum fuerit. Et, quia tuâ ſolùm *fretus* eſt clementiâ, noli in *eum* animadvertere præterita commiſſa; ſed *illum* Spiritu Beato tuo confirma. Cùm autem tibi placitum fuerit hinc *illum* diſcedere, cum *illo* in gratiam redi, propter merita chariſſimi Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

¶ *Tum Miniſter hunc Pſalmum recitabit.*

PSALM. lxxi.

TIBI, Domine, confiſus ſum, ne fruſtrer unquàm: Pro tua juſtitia defende & libera me: Præbe mihi aurem ſic ut me conſerves.

Eſto mihi pro firma rupe, in quam me ſemper recipiam: Tu me mandaviſti conſervandum, mihi enim rupis & arcis es loco.

Mi Deus, libera me ab impiorum manu, ab iniquorum atque ſævorum manu.

Nam tu mea ſpes es, Domine Deus, mea jam à teneris fiducia.

Te nixus ſum jam ab utero:

tero: Tu me ex meæ parentis ventre extraxiſti: in te mea perpetuatur laudatio.

Equidèm multis ſum quaſi portentum quoddam: ſed tu mihi firma fidentia es.

Tuis plenum laudibus os habeam: ut gloriam tuam & honorem continentèr prædicando celebrem.

Nè me rejice tempore ſenectutis: nè me viribus effœtum deſere.

Etenim contra me deliberant hoſtes mei, quíque meam vitam captant, unà conſilium capiunt, dicentes: Deus eum deſeruit, perſequendus eſt, & capiendus, quippè quem nullus defendit.

Deus, noli à me abeſſe; mi Deus, ad mihi ſuccurrendum feſtina.

Pudore conficiantur meæ vitæ adverſarii; infamiâ & turpitudine cooperiantur, qui meo malo ſtudent.

Ego verò, ſpem perpetuò fovens, ad tuas tot laudes addam.

Ore tuam aſſiduè juſtitiam, & victorias exponam, quarum ignoro numerum.

Incedam Domini Jovæ viribus fretus: tuam ſolius juſtitiam commemorans.

Deus tu me à pueris docuiſti, tua igitùr tot miracula prædicabo.

Ne ad ſenectam quidèm & canos, Deus, me deſere, dum tuum brachium huic ætati, dum tuam futuris omnibus prædico virtutem:

Et arduam, ô Deus, juſtitiam, qui Deus tam magna facis, ut ſis incomparabilis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſempèr, & in perpetua ſecula. Amen.

¶ *His additis.*

SErvator mundi, qui, per crucem & ſanguinem tuum in precio habendum, redemiſti nos, ſis, quæſumus ſupplices, Domine, nobis ſaluti & auxilio.

¶ *Deinde dicet Miniſter:*

OMnipotens Deus omnibus ei confidentibus turris firmiſſima, cui omne ſe genu flectit, cœleſtium & terreſtrium, & ſubterraneorum, & nunc & in perpetua ſecula tibi ſit munimento; & faxit cognoſcas, & certior factus ſis, nullum aliud eſſe nomen ſub cœlo apud homines datum, in quo, & per quod à morbo tibi confirmetur valetudo, & ſervandus ſis, niſi nomen unum Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

¶ *Et poſtea dicet,*

SIngulari Dei clementiæ, & præſidio te committimus; felicitet te Dominus, conſervétque: illuſtret te Dominus vultu ſuo, tuíque miſereatur: conjiciat in te Dominus vultum ſuum, tibíque pacem det, & nunc & in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Oratio pro Infante morbo laborante.*

OMnipotens Deus & clemens Pater, qui ſolus vitæ necíſque poteſtatem habes; infantem *hunc* quæſumus, in lecto ægrotantem oculis clementiæ tuæ de cœlo reſpice; affice *eum*, Domine, ſalute tuâ; tuóque tempore ſtatuto, quibus corpus premitur doloribus ex iis eripe, & pro ſingulari tua clementia animam ejus vindicato: Ut, ſi temporis vivendi ſpatium longius ei in terra concedere tibi viſum fuerit, tibi vivat, & fidelem tuo cultui, boníſque operibus in ſuo genere navans operam, tuæ gloriæ ſubſervire poſſit: Sin minùs, *eum* in æterna illa domicilia admitte, ubi animæ in Domino Jeſu obdormientium æternâ quiete & gaudio perfunduntur. His annue, Domine, pro clementia tua in eodem Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat, unà Tecum & cum Spiritu Sancto, unus Deus, in diem ſempiternum. *Amen.*

¶ *Oratio pro infirmis, dicenda cùm vix ulla ſpes reliqua fuerit futuræ convaleſcentiæ.*

O Pater miſericordiarum, & omnis conſolationis Deus, qui ſolus nos in calamitate conſolaris; ad Te perfugimus ad auxilium implorandum huic *tuo famulo, qui* tuâ manu *petitus* tenuiſſimâ utitur valetudine: Conjice in *eum*, Domine, vultum benignum tuum, & quantò magis exterior homo corrumpitur, tantò magis da ei continuè corroborari per gratiam tuam, & Spiritum Sanctum, in interiorem hominem. Et da, ut præteritorum omnium peccatorum *eum* ſeriò pœniteat, firmámque fidem Filio tuo Jeſu habeat, quò pro ſingulari clementia tua illius peccata deleantur, & ſigillo cœleſti obſignetur venia, priuſquàm eò deveniat, ut nullus ſit. Nobis, Domine, perſuaſum eſt, adeò nullam rem eſſe, quam tu facere non poſſis, ut, ſi ita tibi viſum fuerit, etiamnùm *eum* in integrum reſtituere:

tuere poſſis, temporíſque vivendi ſpatium longius concedere. Cùm autem, quantùm quidem conjicere liceat, jam tempus inſtat, cùm nullus ſit, eum ità idoneum, & paratum præſta, quæſumus, in horam mortis, ut poſtquàm in pace tua & favore migraverit, anima illius in cœleſte regnum tuum admittatur, per merita & mediationem Jeſu Chriſti Filii tui, unici Domini & Servatoris noſtri. *Amen.*

¶ *Commendatoria precatio pro Infirmo ſub horam deceſſûs ex hac vita.*

OMnipotens Deus, apud quem ſpiritus juſtorum perfectorum, exuto carcere terreno, vivunt; hujuſce *famuli tui fratris noſtri chariſſimi* animam humilitèr tibi in manus commendamus tanquàm in manus fidelis Creatoris & Servatoris clementiſſimi, ſumma cum animi demiſſione ſupplicantes, ut in oculis tuis habeatur in pretio. Perlue eam, quæſumus, ſanguine illius agni impolluti, qui ideò mactatus eſt, ut mundi peccata tollat; quo, purgatis detractíſque ſordibus quibuſcunque in hoc mundo miſero & nequam ſe polluit, per carnis cupiditates, vel inſidias Diaboli, tibi integra, vitióque carens exhibeatur. Nos autem ſuperſtites, hoc aliiſque id genus mortalitatis noſtræ ſpectaculis, quæ nobis ob oculos indiès occurrunt, edoce, in quàm fragili & incerto verſamur ſtatu; & ætatem metiri noſtram ſic oſtende, ut, dum mortales agimus, ſeriò requiramus ſanctam & cœleſtem illam ſapientiam, quæ nos tandèm ducat ad vitam æternam, propter merita Jeſu Chriſti Filii tui unici, Domini noſtri. *Amen.*

¶ *Oratio pro mente afflictis, aut iis qui conſcientiæ ſtimulis exagitantur.*

DEus celebrande, miſericordiarum Pater, & omnis conſolationis Deus, *hunc famulum tuum afflictum* benigno vultu tuo, quæſumus, clementèr aſpice. Adversùs *eum* acerba perſcribis, & præterita vitia in crimen vocas; tu iracundè urges *eum,* & animo ſuo valdè perturbatur. Verùm, Deus miſericors, qui ſacroſanctum verbum tuum ad noſtram doctrinam ſcripſiſti, ut, per patientiam & ſcripturarum conſolationem, ſpem habeamus; da, ut *ſeipſum* penitùs cognoſcat, miníſque tuis & promiſſionibus probè

 captis,

captis, nè ſuam projiciat confidentiam in Te, nec apud alium quenquam, niſi Te, collocet: ſuppedita illi vires ad tentationum omnium impetus ſuſtinendos, omnéſque illius animi æſtus demulce. Noli quaſſatam arundinem perfringere, & linum fumigans extinguere; miſericordiam tuam præ iracundia cohibere noli, ſed nuncia ei lætitiam & voluptatem, ut exultent contuſa à te membra. *Eum* à metu inimici defende, tuóque *eum* illuſtra vultu, & pace *eum* dona, per merita & ſupplicationem Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

COMMUNIO INFIRMORUM.

¶ *CUM omnes mortales improviſis multis periculis, morbis & infirmitatibus obnoxii ſint, & ſempèr incerti quandò ipſis ex hac vita migrandum fuerit; ideò, ut ſempèr ſint ad mortem parati, quandocunquè omnipotenti Deo viſum fuerite os vocare, Parochi ſuos ſubinde (maximè verò graſſante peſtilentiâ aut aliâ lue contagioſâ) Parochianos ſedulò monebunt, ut ſacram corporis & ſanguinis Chriſti Servatoris noſtrì Communionem frequentèr participent, quandò ſcilicèt publicè adminiſtrabitur in Eccleſià. Sic enim fiet, ut, ſi quandò fuerint ſubitaneo morbo correpti, minùs ſint ſoliciti, ſi tunc eâ caruerint. Verùm ſi infirmus non poſſit in Eccleſiam ſe conferre, & intereà cupiat ſacræ Communionis particeps fieri in privatis ædibus; tum id opportunè Parocho ſignificabit, ut & numerum eorum, qui ſunt ſacram Communionem cum ipſo participaturi, (erunt autem numero tres aut ſaltèm duo) nactúſque locum idoneum in domo infirmi, cum omnibus neceſſariis ita paratis, ut Parochus ritè, & eâ, quâ par eſt, reverentiâ, mini-*

miniſtrare queat, ibidèm ſacram Communionem celebrabit, facto initio à collecta, epiſtola, & evangelio ſequentibus.

COLLECTA.

OMnipotens ſempiterne Deus, humani generis Conditor, qui caſtigas quos amas, & quemcunque acceptum habes, verberas; tuâ, quæſumus, miſericordiâ utere in *hunc famulum tuum*, in *quem* jam animadvertis; & da, ut infirmitatem ſuam patientèr ferat, & ex ea (ſi ita tibi viſum fuerit) revaleſcat; & cùm illius anima ex corpore migraverit, exhibeatur tibi immaculata, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola Heb. xii. 5.

FIli mi, nè contemne Domini caſtigationem, néve deſponde, eo te corrigente: Quem enim amat Deus, caſtigat; & verberat quemcunque filium acceptum habet.

Evangelium D. Joh. v. 24.

ILlud etiam atque etiam certò ſcitote: qui ſermonem meum audit, & ei credit, qui me miſit, is vitam habet æternam; nec in judicium venturus eſt, ſed ex morte migravit in vitam.

¶ *Quibus peractis, Preſbyter perget juxta formulam jam præſcriptam pro ſacra Communione, initio facto ab his verbis* [Vos qui verè & ſeriò deſciſcitis, *&c.*]

¶ *Quum ventum fuerit ad diſtributionem ſancti ſacramenti, Preſbyter primò ſacram Communionem ipſe accipiet; deindè iis, qui eam cum infirmo participaturì ſunt, poſtremò infirmo ipſi, adminiſtrabit.*

¶ *Siquis verò ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti non participat, ſive id contingat propter morbi vehementiam, ſive quòd id tempeſtivè Parocho non ſignificaverit; aut quòd defuerint, qui cum eo ſacram Communionem participarent, aut propter aliud quodpiam legitimum impedimentum, Parochus hoc ipſum edocebit, nempè quòd, ſi eum peccatorum ſuorum verè pœniteat, & firmiter credat, quòd Jeſus Chriſtus pro eo mortem in cruce pertulerit, & propter ipſius liberationem ſanguinem ſuum effuderit, beneficia quæ exindè acceperit gratâ memoriâ recolens, & pro iis gratias*

gratias agens ex animo, tum corpus & ſanguinem Chriſti Servatoris noſtri manducat & bibit, quantum attinet ad ſalutem animæ, etiamſi ore ſacramentum non participet.

¶ *Cùm infirmus ſimùl viſitatur & ſacram Communionem participat, Preſbyter, quo citiùs abſolvat, cùm ventum fuerit ad Pſalmum* [Tibi, Domine, confidò] *in formula pro viſitatione infirmorum ibi finem faciet, & ſtatim tranſibit ad ſacram Communionem.*

¶ *Peſtilentiâ, ſudore, aut aliis ejuſmodi morbis contagioſis graſſantibus, adeò ut nullus Parochianorum reperiatur, qui cum infirmis ſacram Communionem participet, in eorum privatis ædibus, propter metum contagionis, ſi id expreſsè & enixè flagitaverit infirmus, Miniſtro licebit cum eo ſolo eam participare.*

ORDO
PRO
SEPULTURA MORTUORUM.

¶ *Hìc notandum eſt, quòd ſequens officium non eſt uſurpandum pro iis, qui mortui fuerint baptiſmo non initiati, aut excommunicati, aut qui mortem ſibi ipſis intulerint.*

¶ *Preſbyter & clerici obviàm euntes feretro ad ingreſſum cœmeterii, ac præeuntes ſeu in Eccleſiam, ſeu ad ſepulchrum, dicent aut cantabunt,*

EGO ſum reſurrectio & vita, inquit Dominus; qui in me credit, etiamſi mortuus fuerit, reviviſcet; &, quiſquis vivit, & in me credit, nunquàm moriturus eſt. D. *Johan.* xi. 25, 26.

Equidem ſcio Redemptorem meum vivere, & poſtremò in terram ſurrecturum eſſe: Adeò ut, quamvìs, meâ pelle corroſâ, corpus hoc

hoc confoderint vermes, in mea tamen carne viſurus ſim Deum, quem quidem ego ipſe videbo, & meis ipſius, non alterius oculis contemplabor. *Job.* xix. 25, 26, 27.

Nihil in mundum attulimus, profectò nihil auferre poſſumus. Dominus dederat, Dominus idem abſtulit: Domini nomini grates agantur. 1 *Tim.* vi. 7. *Job.* i. 21.

¶ *Poſtquàm ingreſſi fuerint Eccleſiam, alter horum ſequentium Pſalmorum aut etiam uterque prælegetur.*

PSALM. xxxix.

STatueram eam vitæ viam tenere, ut ne quid linguâ peccarem:

Meúmque os frænare, quamdiù mihi obverſarentur impii.

Obmutui ſilentio: à bonis etiam dicendis ità abſtinui, ut etiam meus dolor crudeſceret.

Adeò mihi cor in pectore incaluit, ut cogitationis igne ardeſcens ità demùm linguâ loquerer meâ:

Oſtende mihi, Domine, meum exitum, & quis ætatis meæ ſit modus, ut ſciam quàm ſim longævus.

En tu mihi ætatem conceſſiſti dodrantalem, meúmque ævum fere nihil eſt apud te: adeò omninò nihil eſt omnis hominis natura.

Adeò imaginariam vitam ducit homo: adeò temere tumultuatur, congerens quæ quis ſit percepturus ignorat.

Et nunc quid ſperem, Domine, niſi ut in te ſitam ſpem habeam?

Ex omnibus meis delictis libera me: Nè me inſanorum ludibriis expone.

Obmuteſcebam, nè muttiens quidem, Te negotium tranſigente.

Aufer à me tuum vulnus: tuæ manûs ſævitiâ deficio:

Qui, cùm de homine vitii ſumis ſupplicium, ejus elegantiam tineæ more ſideras, adeò nihili eſt omnis homo.

Exaudi meas preces, Domine, meam attendens querelam: Ad meas lacrymas ne obſurdeſce, qui peregrinus apud te ſum, advena, ſicut omnes mei majores.

Relaxa me, ut me colligam, priuſquàm eò devenio, ut nullus ſim.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſempèr, & in perpetua ſecula. Amen.

PSALM.

PSALM. XC.

DOmine, tu nobis receptaculum es perpetuis ſeculis.

Tu, qui ante natos montes, ante formatam terram atque orbem, ab æterno in æternum Deus es.

Redigis homines in pulverem, & humanum genus redire jubes.

Nam apud te mille anni habentur pro heſterno die præterito; próque nocturnis excubiis.

Spargis eos, ſomnium ſunt, ut manè gramen adoleſcit.

Manè florens adoleſcit, & veſperè reciſum areſcit:

Nam irâ tuâ conſumimur, tuâ perturbati ſævitiâ.

Tu vitia noſtra in tuo conſpectu, abdita noſtra in tui vultûs lumine collocâſti.

Etenim tota ætas noſtra irato Te cedit: Finimus annos noſtros dicto citiús.

Ætatis noſtræ ſpatium ſeptuaginta terminatur annis: Aut (ut ſit bona valetudo) octoginta: Quorum tamen potiſſima pars labores ſunt, & incommoda: Tam celeri ſectione avolamus.

Quòd ſi quis iræ tuæ vim nôrit, ſævitia tua eſt proùt tui reverentia eſt.

Ætatem metiri noſtram ſic oſtende, ut mentem acquiramus ſapientem.

Reconciliare, Domine, quid differs? & placare tuis.

Satiato nos manè tuâ clementiâ, & ovantes gaudebimus per omnem ætatem noſtram.

Exhilara nos pro tempore, quo nos affligis: Pro annis, quibus malum patimur.

Exhibeatur tuis opus, decúſque tuum apud eorum natos.

Dominíque Dei noſtri voluptatem conſequamur, & opus noſtrarum manuum nobis perage, opus, inquam, noſtrarum manuum perage.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſempèr, & in perpetua ſecula. Amen.

¶ *Tum ſequetur lectio deſumpta ex Epiſtola D. Pauli ad Corinthios priore, capite decimo quinto.*

CHriſtus ex mortuis ſurrexit: Fuit eorum qui obdormivere primitiæ. Cùm ſit enim per hominem mors, etiam per hominem eſt mortuorum reſurrectio. Ut enim per Adamum omnes moriuntur, ſic per Chriſtum omnes reviviſcent, ſed ſuo quiſque in ordine: Primitiæ

tiæ Chriſtus, deinde Chriſtiani in ejus adventu. Deindè finis erit, cùm regnum tradiderit Deo & Patri, cùm quidem omnem principatum, omnem potentatum ac poteſtatem aboleverit. Oportet enim eum regnare, donec ille omnes hoſtes ſub ejus pedes ſubjecerit: ultimus hoſtis delebitur mors. Omnia enim ille ſub ejus pedes ſubjecerit. Quòd autem omnia ſubjicienda dicit, id ſic accipiendum eſt, ut excipiatur is, qui ei ſubjecerit omnia. Cùm autem ei ſubjecta fuerint omnia, tunc ipſe quoque Filius ſubjicietur ei, qui ipſi ſubjecerit omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient qui pro mortuis baptizantur, ſi omnino mortui non reſurgent? quorſum pro mortuis baptizantur? quorſum & nos omnibus horis periclitamur? Quotidie morior, gloriationem noſtram juro, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Si humano more Epheſi cum beſtiis pugnavi, quæ mihi indè utilitas, ſi mortui non reſurgunt? Comedamus & bibamus: Cras enim morituri ſumus. Nolite falli. Mores bonos colloquia corrumpunt mala. Eſte ſobrii, ut æquum eſt, & nè peccate. Ignorant enim nonnulli Deum: Quod ideò dico, ut vos pudeat. Sed dicet quis: Quomodò reſurgent mortui, aut quali corpore venient? O demens! Tu quod ſeris, id non viviſcit, quin mortuum ſit; & quod ſeris, non gignendum corpus ſeris, ſed nudum granum, verbi gratiâ, frumenti, aut cujuſpiam alterius rei. Deus verò corpus ei dat, ut libuit, & ſuum cuique ſeminum corpus. Non omnis caro eadem caro eſt: Sed alia eſt hominum caro, alia pecudum, alia piſcium, alia volucrum. Item corpora ſunt cœleſtia alia, alia terreſtria: Sed alius eſt cœleſtium ſplendor, alius terreſtrium: Alius ſolis, alius lunæ ſplendor eſt, alius item ſtellarum: Nam ſtella alia aliam ſplendore antecellit. Talis eſt etiam mortuorum reſurrectio. Seritur cum mortalitate, reſurgetur cum immortalitate: Seritur cum probro, reſurgetur cum gloriâ: Seritur cum infirmitate, reſurgetur cum potentia: Seritur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale. Eſt corpus aliud animale, aliud ſpirituale. Cúmque ità ſcriptum ſit: Factum eſſe primum hominem Adamum animantem vivum, ultimus Adamus ſpiritus eſt vivificus. Sed non primum eſt ſpirituale, ſed animale, deindè ſpirituale.

rituale. Primus homo ex terra, terrenus: Secundus homo de cœlo, cœleſtis. Qualis terrenus, tales enim terreni: Et qualis cœleſtis, tales etiam cœleſtes. Ac quemadmodùm tulimus imaginem terreni, feremus etiam cœleſtis imaginem. Hoc autem ideò dico, fratres, quòd caro & ſanguis divinum regnum conſequi nequeunt, neque mortalitas immortalitatem conſequetur. Equidèm arcanum quiddam vobis dico: Omnes quidem non obdormiemus, ſed omnes mutabimur, uno temporis puncto, oculíque momento, ad ultimum clangorem: Clangetur enim, & mortui reſurgent incorruptibiles, & nos mutabimur. Oportet enim hoc corruptible incorruptibili naturâ, & hoc mortale immortalitate indui. Cùm autem hoc corruptible incorruptam naturam, & hoc mortale immortalitatem induerit, tunc accidet id, quod illo ſcripto dicitur: Abſorpta mors eſt victorioſé. Ubi eſt tuus, ô mors, ſtimulus? Ubi tua, ô orce, victoria? Eſt autem mortis ſtimulus peccatum, & peccati potentia lex. Sed Deo gratia; qui nobis victoriam dat per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Proindè, fratres mei chariſſimi, præſtate vos conſtantes, immobiles, ſempèr excellentes in Domini negotio, ſcientes veſtrum in re Dominica laborem non eſſe vanum.

¶ *Cùm ventum eſt ad Sepulchrum, dum paratur cadaver mox terræ mandandum, Preſbyter dicet, aut Preſbyter & Clerici cantabunt,*

HOMO muliere natus brevis ævi eſt, & miſeriæ plenus: Qui, ceu flos exortus, carpitur, ac velut umbra fugit, neque durat.

In curſu vitæ mors nobis inſtat; undè, niſi à Te, Domine, auxilium quærendum ſit, qui in peccata noſtra jure incandeſcis?

At Domine Deus ſanctiſſime, potentiſſime Domine, ſancte & clementiſſime Servator, acerbis doloribus æternæ mortis nè tradas nos.

Te, Domine, nulla animorum noſtrorum latent occulta; ne precibus noſtris miſericordiæ tuæ aures obſtruito; ſed parce nobis, Domine ſanctiſſime, potentiſſime Deus, ſancte & clemens Servator, tu æquiſſime, judex æterne, nè permittas nos, quibuſcunque lethi doloribus in extrema hora conflictamur, ob eos à te deſciſcere.

¶ *Deindè*

¶ *Deindè, dum terra in cadaver injicitur ab aliquo adſtantium, Preſbyter dicet*:

QUandoquidèm Deo omnipotenti pro ſingulari ſua clementia viſum fuerit animam *dilectiſſimi fratris noſtri* jam fato *perfuncti* ad ſe ſuſcipere; cadaver ejus humo condimus, terram terrâ, cinerem cineribus, pulverem pulvere, cum certa & explorata ſpe reſurgendi ad vitam æternam, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui humilia noſtra corpora ſic transfigurabit, ut eandem cum ejus glorioſo corpore formam habeant, pro ea vi, quâ ipſe ſibi ſubjicere poteſt omnia.

¶ *Tum dicetur aut cantabitur*,

VOcem audivi de cœlo dicentem mihi, Scribe; beati ſunt mortui, qui in Domino moriuntur: Ii deincèps (affirmat Spiritus) à ſuis laboribus requieſcunt. *Rev.* xiv. 13.

¶ *Tum Preſbyter dicet*:
Miſerere noſtrî, Domine.
Miſerere noſtrî, Chriſte.
Miſerere noſtrî, Domine.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris. Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen*.

PRESBYTER.

OMnipotens Deus, apud quem vivunt Spiritus illorum, qui hinc in Domino migrant, & apud quem animæ fidelium, exuto onere carnis, lætitiâ fruuntur & felicitate; tibi grates ex animo agimus, propterèa quòd tibi viſum fuit *hunc fratrem noſtrum* ex ærumnis hujus mundi nequam expedire; rogantes, ut, pro ſingulari illa tua clementia, brevi numerum electorum explere velis, & regnum tuum accelerare; ut nos, cum omnibus iis, qui ex hac vita migrârunt in vera fide ſancti tui nominis, ſolidam conſummationem & beatitudinem tum corporis tum animæ conſequamur, in tua perpetua & ſempiterna gloria, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen*.

Collecta.

Miſericors Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt reſurrectio & vita, in quem quiſquis credit, etiamſi mortuus fuerit, reviviſcet; &, quiſquis vivit, & credit in eum, nunquàm moriturus eſt: Qui etiam per ſanctum ſuum Apoſtolum Divum Paulum nos docuit, de iis, qui in ipſo obdormiverunt, non cruciari, ut cæteri qui ſpem non habent: Supplices quæſumus, ô Pater, à morte peccati ad vitæ juſtitiam nos ſuſcites, ut, exacto demùm hujus vitæ curriculo, in ipſo quieſcamus, utì ſpes eſt *hunc noſtrum fratrem* quieſcere: útque in communi illa reſurrectione in ultimo die tibi accepti comperiamur, & felicitatem illam obtineamus, quam chariſſimus tibi Filius omnibus tui amantibus, & reverentibus te, enunciabit, dicens: Adeſte, beati filii Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab orbe condito. His annue, quæſumus, ô Pater miſericors, per Jeſum Chriſtum Mediatorem & Redemptorem noſtrum. *Amen.*

Domini Jeſu Chriſti gratia, & Dei amor, & Sancti Spiritûs communio vobis adſit omnibus. *Amen.*

GRATIARUM ACTIO
PRO
Mulieribus post Partum:
VULGO
Purificatio Mulierum.

¶ *Mulier conſueto tempore poſt puerperium veniet in Eccleſiam, decente habitu induta; ibíque loco conveniente genua flectet, pro more ſolito, aut proùt juſſerit Ordinarius; deindè dicet ei Preſbyter:*

Cum Omnipotenti Domino pro ſingulari ſua bonitate viſum fuerit tibi dare pariundi facultatem, & tibi nihil pericli eſſe ex puerperio; propterea Deo gratias ages ex animo, dicens:

¶ *Tum*

¶ *Tum Preſbyter recitabit hunc Pſalmum.*

Psalm. cxvi.

AMO Dominum qui meam ſupplicem vocem exaudiverit:

Quoniámque mihi aurem præbuit, ideò eum per omnem vitam invocabo.

Cùm me mortis lora circundarent, & ſtygiæ invaſiſſent anguſtiæ;

Cùm in periculum & ſolicitudinem incidiſſem, Domini nomen invocavi: Obſecro, Domine, libera hanc animam:

Exorabilis juſtúſque Dominus Deus noſter miſericors.

Cuſtos Dominus ſimplicium, me conſervavit afflictum.

Redi, anima mea, ad tuam quietem, poſtquàm tibi Dominus benefecit:

Siquidèm tu, Domine, animam meam à morte, & oculos à lachrymis, & pedes à caſu liberaviſti.

Verſabor apud Dominum in vivorum terris.

Credidi, ideóque loquar, at magnoperè vexabar: atque in hac trepidatione dixi omnem hominem eſſe fallácem.

Quid Domino rependam prò tot ejus adverſùm me meritis?

Poculum ſumam ſalutis, Domini nomen invocans.

Domino mea vota ſolvam, ídque ejus omni populo præſente: in atriis templi Domini, in medio tui, Hieroſolyma. Halleluja.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſempèr, & in perpetua ſecula. Amen.

Aut hunc Pſalmum.

Psalm. cxxvii.

NISI Dominus domum inſtruat, fruſtrà laborant, qui eam inſtruunt.

Niſi Dominus urbem cuſtodiat, fruſtrà vigilat cuſtos.

Fruſtrà & ſummo manè ſurgitis, & tardè reſidetis, victu veſcentes laborioſo: adeò ille dilectis ſuis ſomnum conciliat.

Liberorum quidèm hereditas à Domino eſt; fœtus ventris præmio datur ab eodem.

Quales ſunt in manu viri fortis ſagittæ, tales ſunt juventutis nati.

Felices, qui talibus refertas habent pharetras: non illi fruſtrabuntur, cùm diſceptabunt cum adverſariis in curia.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in perpetua ſecula. Amen.

¶ *Deinde Preſbyter dicet,*

OREMUS.

Miſerere noſtrî, Domine.

RESPONSIO.

Miſerere noſtrî, Chriſte.

MINISTER.

Miſerere noſtrî, Domine.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. Quoniàm tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſempiternum. *Amen.*

MINISTER.

Salvam fac, Domine, hanc mulierem ancillam tuam:

RESPONSIO.

Quæ ſuam fiduciam in Te collocat.

MINISTER.

Eſto ei turris valida;

RESPONSIO.

Adversùs faciem hoſtis.

MINISTER.

Nos, Domine, invocantes exaudi:

RESPONSIO.

Et ad Te perlata ſit querela noſtra.

MINISTER.

OREMUS.

OMnipotens Deus, humiles Tibi gratias agimus, quòd mulierem hanc ancillam tuam acerbis partûs doloribus & periculo eripere dignatus fueris; præſta, quæſumus, clementiſſime Pater, ut ipſa, tuo auxilio, & fidelitèr & ad tuum præſcriptum vivat & gradiatur in hoc ſeculo, ut in futuro gloriam obtineat ſempiternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Mulier, quæ accedit ut gratias agat, offere debet ſolitas oblationes, &, ſi ſacra Communio celebretur, eam decet illius participem fieri.*

COMMI-

COMMINATIO,

SEU

Denunciatio iræ & judiciorum Dei adverſùs Peccatores, cum quibuſdam Supplicationibus, Quadrageſimæ primo die & aliis temporibus, jubente Ordinario, uſurpanda.

¶ *Poſt abſolutas preces matutinas, & recitatam pro more conſueto Litaniam, Preſbyter de ſuggeſtu illo inferiore, de quo recitantur preces, aut de ſuperiore, unde conciones habentur, dicet:*

FRatres, in Eccleſia primitiva, pia inſtituta eſt diſciplina, ut, tempore quadrageſimali ineunte, graviorum ſcelerum manifeſti publicam agerent pœnitentiam, & in hoc mundo pœnas darent, quo eorum animæ ſerventur ad diem Domini, útque eorum exemplo alii admoniti, peccata admittere magis extimeſcerent.

Cujus loco, donèc eadem diſciplina in integrum reſtituta ſit, (quod maximè expetendum) viſum eſt, ut, hoc tempore, quædam ſummariæ diræ, quibus vitam non emendantes Deus devovet, ex vigeſimo ſeptimo capite Deuteronomii, aliiſque ſcripturarum locis deſcriptæ, vobis omnibus audientibus perlegantur; & ut vos ad ſingulas ſententias reſpondeatis, *Amen.* Eo nimirùm conſilio, ut vos, cognito quantâ irâ Deus in Peccatores incitatur, verè & ex animo citiùs mores corrigatis, ſolertérque gradiamini, quoniam tempora ſunt difficilia, ab iis vitiis abhorrentes, propter quæ infelicitatem jure à Deo immittendam proprio vos ore affirmatis.

MINISTER.

EXecrabilis eſt homo, qui ſimulachrum vel ſculptile, vel fuſile fecerit, ut illud colat. *Deut.* xxvii. 15.

Reſpondebit Populus & dicet: *Amen.*

MINISTER.

Execrabilis, qui patri, matríve maledixerit. ℣. 16.

RESPONSIO.

Amen.

MINISTER.

Execrabilis, qui alterius terminum ſummoverit. ℣. 17.

RESPONSIO.

Amen.

MINISTER.

Execrabilis, qui cæcum à via averterit. ℣. 18.

RESPONSIO.

Amen.

MINISTER.

Execrabilis, qui peregrini, pupilli, viduæ cauſam perverterit. ℣. 19.

RESPONSIO.

Amen.

MINISTER.

Execrabilis, qui alterum occultè ceciderit. ℣. 24.

RESPONSIO.

Amen.

MINISTER.

Execrabilis, qui cum alterius uxore mœchatus fuerit. *Lev.* xx, 10.

RESPONSIO.

Amen.

MINISTER.

Execrabilis, qui donum acceperit, ut innocenti vitam eripiat. *Deut.* xxvii. 25.

RESPONSIO.

Amen.

MINISTER.

Execrabilis, qui fidit homini, & ſibi collocat in carne præſidium, à Domino ſuum removens animum. *Jer.* xvii. 5.

RESPONSIO.

Amen.

MINISTER.

Execrabiles, qui fuerint immiſericordes, impudici, adulteri, avari, deaſtricolæ, conviciatores, ebrioſi, & rapaces. D. *Matt.* xxv. 41. 1 *Cor.* vi. 9, 10.

RESPONSIO.

Amen.

MINI-

MINISTER.

JAM verò, cum ità ſe res habeat, ut execrabiles *Pſ.* cxix.
ſint omnes (in quam rem eſt teſtimonium pro- 21.
phetæ Davidis) qui deflectunt & deerrant à præ-
ceptis divinis: nos igitur, terribile illud judicium,
jam nobis imminens, & ſempèr ruiturum animo
recolentes, cum omni contritione & animi humi-
litate ad Dominum Deum noſtrum revertamur, de-
plorantes & lugentes vitam noſtram flagitioſam,
delicta noſtra agnoſcentes, & confitentes; navan- D. *Matt.*
téſque operam, ut edamus fructus vitâ dignos e- iii. 30.
mendatâ. Jam enìm ſecuris arborum radici ad-
mota eſt: Itaque arbor omnis fructum bonum non *Heb.* x.
edens excidenda eſt, & injicienda in ignem. Horri- 31.
bile eſt in viventis Dei manus incidere. In impios, *Pſal.* xi.
laqueos, ignem, ſulphur, atrocémque ventum de- 6.
pluet, hæc ſors eſt iis exantlanda. Eccè enìm Do-
minus ex ſuo proditurus eſt loco, ad vitia habitan-
tium terras in ipſos vindicanda: quis autem ejus *Pſ.* xxvi.
adventùs diem ſuſtinebit? aut eo apparente conſiſ- 21.
tet? Is, in manu ſuum habens ventilabrum, aream *Mal.* iii.
ſuam expurgabit, frumentúmque ſuum in horreum 2. D. *Matt.*
comportabit; paleam autem igne cremabit inex- iii. 12.
tincto. Dies Domini ventura eſt, ut fur noctu.
Quùm enìm dicent homines pacem eſſe, & ſecu- 1 *Theſſ.* v.
ritatem, tum repentè, ut dolor uterum ferenti, ſic 2, 3.
eis inſtabit interitus, quem non effugient. Tunc ſeve-
rum Dei judicium apparebit, quod obſtinati Peccato-
res, præ duritate animorum, ſibi ipſis congeſſerunt *Rom.* ii.
ſpretâ Dei bonitate, patientiâ, & lenitudine, quùm 4, 5.
eos aſſiduè ad correctionem vitæ vocaret. Tunc in-
vocantes me, inquit Dominus, non exaudiam, nec
mihi invigilantes me invenient; quoniàm, exoſi ſci- *Prov.* i.
entiam, Domini metum non elegerint, & meum re- 28, 29,
nuentes conſilium, omnem caſtigationem meam ſu- 30.
erint aſpernati. Tunc ſerum nimìs erit pulſare, cùm D. *Matt.*
clauſæ fuerint fores, & ſerum petere miſericordiam, xxv. 10,
cùm tempus juſtitiæ adſit. O terribilem vocem juſ- 11, 12.
tiſſimi judicii, quod adversùs eos pronunciabitur, cùm
dicetur illis; Faceſſite à me, execrabiles, in ignem ſem- D. *Matt.*
piternum, Diabolo, ejúſque angelis paratum. Ideò, xxv. 41.

2 *Cor*. vi. fratres, nobis maturè conſulamus, dum adſit dies ſa-
2. lutis: Eccè enìm veniet nox, quùm operari nemo
Joan. ix. poteſt. Sed, dum lucem habemus, credamus in lu-
4. & xii. 35, 36. cem, & ambulemus ut filii lucis, nè in penitiſſimas
D. *Matt*. tenebras compingamur, ubi futurus eſt ploratus, ſtri-
xxv. 30. dórque dentium. Nè Deì bonitate abutamur, qui
pro ſua ſingulari clementia ad correctionem vitæ
nos invitat, præterita ſe remiſſuram pollicens, ſi
modò ad eum & toto animo & ſincero corde noſ-
metipſos convertamus. Etiamſi vel coccinea fue-
Eſ. i. 18. rint peccata noſtra, fient nive albiora; ſi fuerint
oſtro ſimilia, fient lanâ candídiora. Redite (inquit
Ezech. Dominus) ab omnibus peccatis veſtris, & non erit
xviii. 30, vobis detrimento culpa. Abjicite à vobis quæcun-
31, 32. que peccata commiſiſtis, & vobis cor novum, men-
témque novam comparate, ut non moriamini, do-
mus Iſraëlis: non enim mortem aveo morientis,
inquit Dominus Deus; revocate vos, & vivite. Etſi
1 *Joan*. peccaverimus, Patronum habemus ad Patrem, Je-
ii. 1, 2. ſum Chriſtum juſtum; qui idem piaculum eſt pec-
Eſ. liii. 5. catorum noſtrorum. Atque ipſe ob peccata, vitiá-
que noſtra peremptus atque contuſus. Ad eum igi-
tùr revertamur, qui omnes verè à peccatis deſciſ-
centes clemens amplectitur; pro certo nobis ipſis
perſuaſum habentes eum eſſe ad nos recipiendum
paratum, ſimul & libentiſſimum ad ignoſcendum
nobis, ſi veram agentes pœnitentiam ad eum ac-
D. *Matt*. cedamus; ſi noſmet ipſos ei ſummittamus, & poſt-
xi. 30. hàc in ejus viis gradiamur. Si jugum ejus com-
modum & onus leve ſubeuntes, eum ſimus ſequu-
ti, animo ſummiſſi, patientiâ & charitate, & Sancto
ejus Spiritu dirigamur, ejus gloriæ ſempèr ſtuden-
tes, &, proùt tenemur, ei ſervientes in ea conditione,
ad quam ſumus vocati, cum gratiarum actione.
Si hæc præſtiterimus, Chriſtus nos ab execratione
legis aſſeret, & ultimâ eâ ſententiâ, quæ de iis
feretur, qui ad lævam ſtatuentur; nos autem ad
dexteram ſtatuet, & glorioſam Patris ſui bene-
dictionem pronunciabit, jubens ut regni ſui glo-
rioſi hereditatem adeamus; quo nos omnes pro
ſingulari ſua miſericordia dignetur. *Amen*.

¶ *Tum*

¶ *Tum univerſi in genua procumbent; Preſbyter autèm & Clerici flexis genibus, in eo loco ubi ſolet dici Litania, hunc Pſalmum recitabunt.*

PSALM. li.

MIſerere mei, Deus, pro tua clementia, pro tua ſingulari miſericordia dele meam noxam.

Ablue me multùm à meo vitio, à meo peccato purga me.

Nam meam noxam agnoſco, meúmque peccatum mihi ſempèr obverſatur.

In te ſolùm peccavi, ínque tuis oculis hoc flagitium perpetravi, ut dictorum tuorum æquitas, judiciíque puritas appareat.

Equidèm in vitio genitus ſum, & in peccato me concepit mea mater.

Equidèm, Tu veritatem in præcordiis amas, & occultè ſapientiam mihi demonſtrabis.

Expiabis me hyſſopo, & purus ero: Ablues me, & ero nive candidior.

Nunciabis mihi lætitiam atque voluptatem: ut exultent contuſa à Te membra.

Abde tuam faciem à meis peccatis, & omnia mea vitia dele.

Cor mundum crea mihi, Deus, compoſitúmque ſpiritum in meo pectore renova.

Nè me à tuo conſpectu rejice: néve mihi tuum Sanctum Spiritum aufer.

Redde mihi tuæ Lætitiam defenſionis, & me principali Spiritu ſuſtenta.

Docebo Peccatores tuas vias, ità ut nocentes tibi reconcilientur.

Vindica me à ſanguine, Deus, Deus meæ ſalutis: Mea lingua tuam modulabitur juſtitiam.

Domine, mea labia aperies, & os meum tuam laudem prædicabit.

Non enim ſacrificio delectaris, ut id exhibeam: Non Tibi acceptæ ſunt victimæ.

Divina ſacrificia ſunt fractus Spiritus: Fractam afflictámque mentem Tu, Deus, non deſpicies.

Benefac pro tuo favore Sioni: Conſtrue muros Hieroſolymæ.

Tunc juſtis ſacrificiis, victimis, & ſolidâ re divinâ delectabere: tunc immolabuntur ad aram tuam juvenci.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſempèr, & in perpetua ſecula. Amen.

Miſerere noſtrî, Domine.

Miſerere

Miſerere noſtrî, Chriſte.
Miſerere noſtrî, Domine.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris. Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. *Amen.*

MINISTER.

Salvos fac, Domine, famulos tuos:

RESPONSIO.

Qui ſuam fiduciam in Te collocant.

MINISTER.

Mitte iis auxilium ex ſano tuo:

RESPONSIO.

Et potens iis ſempèr opitulare.

MINISTER.

Succurre nobis, Deus ſalutis noſtræ:

RESPONSIO.

Et tui nominis gloriæ causâ nos libera; & tui nominis gratiâ, noſtris peccatis veniam da.

MINISTER.

Nos, Domine, invocantes exaudi:

RESPONSIO.

Et ad Te perlata ſit querela noſtra.

MINISTER.

OREMUS.

PReces noſtras, quæſumus, Domine, pro tua clementia admitte, & ſingulis parce ſua peccata confitentibus, ut eorum delicta (quorum ſua ipſos accuſat conſcientia) pro miſericordia tua remittantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

DEUS, cui præſtantiſſimæ vires, & clementia ſumma, qui omnium hominum miſereris, & nihil quod creâſti odio proſequeris; cui impium mori non placet, ſed recedere eum à via ſua & vivere: Pro miſericordia tua remitte nobis peccata noſtra; recipe nos, & conſolare, quibus dolet onere peccatorum laborantibus. Tuum eſt ſempèr miſereri, tuum unius eſt remittere peccata; ignoſce nobis, Deus bone, ignoſce populo tuo, quem redemiſti. Nè venito in jus nobiſcum qui tui ſumus, vilis pulvis & miſeri Peccatores, ſed tuam adversùm nos ſævitiam reprime, qui demiſsè vilitatem noſtram agnoſcimus, & ex

animo

animo deſciſcimus à peccatis; & ità nobis ſuppetias veni in hoc ævo, ut in futuro Tecum vivamus in perpetua ſecula, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Populus hoc dicet, quod ſequitur, Miniſtro præeunte.*

REvoca nos, ô bone Domine, & ſic redibimus: Propitius eſto, Domine, propitius populo tuo, qui ad Te redit, cum ploratu, jejunio, & ſupplicatione: Propterea quod Tu es Deus miſericors, & exorabilis, longanimis, clementiáque magnus. Tu nobis ignoſcis ſupplicio dignis, & in ira tua es manſuetudinis memor; parce populo tuo, miſericors Domine, parce; néve tuam hereditatem probro addixeris. Exaudi nos, Domine, quippè cujus clementia ſumma eſt, & pro tua ſingulari miſericordia nos reſpice, propter merita & ſupplicationem Filii tui benedicti Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

¶ *Tum Miniſter ſolus dicet:*

FElicitet nos Dominus, conſervétque: Conjiciat in nos Dominus vultum ſuum, nobíſque pacem conciliet, nunc & in perpetua ſecula. *Amen.*

PSALMORUM LIBER.

Matutinæ Preces. *Dies* I.

Psal. I.

BEATUS homo qui in impiorum conſilio non verſatur, nec improborum viam inſiſtit; nec in ſede ſcurrarum ſedet.

2 Sed Jovæ lege delectatur; de ea dies, noctéſque cogitans.

3 Hic arbori ſimilis eſt, ad aquæ rivum ſatæ, fructum ſuum ſuo ferenti tempore.

4 Foliis erit non deciduis, omniáque faciet proſperè.

5 Impii contrà ſimiles ſunt paleæ, quam ventus agitat.

6 Itaquè impii in judicio, ſcelerati in bonorum cœtu, non conſiſtent.

7 Nam & bonorum viam curat Jova, & malorum via peritura eſt.

Psal. II.

QUid tumultuantur gentes? populi vana conantur?

2 Conſpirant orbis reges? coëunt optimates contra Jovam atque ejus unctum?

3 Abrumpamus eorum nexus: abjiciamus eorum vincula.

4 Ridet

4 Ridet Cœlicola: ludificatur eos Dominus.

5 Tandem eos iracundè alloquetur, & ſic incandeſcens perturbabit.

6 Ego vero regem meum in Sionem meum ſacrum montem creavi.

7 Narrabo Jovæ decretum, qui mihi dixit: Tu Filius meus es, ego Te hodiè genui.

8 Poſtula à me, & tibi gentes in hereditatem, orbis fines in poſſeſſionem dabo:

9 Quos tu ſceptro regens ferreo, tanquàm fictile collidas.

10 Quamobrèm ſapite, ô reges: corrigimini, ô terrarum gubernatores.

11 Servite Jovæ cum timore, exultantes cum tremore.

12 Oſculamini Natum, nè, ſi indignetur, veſtras res perdatis, illius irâ protinùs incensâ: cui felices quicunque confidunt.

PSAL. III.

O Jova, quàm multi me infeſtant! quàm multi in me conſurgunt!

2 Quàm multi negant ullam animæ meæ in Deo ſalutem eſſe poſitam! Sela.

3 Atqui tu, Jova, meus es clypeus, & gloria, quíque meum caput extollis.

4 Meâ voce Deus invocatus, me ex ſuo ſacro monte exaudivit.

5 Deo me tutante, ità cubo, dormio, expergeſio:

6 Ut hominum legiones, quæ me circumſideant, non reformidem.

7 Age, Jova, defende me, mi Deus: qui meis omnibus adverſariis malas feris, impiorum dentes confringens.

8 Tuum eſt, Jova, conſervare: tuóque tuos favore proſequi. Sela.

PSAL. IV.

INvocantem me exaudi, ô Deus æquitatis meæ, qui me ex rebus adverſis explicas: miſerere mei, & meas exaudi preces.

2 O hominum genus, quouſquè meam gloriam in infamiam convertetis? quouſquè falſa ſtudentes amabitis frivola? Sela.

3 At cognoſcite ut Jova me pium ſibi, ut eximium ſecreverit, quem ſe invocantem exaudiat.

4 Horrete peccare, hæc cum animis veſtris cogitantes, in veſtris cubilibus, & ſilete. Sela.

5 Facite ſacrificia juſtitiæ, Jovæ confidentes.

6 Verùm, inquiunt multi, quis nobis exhibebit bona?

7 Colluſtra nos luce tui vultûs, Jova.

8 Qui

8 Qui meum animum voluptate afficis, ob annonam frumenti atque vini, quibus abundant:

9 Quippe me ſolus ità in tuto collocas ut quietè cubem ſimùl, atque dormiam.

PSAL. V.

VErbis meis auſculta, Jova: perpende cogitationem meam.

2 Attende meæ querelæ vocem, mi Rex atque Deus: Te enim oro.

3 Jova, manè vocem meam audis, manè tibi præſtò ſum intentus.

4 Neque enim is Deus es, cui placeat improbitas, cui familiares ſint mali.

5 Cujus oculis obverſantur inſani: Odiſti maleficos omnes:

9 Falſiloquos perdis: abominaris ſanguinarios & fraudulentos, Jova.

7 At ego, pro tua ſingulari clementia, Te, ædem tuam ingreſſus, religiosè ad tuam ſacram cellam veneror.

8 Jova, deduc me per tuam juſtitiam, propter adverſarios meos: dirigens ante me tuam viam.

9 Nam in eorum ore nihil certi eſt; pectus eis dirum eſt:

10 Guttur iis eſt ſepulchrum patens: linguâ blan-[illegible]

11 Perverte eos, Deus: decidant de ſuis conſiliis: ob eorum tot ſcelera profliga eos, qui ſint in te contumaces.

12 Lætentur autem perpetuò, quicunque tibi confidunt: ovent, Te eos protegente: exultent in Te tui nominis amantes.

13 Nam tu, Jova, juſtos beas, eos favoris ſcuto coronans.

VESP. PRECES.

PSAL. VI.

JOva, noli in me iracundè animadvertere: noli me atrocitèr punire.

2 Miſerere mei ægrotantis, Jova: ſana me, Jova, nam & ipſa oſſa mea conturbata ſunt.

3 Animo quoquè meo valdè perturbor: tu verò, Jova, quouſquè caſtigabis me?

4 Reconciliare, Jova: libera meam animam: conſerva me pro tua clementia.

5 Nam in morte quidèm nulla tui fiet mentio: apud inferos quis tibi gratias aget?

6 Feſſus ſum gemendo: lectum meum totas noctes madefaciens: cubile lachrymis humectans.

7 Oculi mihi præ mœrore contabeſcunt, & inter

tot hoſtes meos conſeneſcunt.

8 Faceſſite à me, omnes malefici: nam exaudit Jova meam vocem flebilem.

9 Exaudit Jova meam ſupplicationem: Jova meas preces admittit.

10 Pudebit cum vehementi perturbatione omnes inimicos meos: averſos pudebit protinùs.

PSAL. VII.

JOVA mi Deus, tibi confido: defende & libera me à meis tot infeſtis:

2 Nè ille quaſi leo raptam meam vitam laceret indefenſam.

3 Jova mi Deus, ſi id feci: ſi ſontes manus habeo:

4 Si cuiquam mihi benefacienti malum rependi: niſi mihi immeritò adverſantem periculis eripui:

5 Inſectetur hoſtis meam animam: aſſecutúſque meam vitam ád terram proculcet, & gloriam peſſundet humi. Sela.

6 Inſurge, Jova, in iram: incitare propter adverſariorum meorum ſævitiam: & de me quod decreviſti judicium repræſenta.

7 Populoſáque ſtipatus concione, eam ob cauſam in ſublimi ſedeto.

8 O Jova, populorum arbiter, judica de me ex innocentia atque integritate, quâ ſum præditus.

9 Quæſo te, ut, coërcitâ impiorum perverſitate, juſtos confirmes:

10 Juſtus quippè Deus eſt, qui corda explorat atque renes.

11 Meum quidèm præſidium in Deo ſitum eſt, conſervatore hominum frugi.

12 Qui quidèm Deus judex juſtus eſt: Deus quotidiè minatur.

13 At iſte non ſolùm non ſe corrigit, ſed etiam gladium ſuum acuit: arcum intendit, & componit.

14 Comparatis ad hoc telis mortiferis, & factis ad inſtandum ſagittis.

15 En parturit iniquitatem: & facinore gravidus nefas peperit.

16 Foſſam excîdit & cavavit, caſurus in foveam à ſe factam.

17 Retorquebitur ejus conatus in caput ipſius, ejus injuſtitia in ipſius verticem deferetur.

18 At ego Jovam, ut ejus juſtitiâ dignum eſt, celebrabo, Jovæ nomen cantans ſupremi.

PSAL. VIII.

O Jova Domine noſter, quàm nobile tuum nomen eſt in toto orbe terrarum!

rum! qui cùm tuam majeſtatem in cœlis collocaveris,

2 Per os infantium & lactantium, potentiam propter adverſarios tuos fundas, in coërcendis hoſtibus & infeſtis.

3 Equidèm cùm cœlos, opera digitorum tuorum, cùm lunam & ſtellas à Te conditas video:

4 Quid eſt homo, ut ejus memineris? *exclamo.* Quid eſt homine natus, ut eum cures?

5 Atqui eum propemodùm Deum feciſti, tantáque gloriâ & autoritate ornâſti,

6 Ut operum tuarum manuum Dominum feceris, omniáque ejus pedibus ſubjeceris,

7 Non ſolùm pecora omnia, tàm majora quàm minora, verùm etiam beſtias agreſtes.

8 Volucres aëreas, & piſces marinos, marina peragrantes itinera.

6 O Jova Domine noſter, quàm nobile tuum nomen eſt in toto orbe terrarum!

MATUT.

PSAL. IX.

CElebrabo te, Jova, totâ mente, narrans tua tot miracula.

2 Lætabor & exultabo in Te, tuum cantans ſupremum nomen:

3 Cùm retrò verſi hoſtes mei per Te lapſi perierint.

4 Nam tu cauſam litémque meam agis, pro juſti judicis tribunali ſedens.

5 Tu gentes protelas: impios perdis, eorum nomen in omnem abolens æternitatem.

6 O hoſtis, deſiêre perpetuò vaſtationes: tu quidèm urbes ſic evertiſti, ut earum memoria ſimul perierit.

7 Sed Jova, compoſito ad judicium tribunali ſuo, ſedet in perpetuum:

8 Et, mundum juſtè judicans jus populis ex æquo dicet:

9 Erítque Jova præſidio tenuibus, præſidio in temporibus adverſis.

10 Et tibi confident, qui tuum novêre nomen: tu enim, Deus, tui ſtudioſos nunquàm deſeruiſti.

11 Cantate Sionis habitatorem Jovam, prædicando per populos ejus facta:

12 Qui

12 Qui cùm inquirit in cædes, ſuos reminiſcitur haud immemor inopum querimoniæ.

13 Miſerere mei, Jova, aſpice ut à meis opprimar oſoribus, qui retrahis me de janua lethi:

14 Ut tuas tot laudes intra puellæ Sionis portas enarrem: in tua tutela exultabo.

15 Demerguntur in factam à ſe foveam gentes: capitur earum pes occultato ab ipſiſmet reti:

16 Patet Jovam jus facere, impiis ſuarum opere manuum irretitis. Higaion Sela.

17 Retrò labentur in tartara impii, gentes omnes immemores Dei.

18 Neque enim perpetuò erunt in oblivione pauperes, non ſempèr erit irrita ſpes inopum.

19 Inſurge, Jova, nè corroborentur homines, judicentur apud Te gentes:

20 Statue eis, Jova, documentum, quo ſe homines eſſe gentes intelligant. Sela.

PSAL. X.

CUR, Jova, procùl abes? cur lates in temporibus adverſis?

2 Impii ſuperbè inſectantur inopes, ſuis ipſi conatibus capiendi.

3 Nam ſibi placet impius in ſua libidine, & ſibi Jovæ contemptor avarus gratulatur.

4 Impius (quâ eſt arrogantiâ) non ſolum Deo non ſtudet, verùm etiam omnes ejus conatus eò ſpectant, nullus ut Deus eſſe videatur.

5 Ejus facta ſemper atrocia ſunt: &, ſublatis ab ejus conſpectu tuis placitis, omnes infeſtos ſuos flocci facit.

6 Statuit enim apud ſe, perpetuò ſe immotum futurum; nec adverſi quidquam ſenſurum.

7 Perjurio plenum os habet, fraudibúſque & perfidia: ſubeſt ejus linguæ facinus atque ſcelus:

8 Subſidet in inſidiis triviorum, ex occulto occiſurus inſontes, oculis in deſertos intentis.

9 Inſidiatur ex occulto, velutì leo ex luſtris: inſidiatur ad inopes invadendos:

10 Inopes invadit in ſuum rete pertractos.

11 Contrahit humilitèr ſe: ut miſerorum grex ipſius ducibus in prædam cedat.

12 Cogitans Deum immemorem eſſe, abditóque vultu nunquàm hæc aſpecturum.

13 Surge, Jova Deus, af-

4. quæ eâ arrogan

MATUT.

Psal. XV.

JOVA, quis deget in tabernaculo tuo? quis in tuo ſacro monte habitabit?

2 Qui ſincerè ſe gerit, æquúmque facit, & verum ex animo loquitur.

3 Qui linguâ ſuâ non detrectat: Non malefacit alteri: Dedecus aliis non imponit.

4 Qui ſuperbiâ non elatus ſeipſum deſpectui habet, Jovæ reverentes honorans.

5 Qui alteri quod juravit non revocat, etſi cum ſuo detrimento.

6 Non pecuniam ſuam fœnerat, non donum adversùs innocentem accipit.

7 Hæc qui facit, nunquàm convelletur.

Psal. XVI.

CUſtodi me, ô Deus, qui tibi confido.

2 Quíque Jovæ ſic dico: Cùm tu ſis Dominus, meorum bonorum non es indigus:

3 Ego me ſanctis & nobilibus in terra verſantibus unicè oblecto.

4 At qui aliud numen quæritant, erunt omnibus modis miſeri.

5 Eorum neque libamina cruenta libabo, neque nomina meis uſurpabo labiis.

6 Tu, Jova, qui mihi pro legitima poſſeſſione & conditione es, meam ſortem ſuſtines.

7 Accidit mihi amœna regio: Evenit mihi elegans hereditas.

8 Grates ago Jovæ, qui mihi ſic conſulit, ut etiam mei renes me noctu caſtigent.

9 Jovam mihi jugitèr habeo propoſitum, quo mihi dextero non labefiam.

10 Itaque non tantùm animo & mente lætor, & exulto, verùm etiam ipſum corpus meum tutò degit:

11 Propterea tu non es animam meam relicturus orco: Non es paſſurus ut pius tuus corruptionem patiatur.

12 Sed me vitæ viam docebis Tu, apud quem plena gaudiorum adeſt copia, cujus in dextera perennes ſunt voluptates.

Psal. XVII.

AUDI, Jova, innocentiam, attende meæ querimoniæ: auſculta precibus, quas non fallacibus profero labiis.

2 A Te meum jus proficiſcatur:

ciſcatur: Spectant oculi tui æquitatem.

3 Probes licèt meum cor, & me nocte aggreſſus explores: Non deprehendes me aliud in pectore, aliud in ore habere.

4 Quod ad hominum facta attinet, ego ex tuorum labiorum ſententia inhumanorum vias evito.

5 Suſtine greſſus meos in tuis orbitis, nè mea labefiant veſtigia.

6 Ego te ideò invoco, quoniàm tu mihi exoraris, Deus: Præbe mihi tuam aurem, & exaudi meam orationem.

7 Utere tuâ mirificâ clementiâ, qui tuâ fretos dexterâ defendis ab inſurgentibus in ipſos.

8 Cuſtodi me, ut oculi pupillam, abdens me in alarum umbra tuarum,

9 Ob impios, qui me infeſtant: Ob hoſtes meos, qui, meæ necis cupidi, me circumvallant:

10 Et ore obeſitate farto ſuperbè loquuntur:

11 Jámque greſſus noſtros obſident, oculis ità compoſitis, ut ad terram conquiniſcant:

12 Similes rapturienti leoni, aut in latibulis ſedenti leunculo.

13 Exurge, Jova, præverte atque perdoma illos; defende hanc animam ab impiis, gladio tuo.

14 A mortalibus, manu tuâ, Jova, à mortalibus mundanis, qui ſua habent in hac vita, Te eorum ventres de tuo penu ità replente,

15 Ut ſatientur indè nati, reliquiáſque ſuas poſteris ſuis relinquant.

16 At ego per juſtitiam vultum tuum videbo, tum ſatiandus, cùm tua experrecta fuerit imago.

VESPERT.

PSAL. XVIII.

ADamo Te, Jova, meæ vires; Jova mea rupes eſt, arx mea, meus liberator, meus Deus, meum numen cui confidam, meus clypeus, & meæ cornu ſalutis, meúmque propugnaculum.

2 Quem Jovam cùm laudatum invoco, defendor à meis hoſtibus.

3 Cùm me mortis lora circumcingerent, improborum torrentes turbarent:

4 Orci lora circundarent, mortis laquei præpedirent:

5 In hac mea anguſtia invocabo Jovam, implorabo Deum meum:

6 Sic meam vocem de ſuo exaudiet palatio, meáque ad eum querimonia ad ejus perveniet aures.

7 Tum

7 Tum commota tellus contremiſcere, & concuſſæ montium moles cohorreſcere: Namque iratus ille,

8 Fumum naribus exhalans, ardentem ignem faucibus ejaculans, & carbonibus exardeſcens,

9 Proclinato cœlo deſcendebat, ac ſubjectâ pedibus ſuis caligine,

10 In Cherubo inequitans volabat, ſéque alis venti librabat.

11 Circundederat autem ſibi quaſi latebram tenebrarum, atrarúmque aquarum, & ætherearum nubium quaſi umbraculum.

12 Quibus nubibus ad ejus præſentiæ fulgorem diſcuſſis, grando & candentes emicabant carbones.

13 Tum Jova ſupremus de cœlis intonare, cúmque fragore grandinem & igneos agere carbones,

14 Teláque ſua jaculans illos diſſipare, & crebris reddere fulguribus attonitos.

15 Ad has Jovæ minas, & ſpirantem ex ejus naribus ventum, aperti ſunt aquarum gurgites, & fundamenta patefacta mundi.

16 Tum ille me deſuper recipiendum, & ex tam multis aquis curavit extrahendum,

17 Me liberavit ab hoſte meo tam valido, ab adverſariis meis, qui erant me potentiores.

18 Illi quidem me meo periculoſiſſimo tempore invaſerant: Sed Jova mihi adminiculatus,

19 Me in apertum eduxit, & pro ſuo erga me favore tutatus eſt.

20 Remuneratus eſt me Jova dignâ meâ innocentiâ mercede, & digno mearum manuum puritate præmio affecit.

21 Nam Jovæ præſcripta conſervaveram, nec impius erga Deum meum fueram.

22 Quin ejus omnia jura mihi habueram propoſita, nec ejus inſtituta à me rejeceram:

23 Sed erga eum integer, à vitio me abſtinueram.

24 Ergò mihi Jova dignum innocentiâ meâ, & manuum ſinceritate ſibi perſpectâ, præmium rependet,

25 Tu Te benignis benignum, integris viris integrum,

26 Puris purum, perverſis intractabilem præbes.

27 Nam & inopes homines defendis, & ſuperborum deprimis ſupercilia.

28 Etenim Tu mihi lucem accendis, Tu, Jova mi Deus, meas tenebras lumine disjicis.

29 Ergò per Te cuneos perrumpo, per Deum meum tranſilio muros :

30 Dei ratio eſt ſimplex, Jovæ promiſſa proba ſunt ; omnibus ſibi fidentibus eſt quaſi clypeus.

31 Nam quis eſt Deus præter Jovam ? Quod eſt numen, excepto Deo noſtro ?

32 Qui Deus me viribus accingit, & mores meos reddit integros :

33 Qui, meos pedes cervinos efficiens, in edita me loca ſiſtit :

34 Qui manus meas ad bellum ſic edocet, ferreos ut arcus híſce frangam lacertis.

35 Tu mihi defenſionis tuæ clypeum ſubminiſtras : Tu me tuâ & dexterâ ſuſtentas, & manſuetudine auges,

36 Adeóque greſſus meos, ſub me explicas, ut mea non titubent veſtigia.

37 Ergò meos perſequens hoſtes aſſequor, nec niſi confectis illis revertor.

38 Et eos ità trucido ut ſurgere nequeant, mihi ſub pedes collapſi.

39 Tu mihi virtute ad bellum accinctos meos adverſarios ſubjicis :

40 Mihi hoſtes terga dare cogis, ita ut infeſtos meos evertam.

41 Invocantes illos quidèm, ſed indefenſos, Jovam, ſed non exaudientem :

42 Dum ego eos quaſi pulverem in auras comminuo, & tanquam vicorum lutum contundo.

43 Tu me ex populi ſeditionibus liberas, & gentium caput efficis,

44 Adeò ut mihi ignoti ſerviant homines,

45 Et ad nutum obediant : At genus extraneum mihi mentietur,

46 Genus extraneum concidet, intra ſua clauſtra formidans.

47 Vivit Jova ; Tibi ſint grates, numen meum ; extollendus es, Deus meæ ſalutis :

48 Deus qui mihi ſupplicia ſumere das, populóſque domas :

49 Qui me ex hoſtibus meis eripis, ab infenſis meis vindicas, à crudeli homine liberas.

50 Quare Te celebrabo apud gentes, Jova, tuum nomen cantans.

51 Quì tantas regi tuo victorias concilies, in unctum tuum Davidem, ínque ejus ſtirpem beneficia conferens æterna.

MATUT.

PSAL. XIX.

COELI enarrant Dei gloriam, & opus ejus manuum oſtendit æther:

2 Cujus rei cognitionem parit dierum, noctiúmque viciſſitudo, quaſi fundens orationem:

3 Idque ità, ut nullus ſermo, nulla lingua ſit, ubi non audiatur eorum vox:

4 Quorum regula ad omnes terras, quorum oratio ad ultimum pertingat orbem:

5 In illis quidèm tabernaculum poſuit ſolis, qui quaſi ſponſus prodit ex ſuo lecto geniali, exultans ut athleta ad decurrendum curriculum:

6 Atque ab ultimis cœli carceribus profectus, ad alterum pergit extremum, nec quicquam eſt quod ejus lateat ardorem.

7 Jovæ lex integra animum recreat: Jovæ fidum oraculum ex infante reddit ſapientem.

8 Jovæ mandata recta mentem exhilarant: Jovæ pura diſciplina illuſtrat oculos.

9 Jovæ caſtus metus perpetuò manet: Jovæ ſententiæ veræ ſimùl & æquæ ſunt:

10 Longè & auro, obryzóque jucundiores, & favorum dulciores nectare.

11 Et quidèm ego tuus eis inſtructus ſum, in quibus ſanè obeundis amplum quæritur præmium.

12 Sed errores quis perſpiciat? ab occultis expia me.

13 Tum etiam ab eis, quæ volens commiſi, vendica tuum me, nè dominentur in me: Tum integer ero, & à tot peccatis innocens.

14 Et oris mei oratio hæc, & mentis cogitatio grata tibi ſit,

15 O Jova, meum numen atque vindex.

PSAL. XX.

EXaudiat te Jova temporibus adverſis: Protegat te nomen Dei Jacobæorum.

2 Mittat auxilium tibi ex ſano, ex Sione tibi opituletur.

3 Memor ſit tuorum tot fertorum, hoſtiámque tuam vertat in cinerem. Sela.

4 Det tibi quod habes in animo, & omne tuum conſilium perficiat.

5 Nos in tua victoria ovabimus, in Jovæ Dei noſtri nomine

nomine ſigna extollentes; qui Jova omnia poſtulata tua perficiat.

6 Nunc intelligimus Jovam, de ſuo ſancto cœlo exoratum, defendere unctum ſuum, ſalutaris dexteræ ſuæ viribus.

7 Alii currus, alii equos: At nos Jovæ Dei noſtri nomen memoramus.

8 Illi ſubacti cadent: Nos erecti conſiſtemus,

9 Jovâ regem defendente, & nos invocantes exaudiente.

PSAL. XXI.

JOVA, in tua potentia gaudet rex, ínque tua defenſione exultat majorem in modum:

2 Ut cui tu mentis optata conceſſeris, nec orationis poſtulata denegaveris. Sela.

3 Nam eum egregiis affeciſti beneficiis, ejúſque capiti auream impoſuiſti coronam:

4 Et vitam à te roganti ætatis longitudinem dediſti perennem:

5 Magna ejus eſt tuo præſidio gloria, qui, præter decus & autoritatem, quam ei tribuiſti,

6 Etiam fauſtitatem concilies æternam, eum tui voluptate vultûs lætificans.

7 Nam Jovâ, Supremíque clementiâ fretus rex non convelletur.

8 At hoſtes tuos omnes aſſequetur iſta manus: Iſta dextera tuos adverſarios deprehendet:

9 Eóſque tum, dum iraſcêris, ô Jova, quaſi in ardentem redactos fornacem, irâ tuâ conficies, atque igne conſumes:

10 Eorúmque fœtum ex orbe terrarum, eorum ſtirpem ex hominum genere tolles.

11 Moliuntur enìm tibi malum, conantur ſcelus, quod non potuerunt efficere.

12 Nam Tu, eis pro ſcopo collocatis, rectà in eos tuis nervis collineabis.

13 Inſurge, Jova, cum tua potentia: Nos tuam carminibus virtutem cantabimus.

VESPERT.

PSAL. XXII.

MI Deus, mi Deus, cur me dereliquiſti? cur à meis verbis querulis remota ſalus eſt?

2 Ego voco, mi Deus, interdiu, nec tu exaudis: Noctu, & quidèm ſine ulla intercapedine.

3 Atquì tu Sanctus ille manes, laus Iſraëlitarum.

4 Tibi confiſi ſunt majores

jores noſtri, & Tu confidentes liberâſti.

5 Te invocantes liberati ſunt: Tibi confidentes non ſunt fruſtrati.

6 At ego vermis ſum, non homo: Hominum opprobrium, & populi contemptus.

7 Quicunque me vident, ſannis & capitis nutu illudentes, & labia diducentes dicunt:

8 Jovâ nixus eſt, liberet eum, eripiat eum: poſtquàm ejus tam cupidus eſt.

9 Tu quidèm is es, qui me ex alvo extraxiſti, qui mihi etiam ſub maternis uberibus fiduciam dediſti:

10 Tibi jam ab utero commiſſus ſum, ab alvo matris meæ Tu mihi Deus es.

11 Noli à me abeſſe in tam præſenti periculo, ſubveniente nullo.

12 Tot me tauri circundant, opimi boves Baſanici circumſident,

13 Faucibus inhiant mihi tanquàm leones rapaces & rugientes.

14 Diffluo ut aqua: Diſſolvuntur omnes artus mei: Cor mihi mediis in viſceribus quaſi cera colliqueſcit.

15 Areſcunt tanquàm teſta vires meæ: Lingua mihi faucibus adhæret: Deniquè tu me in mortis cinerem redigis.

16 Circumſiſtunt enìm me canes plurimi, me circumvallat improborum caterva,

17 Mihi manus & pedes ità perfoderunt, ut enumerare poſſem omnia oſſa mea: Ipſi me intuentes aſpiciunt:

18 Meáque inter ſeſe veſtimenta partiti, ſuper veſte mea ſortem jecerunt.

19 Tu verò, Jova, abeſſe noli: O meæ vires, ad ſuccurrendum mihi feſtina:

20 Eripe animam meam ex gladio, hanc unicam ex caninis unguibus.

21 Defende me ab ore leonis: Aſſere me à cornibus monocerotis.

22 Prædicabo nomen tuum meis fratribus, in medio Te cœtu collaudans.

23 Qui Jovam reveremini, laudate eum: Hunc omnes Jacobi poſteri honorate, hunc formida omnis Iſraëlitica progenies:

24 Qui quidèm inopum inopiam non deſpiciat, aut abhorreat: Nec eos averſetur, ſed clamantes exaudiat.

25 A Te mea laudatio eſt in frequenti conventu, dum mea vota reddam apud tui reverentes.

26 Comedent inopes ad ſatietatem: Jovam laudabunt ejus ſtudioſi, animíſque vivent in perpetuum.

27 Jovæ memores ad e-

um ſe convertent omnes orbis regiones, & Te coram omnes gentium nationes adorabunt:

28 Jovâ regnum tenente, & gentibus imperante.

29 Comedent & adorabunt omnes orbis opulenti:

30 Ei ſe ſubmittent omnes qui in pulverem rediguntur: Animam ſuam in vita nemo conſervavit.

31 Mea progenies eum colet: Eóſque recenſebit Dominus in familiâ ſuâ.

32 Venient, cœlíque poſteris exponent, quâ ſit uſus juſtitiâ.

PSAL. XXIII.

PAſtor meus cum ſit Jova, nihil mihi deeſt:

2 In graminoſis paſcuis me ſtabulat; me ad tranquillas ducit aquas:

3 Meum recreat animum, me per juſtitiæ ſemitas propter ſuum nomen deducens.

4 Itaquè licèt per atram letiferámque vallem ingrediar, nihil mali metuam, quòd tu mihi adſis, méque tua virga conſoletur & pedum.

5 Tu mihi menſam inſtruis in adverſariorum conſpectu meorum, meúmque caput unguento perungis, exuberante meo poculo.

6 Quinetiàm me bonitas & benignitas, quamdiù vivam, ſequetur, incolámque Jovæ domum longo ævo.

MATUT.

PSAL. XXIV.

JOVÆ eſt terra, & quicquid eâ continetur: Orbis, & ejus incolæ.

2 Nam ipſe eam ſuper mari fundavit, ſupérque fluminibus fixit.

3 Quis aſcendet in montem Jovæ? quis in ejus ſacro loco ſtabit?

4 Qui & inſontibus manibus, & purâ mente præditus eſt: Qui non animo ſuo ad nequitiam utitur, neque malitiosè jurat.

5 Is à Jova felicitatem, à Deo ſervatore ſuo beneficentiam conſequetur.

6 Hoc eſt genus ſtudioſorum Jovæ, videlicèt Jacobæorum, qui ſunt ejus præſentiæ cupidi. Sela.

7 Attollite, portæ, capita veſtra: Efferte vos, aditus æterni, Rex ut glorioſus intret.

8 Quis eſt iſte Rex glorioſus? Jova potens, & fortis, Jova fortis bellator.

9 Attollite, portæ, capita veſtra: Efferte vos, aditus æterni, Rex ut glorioſus intret.

10 Quis eſt iſte Rex glorioſus? Jova armipotens Rex eſt glorioſus. Sela.

PSAL. XXV.

AD te, Jova, animum meum attollo; tibi, mi Deus, confido: Effice nè fruſtrer, nè mihi inſultent hoſtes mei.

2 Et ſanè quicunque in te ſperant, non fruſtrantur: Fruſtrantur perfidioſi nequam.

3 Vias tuas oſtende mihi, Jova; ſemitas tuas doce me.

4 Dirige me per tuam veritatem, me docens: nam tu Deus es meæ ſalutis, in quo perpetuam ſpem habeo.

5 Memento tuæ miſericordiæ, Jova, atque benignitatis, quæ ſunt ab omni æternitate.

6 Meæ juventutis peccata atque delicta meminiſſe noli, ut poſtulat tua clementia: memento mei pro bonitate tua, Jova.

7 Bonus & æquus eſt Jova, itaque ſontes viam docet:

8 Inopes ad æquitatem dirigit, eóſque ſuam docet viam.

9 Omnes Jovæ rationes clementia ſunt, & veritas, iis qui ejus fœdus & oracula conſervant.

10 Propter nomen tuum, Jova, da veniam meæ culpæ, quæ multa ſanè eſt.

11 Si quis homo eſt, qui Jovam metuat, huic ille viam demonſtrabit, quam eligat.

12 Et ipſe in bonis verſabitur, & ejus poſteritas terram poſſidebit.

13 Jovæ metuentibus patefit ejus arcanum, atque fœdus.

14 Jovam in oculis ſemper habeo: nam is meos pedes explicat ex retibus.

15 Reſpice me, & miſerere mei, qui deſertus & inops ſum.

16 Ingentibus animi premor angoribus: educ me ex meis periculis.

17 Aſpice meam miſeriam & labores, & ignoſce meis omnibus peccatis.

18 Aſpice quàm multi ſint hoſtes mei, qui me atroci perſequuntur odio.

19 Serva hanc animam, & me libera, nè me tibi confidiſſe pudeat.

20 Conſervent me integritas & æquitas, qui in te ſpem habeam.

21 Vindica, Deus, Iſraëlitas ex omnibus eorum anguſtiis.

PSAL. XXVI.

PAtrocinare mihi, Jova, qui me innocentèr gero, immotam in Jova fiduciam habens.

2 Experire & tenta me, Jova, meos renes atque cor explorans.

3 Equidèm benignitatem tuam mihi ob oculos poſitam habeo, & in tua veritate verſor.

4 Non ago cum hominibus nequam: non cum facinoroſis verſor.

5 Odi cœtum malorum, cum impiis non ago.

6 Lavo meas manus innocentiâ, & aram tuam, Jova, circundo.

7 Ut laudes voce perſonem, & tua tot enarrem miracula.

8 Jova, amo tui fani domicilium, tuíque glorioſi locum tabernaculi.

9 Noli meam animam ad improbos, vitam ad ſanguinarios aggregare:

10 Quorum manus flagitiis, quorum dexteræ corruptelis refertæ ſunt.

11 Ego me gero innocentèr, aſſere me, & miſerere mei.

12 Pes meus rectè conſtat, in cœtibus agam Jovæ gratias.

VESPERT.

PSAL. XXVII.

JOVA mea lux & ſalus eſt; ecquem metuam? Jova meæ vitæ firmamentum eſt; ecquem formidem?

2 Si me ſcelerati adverſarii & hoſtes mei invadant, ut meum corpus comedant, offenſuri ſint atque caſuri.

3 Si contra me caſtra fiant, non metuam animo: ſi in me bellum ſurgat, tamen confidam.

4 Unum à Jova petii, idémque oro, ut in Jovæ domo per omnem vitam meam habitem: Jovæ contemplans amœnitatem, & ejus templum perluſtrans.

5 Is enim me temporibus adverſis abdit in ſuo tentorio: me abſcondit in tabernaculi ſui latebra, me in rupem evehit.

6 Jámque meum caput efferet ſupra meos hoſtes, qui me circumſiſtunt,

7 Itaque in ejus tabernaculo mactabo victimas adoreæ, canens, cantánſque Jovam.

8 Exaudi, Jova, meam invocantis vocem; miſerere mei, exoratus à me.

9 Sic animo cogito, velle te tuum quæri conſpectum:

ctum: tuum conſpectum, Jova, quæro.

10 Noli tuum mihi conſpectum ſubtrahere; noli me tuum iracundè averſari,

11 Qui meum ſis præſidium: nè me relinque, Deus meæ ſalutis.

12 Nam etiamſi me pater matérque deſerant, tu me, Jova, receptas.

13 Doce me, Jova, tuam vivendi viam, & me rectâ ſemitâ deduc, propter meos adverſarios.

14 Nè me hoſtium meorum libidini dedito: nam in me ſurgunt falſi teſtes, & eſt qui crimen conflet.

15 *Actum eſſet de me*, niſi crediddiſſem me Jovæ bona viſurum in terra viventium.

16 Spem habe in Jovâ: fortis & conſtantis animi eſto, in Jovâ ſpem habens.

Psal. XXVIII.

Te, Jova, invoco, meum numen: noli te mihi præbere ſurdum, nè neglectus à te fiam quales qui deſcendunt in barathrum.

2 Exaudi meam vocem ſupplicem, quâ te, ſublatis ad tuum ſacrum penetrale manibus, imploro.

3 Noli me convellere, impiorum & maleficorum numero me habens; qui, cum aliis amicè loquentes malitiam gerunt in pectore.

4 His tu digna ſuis factis & morum pravitate præmia repende:

5 Hos, ut poſtulant eorum actiones, remunerare: dignámque his ipſorum meritis ſolve mercedem:

6 Quippe qui Jovæ facta, ejúſque manuum opera non perpendant, idcirco per eum à ſtirpe evertentur, non denuò ædificandi.

7 Gratias ago Jovæ, qui meam ſupplicantis vocem exaudiat.

8 Jova meæ vires & clypeus eſt, cui animo confido: à quo adjutus, animo exulto, eúmque meo carmine celebro.

9 Jova mea potentia eſt, & victoriarum uncti ſui firmamentum.

10 Serva tuos, tuæque hereditati fave, eos regens atque evehens in perpetuum.

Psal. XXIX.

Immolate Jovæ, ô divûm genus; pullos arietum immolate Jovæ, ei tribuentes gloriam atque potentiam.

2 Tribuite Jovæ debitam ſuo nomini gloriam, veneramini Jovam pio cultu.

3 In aquas imperium eſt Jovæ, Deus glorioſus tonat.

4 Jova oceani incumbit aquis;

aquis; Jovæ ſonitus prædi-tus eſt robore; Jovæ ſonitus præditus eſt autoritate.

5 Jovæ ſonitus frangit cedros, perfringit Jova cedros Libani:

6 Efficítque ut vitulorum ritu ſubſiliant Libanus & Sarion, more pullorum unicornium.

7 Jovæ ſonitus flammas erumpit igneas, Jovæ ſonitus tremefacit ſaltum, tremefacit Jova ſaltum Cadem.

8 Jovæ ſonitus cervas parere facit, ſylváſque nudat, cujus gloriam in ejus fano cuncti prædicant.

9 Jova manet in nimbis, & manet Jova rex in ſempiternum:

10 Jova dabit ſuis potentiam: Jova ſuos felicitabit pace.

MATUT.

PSAL. XXX.

EXtollam te, Jova, qui me allevaveris, neque meos hoſtes de me lætificaveris.

2 Jova, mi Deus, tu me invocantem ſanâſti:

3 Tu, Jova, meam animam revocâſti ab Orco, méque à Veſpillonibus vindicâſti.

4 Cantate Jovam, vos ejus pii, ſacram ejus memoriam perpetuis laudibus celebrantes:

5 Quippe momentanea eſt ipſius ira, benevolentia ejus vitâ donat: ſi veſperè fletus incumbat, adeſt manè lætitia.

6 Rebus ſecundis *indormiens*, dicebam, equidèm nunquam labefactabor, quandoquidèm Tu, Jova, pro tuo favore meum montem ita in tuto collocaveras.

7 Te tuum vultum abſcondente fui perturbatus:

8 Invocavi Te, Jova, ſupplicavi Domino in hunc modum:

9 Quodnam futurum eſt in meo lucrum ſanguine, ſi ad interitum adactus fuero?

10 Nunquid te pulvis celebrabit? Nunquid tuam fidem prædicabit?

11 Exaudi, Jova, & miſerere mei, téque mihi defenſorem præbe:

12 Tum tu meum mœrorem in chorum vertiſti; méque, exutum centone, amiciviſti gaudio.

13 Itaque ſine intermiſſione à piis omnibus cantaberis, Jova, mi Deus, me tibi immortales agente gratias.

PSAL. XXXI.

TIBI, Jova, confido, nè me unquam pu-

deat: me pro tua æquitate libera.

2 Præbe aurem mihi, propera me eripere:

3 Et eſto mihi firma rupes, tuta domus ad me conſervandum.

4 Nam tu mihi petra & propugnaculum es, qui me tui nominis causâ ducas atque perducas:

5 Tu me ex reti expedias, quod contra me occultatur: Quandoquidem tu meum es firmamentum.

6 Tibi in manum commendo ſpiritum meum: qui me redimis, Jova, Deus fidelis.

7 Odi eos qui improbitatem nequitèr retinent, ipſe Jovæ confidens.

8 Exultabo lætus in tuâ clementiâ, qui meam reſpexeris inopiam, cognitis animi mei angoribus:

9 Neque me in hoſtilem manum impegeris, ſed meos explicaveris pedes.

10 Miſerere mei, Jova, qui tanta ſum in anguſtia, ut mihi præ mœrore & oculi & animus & venter contabeſcant.

11 Mihi conſeneſcit vita præ gemitu, & præ ægritudine ætas.

12 Per peccata mea me meæ deficiunt vires, & oſſa contabeſcunt.

13 Omnibus inimicis meis probro ſum, & maximè vicinis: abhorrent me mei familiares, & qui me foris vident à me recedunt.

14 Animi oblivioni traditus, perinde ac mortuus, ſum quaſi vas perditum.

15 Nam à multis audio contumelias, terrore circumſeſſus conſpirantium contra me, & mihi animam eripere conantium.

16 Ego verò te, Jova, fretus, Deum meum appello,

17 Cujus in manu tempora ſunt mea: libera me ex hoſtium meorum manu, & ex meis infeſtis.

18 Illuſtra tuum me tuo conſpectu, conſerva me pro tua clementia.

19 Ne fruſtrer, Jova, qui te invocavi: fruſtrentur impii & compeſcantur Orco.

20 Obmuteſcant labra mendacia, quæ contra juſtos arrogantèr & faſtidiosè dicunt atrocia.

21 O quàm multa ſunt bona tua, quæ tui metuentibus recondidiſti, quibus tibi confidentes afficis coram humano genere!

22 Tu eos in tui conſpectûs latebra ſubtrahis hominum importunitatibus, eos quaſi tegumento protegens à linguarum jurgiis.

23 Gratias ago tibi, Jova, qui tuâ in me clementiâ

mi-

mirificè uſus ſis in urbe munita:

24 Qui, cùm ego in rerum mearum trepidatione putarem me ab oculorum tuorum conſpectu eſſe rejectum,

25 Tamen meam ſupplicem vocem à me imploratus exaudîſti.

26 Amate Jovam, omnes ejus pii, quia Jova & fideles tuetur, & ſuperbè agentes cumulatè remuneratur.

27 Eſte fortes, & vobis animos obfirmabit, quicunque Jovam ſuſpicitis.

VESPERT.

PSAL. XXXII.

BEatus cui remiſſum delictum, cujus obductum eſt peccatum.

2 Beatus homo cui non imputat Jova culpam, & cujus in animo dolus non eſt.

3 Equidèm, cùm tacitus totos dies ingemiſcerem, ſublabebantur membra mea.

4 Cúmque me dies noctéſque manus tua premeret, vertebatur ſuccus meus in æſtiva cremia. Sela.

5 Ergo meum tibi peccatum declarans, meam culpam non Te celavi.

6 Dixi meum delictum Jovæ confitendum eſſe, & Tu mei peccati culpæ ignoviſti. Sela.

7 Hanc ob rem Te pii omnes tempeſtivè precabuntur: Itaque quantumvìs redundent fluctus, eos non attingent.

8 Tu mihi latebra es, qui me in rebus adverſis tueris, & liberationis ovatione circumfundis. Sela.

9 Erudiam vos, & quâ viâ vobis ſit eundum oſtendam, vobis oculo meo conſulens.

10 Nolite ſimiles eſſe equis aut mulis ratione carentibus, quorum maxillæ frenis ſunt & lupatis coercendæ, nè quem invadant.

11 Multis doloribus afficientur impii: qui verò Jovæ confidunt, ii benignitate circumfundentur.

12 Gaudete in Jova, & exultate juſti: ovate omnes probæ mentis homines.

PSAL. XXXIII.

OVate, juſti, in Jova, probos decet laudatio.

2 Celebrate Jovam citharâ: hunc nablio cantate decem chordarum.

3 Hunc canite novo carmine, ſcitè cum læto ſonitu fidibus ludentes.

4 Nam Jovæ & dicta recta, & facta omnia vera ſunt.

5 Amat juſtitiam atque jus: Jovæ benignitate plenus eſt orbis terrarum.

6 Ad

6 Ad Jovæ dictum facti ſunt cœli, & ad ejuſdem oris ſpiritum omnes eorum copiæ.

7 Is maris aquas quaſi in cumulum acervavit, undis in cellas conditis.

8 Ergo Jovam metuant omnes terræ, hunc omnes reformident habitatores orbis.

9 Nam quod ipſe dicit, id fit: quod jubet, exiſtit.

10 Jova gentium conſilia diſſolvit, populorum conatus reddit irritos, & principum labefactat conſilia.

11 Jovæ conſilium in ſempiternum perſtat: Jovæ mentis cogitata in alias atque alias durant ætates.

12 Felix eſt natio, cujus Jova Deus eſt: populus, quem ille ſibi poſſidendum delegit.

13 De cœlis deſpectans Jova cernit omne genus hominum. Ex habitationis ſuæ domicilio contemplatur omnes orbis terrarum incolas:

14 Quorum & corda finxit, & omnia facta perſpicit.

15 Non rex copiarum multitudine ſervatur, non miles virium præſtantiâ liberatur.

16 Fallax eſt equus ad defenſionem, neque ſui magnitudine roboris eripit ex periculo.

17 Enimverò intentum habet oculum Jova in ſui metuentes, in eos qui ſuſpiciunt ejus clementiam:

18 Ut eorum animas à morte liberet, eóſque in fame conſervet.

19 Anima nobis in Jovam ſpectat, adjutorem, & propugnatorem noſtrum:

20 In quo mente gaudemus, cujus ſacro nomine confidimus.

31 Utere tuâ erga nos, Jova, clementiâ, uti nos Te ſuſpicimus.

PSAL. XXXIV.

AGam Jovæ gratias omni tempore, ejus laudes ſemper habens in ore.

2 De Jova anima mea ſe jactabit: quo audito lætabuntur inopes.

3 Magnificate Jovam unà mecum, ejúſque nomen paritèr extollamus.

4 Jovam oravi, qui exoratus ex omnibus me liberavit terroribus.

5 Hunc qui intuebantur renidebant, nihil vultu erubeſcentes.

6 Hunc inopem Jova invocantem exaudivit, & ex omnibus vindicavit anguſtiis.

7 Circummunit Jovæ angelus ejus metuentes, atque defendit.

8 Guſtate, & videte quàm bonus

bonus ſit Jova, quámque felix ſit homo, qui ei confidit.

9 Reveremini Jovam vos ejus ſancti, nam eum reverentibus nihil deeſt.

10 Etiam juvenes leones penuriâ & fame laborant, at Jovæ ſtudioſi nullo bono carent.

11 Adeſte, nati, audite me; & vos Jovæ metum docebo.

12 Si quis es homo vitæ cupidus, ævi amans, ut potiare bonis:

13 Contine linguam tuam à malitia, & labia à loquendo fraudulentèr.

14 Abſtine à malo, & fac bene: ſtude paci, eámque ſequere.

15 Habet Jova intentos oculos in juſtos: & aures ad eorum implorationem.

16 Habet Jova intentam in maleficos faciem, ut eorum memoriam ex terris extirpet.

17 Juſtos invocantes exaudit Jova, & ex omnibus eripit anguſtiis.

18 Adeſt Jova mente fractis, & animo afflictos conſervabit.

19 Quamvìs multa ſint juſtorum mala, ex omnibus eos Jova liberat.

20 Eorum membra omnia ſic ſervans, ut eorum nullum frangatur.

21 Perimet improbitas impios, & evertentur juſtorum inimici.

22 Aſſeret ſuorum animam Jova, nec quiſquam evertetur eorum qui habent in eo fiduciam.

MATUT.

PSAL. XXXV.

CONtende, Jova, cum iis qui contendunt mecum: pugna cum meis oppugnatoribus.

2 Cape clypeum, ſcutúmque, & mihi ſurge in auxilium.

3 Haſtam expedi & infeſtus, occurre meis infeſtis pronuncians mihi eſſe te meam ſalutem.

4 Turpitèr fruſtrentur, qui meæ neci ſtudent: fœdè retrocedant, qui mihi malum cogitant.

5 Similes ſint aceri per auras, agitante Jovæ angelo.

6 Sit eorum via tenebricoſa, atque lubrica, perſequente Jovæ angelo.

7 Nam contra me ſine causâ ſuum pernicioſum rete abdunt: ſine causâ foveam in meum faciunt periculum.

8 Accidat ei nec opinanti pernicies: capiat eum rete, quod ipſe occuluit, eò delapſum ad exitium.

9 Tum meus animus in

Jova

Jova exultabit, Jovæ defenſione lætus.

10 Omnia mea membra ſic dicent: O Jova, quis tibi par eſt? qui inopes à potentioribus, inopes & pauperes ab ipſorum tuere deprædatoribus.

11 Surgunt teſtes injurii, quæ ignoro, eorum me poſtulantes.

12 Mihi malum pro bono reddunt, ut me vitâ orbent.

13 Atqui mihi, ægrotantibus eis, veſtis erat cento: Affliƈtabam meipſum jejunio, & preces in ſinum meum redibunt.

14 Perindè ac ſi meus neceſſarius, aut frater eſſet, ſic me gerebam: Tanquam in materno funere pullatus, atque dejeƈtus.

15 At illi in meo caſu lætati ſunt coëuntes: Imò viliſſimi quique coiêrunt in me nec opinantem, labiis diduƈtis ſine intermiſſione proſcindentes.

16 Paraſitis aderant impuri helluones, dentibus in me ſtridentes.

17 O Domine, ecquando hæc aſpicies? retrahe hanc animam ab eorum ſævitia, à leonibus hanc unicam.

18 Celebrabo Te ingenti in conventu. Te in magna hominum frequentia laudabo.

19 Effice nè de me gaudeant, qui mihi falsò ſunt hoſtes: Nè oculis ſignificent, qui me immeritò odêre.

20 Qui quidem tantum abeſt ut amicè loquantur, ut in hominum quietiſſimos malitioſa verba excogitent:

21 Et, diduƈto contra me ore, ita diƈtitent, Oho, oho, videbamus oculis noſtris.

22 Vides, Jova, nè conniveto; Domine, noli à me abeſſe:

23 Excitare & expergiſcere ad judicium meum, mi Deus, & Domine, ad cauſam meam.

24 Judica me pro tua juſtitia, Jova mi Deus, & effice nè de me lætentur:

25 Nè ſic cum animis ſuis cogitent, ſe voti compotes eſſe, jaƈtantes me à ſe devoratum.

26 Pudeat ignominiosè eos, qui meo malo gaudent: Pudore & turpitudine circumfundantur, qui contra me inſoleſcunt.

27 Ovent & gaudeant innocentiæ meæ cupidi, ſemper diƈtitantes magnificandum eſſe Jovam, cui ſui cultoris ſalus placeat.

28 Et mea lingua tuam juſtitiam, tuas meditabitur aſſiduè laudes.

PSAL. XXXVI.

IMpii perverſitas mihi penitùs in mente loquitur, eum nullam ob oculos habere propoſitam religionem.

2 Adeò ipſa ſibi blanditur, & placet, ut ejus vitia reperiantur odioſa.

3 Ejus oris verba improba ſunt, & fraudulenta: à recta vel ſententia, vel actione abſtinet.

4 Improba in lecto ſuo excogitat, viam inſiſtit non bonam, à malo non abhorret.

5 O Jova, tua cœleſtis eſt benignitas, ætherea fides:

6 Juſtitia proceris montibus altior, judicia Oceano profundiora.

7 Homines tu beſtiáſque conſervabis, Jova, quàm excellenti præditus es clementiâ, Deus? in alarum tuarum umbra fiduciam habebit hominum genus:

8 Tuæ domûs ubertate circumfluet, eos te tuarum flumine deliciarum perfundente.

9 Nam te penes eſt vitæ fons, & in lumine tuo lumen videbimus.

10 Extende tuam clementiam in eos qui te nôrunt, juſtitiam in probæ mentis homines.

11 Nè me ſuperborum pes aggrediatur, nè manus vexet impiorum.

12 Eò delabantur malefici, ſic agitati ut ſurgere non poſſint.

VESPERT.

PSAL. XXXVII.

NOLI propter malos te torquere, noli maleficis invidere.

2 Nam gramine citiùs ſuccidentur, & ut herbæ viriditas marceſcent.

3 Confide Jovæ, & benefac: Incole terram, & firmè paſcêris.

4 Fruere Jovâ, & tibi animi tui poſtulata concedet.

5 Reclina in Jovam tuas rationes, eíque confide, & ipſe rem tranſiget.

6 Tuámque innocentiam luce evidentiorem, tuum jus meridie clarius efficiet.

7 Acquieſce in Jovâ, illum patientèr expectans: Nè te crucia propter fortunatos, prava conſilia capientes.

8 Deſiſte ab ira, deſine ſuccenſere, nè te crucia, ut quidem malè facias.

9 Nam mali exſcindentur: Qui verò in Jova ſpem habent, terram poſſidebunt.

10 Paulò pòſt jam nuſquam erit impius, ejúſque

locum

locum ſi contemplêre, nuſquam extabit.

11 At inopes terram poſſidebunt, multâ fruentes pace.

12 Conantur impii nocere bonis, & dentibus in eos frendent.

13 Ridet eos Dominus, quòd videt eorum adventare diem.

14 Gladios ſtringunt impii, arcúſque ſuos intendunt, ut inopes & pauperes dejiciant, ut rectè viventes trucident.

15 Eorum & gladius ipſorum cor penetrabit, & arcus frangentur.

16 Multò præſtat tenuis res juſtorum, quàm impiorum opulentia.

17 Nam impiorum lacerti frangentur: At bonos Jova ſuſtinet.

18 Habet Jova eam vitæ hominum integrorum rationem, ut eorum ſit hereditas in perpetuum duratura.

19 Non pudebit eos calamitoſo tempore, & vigente fame ſaturabuntur.

20 Cùm interim impii peribunt, Jovæ inimici conficientur, ut opimi in fumum evaneſcentes agni.

21 Mutuatur impius, neque reddit: Bonus verò miſeratur, atque largitur.

22 Nam quibus ille bene vult, terram poſſidebunt: Quibus autem malè vult, exſcindentur.

23 Probi hominis greſſus à Jova firmantur, ejúſque vitæ via illi accepta eſt.

24 Si cadit, non peſſum it, Jovâ eum manu ſuſtinente.

25 Puer fui, & jam ſenui, neque tamen vidi juſtum derelictum, aut ejus progeniem deſiderare victum.

26 Quotidiè miſeretur & commodat, & ejus progenies abundat.

27 Recede à malo, & benefac, & durabis in perpetuum.

28 Nam Jova, juris amans, pios ſuos non deſerit, quin in æternum cuſtodiantur.

29 Improbi verò dabunt pœnas, & ſemen impiorum exſcindetur.

30 Juſti terram poſſidebunt, & in ea durabunt in perpetuum.

31 Juſtus ore ſapientèr diſſerit, linguáque jus loquitur.

32 Et, Dei legem in mente habens, greſſibus non titubat.

33 Speculatur impius juſtum, eúmque ſtudet necare.

34 Sed Jova eum non deſeret in illius manu: Neque

que damnabit, cùm judicabitur.

35 Spera Jovam, ejúſque viam tene, evehet te in terræ poſſeſſionem, impióſque videbis everti.

36 Vidi ferocem impium, & frondentis more lauri virentem.

37 Præterii; ecce, jam non extabat, quærentíque mihi ipſius ne veſtigia quidem inveniebantur.

38 Integræ vitæ ſtudioſus ſis, animo ad honeſta quæque attento, ſic erit tibi felix exitus.

39 Cùm improbi ſimul pereant, ſítque impiorum exitus exitium.

40 Juſtorum ſalus à Jova eſt, qui eſt eorum firmamentum temporibus adverſis.

41 Qui Jova eis ſuccurrit, eóſque liberat: Liberat ab impiis, atque conſervat, quandoquidèm habent in eo fiduciam.

MATUT.

PSAL. XXXVIII.

JOVA, noli in me ſæviùs animadvertere: Noli me iracundè punire.

2 Nam mihi tua tela infixa ſunt, tua me urget manus.

3 Nihil eſt ſanum in meo corpore, tanta eſt tua ſævitia: Nihil eſt in meis membris illæſum, propter peccatum meum:

4 Nam mea delicta, meum ſupergreſſa caput, me quaſi grave quoddam onus opprimunt.

5 Putrídæ fœtent vomicæ meæ, propter meam inſaniam.

6 Affligor & deprimor vehementèr, aſſiduè pullatus incedens.

7 Nam illa mea plena ſunt fœditate, nec quicquam eſt ſanum in meo corpore.

8 Vehementèr enervor & atteror, præ animi ægrimonia congemiſcens.

9 Domine, quid omnino cupiam, tibi perſpicuum eſt: Quid ſuſpirem, non te præterit.

10 Cor mihi palpitat, vires me deficiunt, adeò ut ne oculos quidem, nédum lumen habeam.

11 Amici neceſſariíque mei à meo vulnere abſiſtunt: Mei propinqui procul aſtant.

12 Qui verò meæ neci ſtudent, inſidias tendunt, qui mihi malum cupiunt, ſceleratè deliberant, & fraudes aſſiduè comminiſcuntur.

13 At ego non magìs quàm ſurdus audio, neque magìs hiſco quàm mutus.

14 Súmque perindè ac ſi quis non audiat, nec in ore confutationem habeat.

15 Etenim in Te, Jova, ſpem habeo, tu mihi imploranti reſpondebis, Domine mi Deus.

16 Sollicitus ſanè fui, nè ſim inimicis meis voluptati. Nam mihi, ſi pede vacillavero, ſeſe efferentes inſultabunt.

17 Nam equidèm ſum in caſum pronus, meo dolore mihi ſemper obverſante.

18 Ergo meum vitium oſtendam, anxius ob meum peccatum.

19 At hoſtes mei vivunt, valéntque, & frequentes ſunt qui me injuriâ oderunt.

20 Malúmque pro bono rependunt, mihi adverſantes eò quòd ſequor bonum.

21 Ne deſere me, Jova mi Deus, ne mihi abeſto.

22 Propera mihi ſuccurrere, ô Domine mea ſalus.

PSAL. XXXIX.

STatueram eam vitæ viam tenere, ut ne quid linguâ peccarem:

2 Meúmque os frenare, quamdiù mihi obverſarentur impii.

3 Obmutui ſilentio: à bonis etiam dicendis ita abſtinui, ut etiam meus dolor crudeſceret.

4 Adeò mihi cor in pectore incaluit, ut cogitationis igne ardeſcens ita demum linguâ loquerer meâ:

5 Oſtende mihi, Domine, meum exitum, & quis ætatis meæ ſit modus, ut ſciam quàm ſim longævus.

6 En tu mihi ætatem conceſſiſti dodrantalem, meúmque ævum ferè nihil eſt apud te: adeò omnino nihil eſt omnis hominis natura. Sela.

7 Adeò imaginariam vitam ducit homo: adeò temerè tumultuatur, congerens quæ quis ſit percepturus ignorat.

8 Et nunc quid ſperem, Domine, niſi ut in te ſitam ſpem habeam?

9 Ex omnibus meis delictis libera me: Ne me inſanorum ludibriis expone.

10 Obmuteſcebam, ne mutiens quidem, Te negotium tranſigente.

11 Aufer à me tuum vulnus: tuæ manûs ſævitiâ deficio:

12 Qui, cùm de homine vitii ſumis ſupplicium, ejus elegantiam tineæ more ſideras, adeò nihili eſt omnis homo. Sela.

13 Exaudi meas preces, Jova, meam attendens querelam: Ad meas lachrymas ne obſurdeſce:

14 Nam peregrinus apud te ſum, advena, ſicut omnes mei majores.

15 Re-

15 Relaxa me, ut me colligam, priuſquàm eò devenio, ut nullus ſim.

PSAL. XL.

JOvam ſperavi, & mihi flexus eſt, meámque exaudivit implorationem.

2 Et me ex horrida voragine, ex cœnoſo luto extraxit, meóſque pedes in rupem evexit, meos greſſus confirmans:

3 Et ori meo carmen novum ſuppeditavit, Dei noſtri laudationem.

4 Quo viſo, multi Jovam verebuntur, ei confidentes.

5 Beatus homo, qui collocat in Jova ſuam fiduciam, nec in arrogantes falſique ſectatores intuetur.

6 Tua, Jova mi Deus, erga nos miracula, atque cogitata ſunt inæſtimabilia; neque quiſquam iis recenſendis par eſt:

7 Mihi de iis prædicare & loqui volenti occurrunt innumera.

8 Sacrificium & fertum tibi non placet: Sed aurem mihi vulſiſti, *admonens*,

9 Te victimas & piacula non poſtulare: Ergo ita dico: En adſum,

10 In tui volumine libri de me ſcriptum eſt, ut tuam voluntatem exequar, mi Deus, tibi loquenti lubens obſequor, tuam legem in imis habens viſceribus.

11 Juſtitiam frequenti conventu prædico, labra mea nequaquam continens, ut Túte ſcis, Jova.

12 Juſtitiam tuam in meo pectore non texi: Tuam fidelitatem & defenſionem prædicavi.

13 De tua clementia & fide frequentem cœtum minimè celans.

14 Tu, Jova, noli me à tua excludere miſericordia, quin me tuâ clementiâ & fide ſemper tueare.

15 Nam me innumerabilia mala circumcludunt: Tot me mea vitia opprimunt, ut ea perſpicere nequeam: Adeóque mei capitis capillos ſuperant, ut animum deſpondeam.

16 Placeat tibi, Jova, liberare me: Jova, ad mihi ſuccurrendum feſtina.

17 Fruſtrentur fœdè, qui mihi animam extinguere conantur: Retrocedant turpitèr, qui mihi malum cupiunt.

18 Evertantur ob ſuam impudentiam, qui de me ſic dicunt, Oho, oho.

19 Exultent & lætentur in Te omnes ſtudioſi, jugitérque Jovam extollendum eſſe dictitent amatores tuæ tutelæ.

20 Miſer quidem ego ſum & inops: Mihi tamen Dominus proſpicit.

21 Tu meus es defenſor liberatórque, mi Deus, ne cunctare.

VESPERT.

PSAL. XLI.

BEatus qui egentium habet rationem: Eum adverſo tempore liberabit Jova.

2 Illum ita Jova tueatur & conſervet ut ſit in terris felix: Nec eum libidini dedat inimicorum:

3 Jova eum in lecto ægrotantem recreet: Morbóque laborantis totum ſtratum obeat.

4 Equidèm ità dixi: Jova, miſerere mei, medere animo meo, qui in Te peccavi.

5 Inimici mei mihi maledicunt: Quando morietur, ejúſque nomen peribit?

6 Quòd ſi quis me viſit, falſum loquitur animo improbum aliquid apud ſe conflans, quod foràs egreſſus eloquatur.

7 In me ſuſurrant univerſi adverſarii, mihi malum cogitantes.

8 Nempe me malâ re urgeri, neque jam, poſtquàm decubui, ſurrecturum.

9 Quinetiam meus amicus, cui fidebam, meus convictor calce me petit.

10 Tu verò, Jova, miſerere mei, & me ſic attolle, ut illis merita rependam.

11 Hinc intelligo te mihi favere, quòd de me non triumphat inimicus meus.

12 Quódque me tueris incolumem, & in tuo conſpectu conſtituis in perpetuum.

13 Collaudetur Jova Deus Iſraëlitarum, per omnem æternitatem. Etiam atque etiam.

PSAL. XLII.

QUemadmodùm cerva mugit ad aquæ rivos, ſic meus animus mugit ad Te, Deus.

2 Sitit meus animus Deum; ad immortalem Deum quando veniam, & in Dei præſentia comparebo?

3 Lachrymis paſcor dies atque noctes, dum hoc mihi quotidiè objicitur, Ubi eſt Deus tuus?

4 Equidèm hæc (animi mei affectionem apud me effundens) recordor, ſolitum me illis numeroſè præire ad fanum.

5 Cum læta voce laudúmque celebratione, turbâ feſtum agente.

6 Quid te abjicis, anime

mi,

mi, & in me turbaris?

7 Spem habe in Deo, quem adhuc celebrabo, præſentem conſecutus ab eo ſalutem.

8 O mi Deus, in me ſe dejicit meus animus, ideóque tui memini in regione Jordanenſi, & Hermone monte exiguo.

9 Unda undam invitat, ſonantibus tuis torrentibus: Omnes me tuæ impreſſiones & fluctus obruunt.

10 Solebat quidem Jova ea interdiù conferre beneficia, ut noctu carminibus & precationibus ad Deum vitæ meæ uterer.

11 Nunc ſic ad Deum rupem meam conquerendum eſt, Cur ita mei immemor es? Cur pullatus incedo, hoſte ſæviente?

12 Membra mea quaſi ſicâ proſcinduntur: Dum adverſarii moleſtè conviciantur:

13 Nempe ita quotidiè dictitantes, Ubi eſt Deus tuus?

14 Quid te ita dejicis, anime mi? aut quid in me ita turbaris?

15 Spem habe in Deo, quem adhuc celebraturus ſum, meum præſentem Servatorem atque Deum.

PSAL. XLIII.

PAtrocinare mihi, Deus, & meam cauſam age: Ab inhumana natione, ab homine malitioſo & iniquo libera me.

2 Nam Tu, qui meæ potentiæ Deus es, cur me repellis? Cur pullatus ingredior, hoſte ſæviente?

3 Mitte lucem fidémque tuam, quæ mihi duces ſint, méque in ſacrum tuum montem, & in tuas perducant ſedes.

4 Et accedam ad aram divinam, ad Deum meæ voluptatis delicias, Téque citharâ celebrabo, Deus, mi Deus.

5 Quid te ita dejicis, anime mi? aut quid in me turbaris?

6 Spem habe in Deo, quem adhuc celebraturus ſum, meum præſentem Servatorem atque Deum.

MATUT.

PSAL. XLIV.

DEUS, auditione, & majorum noſtrorum narratione, accepimus, quale tu opus olim eorum temporibus patraveris.

2 Qui eos (expulſis tuâ manu gentibus) conſeveris,

cæteríſque nationibus malo affectis immiſeris.

3 Neque enim ſuis armis quæſivêre terram, neque ſui eis lacerti peperêre victoriam:

4 Sed tua dextera, & tuum brachium, & tui vultûs lumen, quòd eis favebas.

5 Tu Rex noſter es, ô Deus, affice victoriâ Jacobæos.

6 Per Te noſtros profligabimus hoſtes: Per tuum nomen peſſundabimus adverſarios.

7 Non enim arcubus noſtris confidemus, non nos noſtri defendent enſes.

8 Sed Tu nos ab hoſtibus defendis, oſoréſque noſtros fœdè fruſtraris.

9 In Deo nos ſempèr jactamus, tuum nomen celebrantes perpetuò. Selæ.

10 Atqui tu nos repulſos afficis ignominiâ, neque cum noſtris copiis egrederis.

11 Nos hoſti vertere terga cogis, ab oſoribus noſtris diripiendos.

12 Nos pro comedendis ovibus habes, per cæteras gentes diſſipatos.

13 Tuos ſine ulla utilitate vendis, nihil ex eorum precio auctus.

14 Nos vicinorum probris, finitimorum deriſioni & ludibriis exponis.

15 Nos gentium dicteriis objicis, nationúmque ſannis.

16 Aſſiduè nobis obverſatur noſtra turpitudo, vultûſque pudore velamur.

17 Propter maledicorum convitiatorúmque voces, propter hoſtes & infeſtos.

18 Hæc omnia patientes, non tamen Tui ſumus immemores, fœdúſve tuum violamus.

19 Non mentibus retrocedimus, aut greſſibus de viis tuis deflectimus.

20 Ne quidem cùm nos in feralem detruſos locum tetrâ nocte operias.

21 Quòd ſi Dei noſtri nomen obliti, manus ad alienum Deum porrexerimus, nónne Deus animadvertet id, qui mentis arcana novit?

22 Sed tuâ causâ quotidiè interficimur, & pro ovibus lanienæ ducimur.

23 Excitare, cur dormis, Domine? expergiſcere, ne nos perpetuò rejicias.

24 Cur tuum vultum abdis? immemor noſtræ miſeriæ & calamitatis:

25 Qui, humi peſſundatî, pectoribus adhæremus terræ?

26 Agedum ſuccurre nobis, & nos vindica pro tua clementia.

PSAL. XLV.

DIctat meus animus elegantem orationem: eloquor

eloquor ego meum opus regi,

2 Linguâ utor pro ſtylo velocis notarii.

3 Tu generis hominum formoſiſſimus, labra habes gratiâ perfuſa: ergo tibi favet Deus in perpetuum.

4 Accinge femori gladium tuum, heros, tuum decus & gravitatem:

5 Atque iſtâ grävitate felicitèr invehere, fidei & tàm mitis juſtitiæ ergô: & tua tibi dextera res oſtendet ſtupendas,

6 Tela tua præacuta (tibi populis ſuccumbentibus) in corda hoſtium regis diriges.

7 Solium tuum, ô Dive, in omnem permanet æternitatem, ſceptrum æquitatis ſceptrum regni tui eſt.

8 Juſtitiam amas, peroſus impietatem: propterea Deus, tuus Deus, oleo te lætifico potiùs inunxit, quàm tuos ſocios.

9 Nihil niſi myrrha & ſtacte & caſia ſunt veſtimenta tua, intra eburnea palatia unde voluptatem percipis.

10 Regiæ puellæ tibi ſunt in deliciis: aſtat tibi ad dexteram ſponſa auro Ophirio inſignitèr exornata.

11 Audi, puella, vide ut aurem præbeas, & tuos populares patriámque obliviſcare domum:

12 Et tuæ pulchritudinis amore capietur rex, is enim tuus eſt Dominus tibi colendus.

13 Tum puella Tyri, ditiſſimi quique tibi cum muneribus coràm ſupplicabunt.

14 Omnis puellæ regiæ ſplendor eſt intimus, veſte auro ſegmentatâ.

15 Ea ducetur ad te, ô Rex, in veſtibus Phrygiis, eámque ſequentes virgines, ejus amicæ, tibi adducentur.

16 Adducentur cum gaudiis & exultatione in regiam intrantes.

17 Parentibus tuis ſuccedent tui liberi, quos toto orbe principes conſtituas.

18 Ego verò tui nominis memoriam omni poſteritatis ætati mandabo, ita ut Te populi in omnem ſeculorum perpetuitatem concelebrent.

PSAL. XLVI.

DEUS nobis fiducia & robur eſt, præſidium rebus in adverſis præſentiſſimum.

2 Itaque non metuemus, licèt terra moveatur, & montes in medium mare transferantur:

3 Tantâque tempeſtate turbentur maris undæ, ut ad ejus æſtus montes contremiſcant. Sela.

4 Di-

4 Divinam quidem urbem, ſacrum Supremi domicilium, ſuus delectabit amnis fluvii.

5 Quæ (cum in ea verſetur Deus) non commovebitur, Deo ei maturè ſuccurrente.

6 Tumultuantur gentes, regna concitantur; at Deo vocem emittente tellus ipſa colliqueſcet.

7 Jova nobis armipotens adeſt, nobis munimento eſt Deus Jacobæorum. Sela.

8 Adeſte, contemplamini Jovæ opera, quàm ſtupenda edat in terris.

9 Bella placat ad ultimas uſque terras: perfringit arcus, detruncat haſtas, currus igni cremat.

10 Deſiſtite, & me Deum agnoſcite, extollendum in gentibus, extollendum in terris.

11 Jova nobis armipotens adeſt, nobis munimento eſt Deus Jacobæorum. Sela.

VESPERT.

PSAL. XLVII.

OMnes nationes, applaudite, acclamantes ovante voce Deo.

2 Nam Jova ſupremus terribilis eſt, Rex magnus in toto orbe terrarum.

3 Qui nobis cæteras nationes, qui populos noſtris ſubjiciet pedibus.

4 Qui nobis poſſeſſionem deliget pro Jacobæorum, quos amat, dignitate. Sela.

5 Aſcendit cum jubilatione Deus, Jova cum tubæ ſonitu.

6 Cantate Deum, cantate, cantate regem noſtrum, cantate.

7 Nam Rex eſt totius orbis Deus, cantate ſcitè.

8 Regnat Deus in gentes, Deus in ſuo ſacro ſedens ſolio.

9 Populorum primarii colliguntur, hoc eſt, populus Dei Abrahami, in cujus tam ſublimis Dei tutela eſt orbis terrarum.

PSAL. XLVIII.

MAgnus eſt Jova, & præcipuè laudandus in urbe Dei noſtri, ſacro ejus monte.

2 Amœnus tractus, totius orbis terrarum voluptas mons Sion eſt, ſeptentrionalis, regis urbs magni: cujus in arcibus notus eſt propugnatione Deus.

3 Ecce enim terrarum Domini congregati proceſſerunt.

4 Hæc ut viderunt admirati ſunt, ita attoniti ut perturbarentur;

5 Tremore

5 Tremore correpti ſunt, qualis dolor eſt parturientium :

6 Quemadmodùm franges Euro naves in alto deprehenſas.

7 Qualia audivimus, talia vidimus in urbe Jovæ armipotentis, in urbe Dei noſtri, eam Deus condit in æternum. Sela.

8 Manemus quieti, Deus, tuam clementiam, in medio ſano tuo.

9 Ut tuum nomen, Deus, ſic tua laus pertingit ad ultimas terras, qui dexteram habeas juſtitiâ plenam.

10 Gaudeat mons Sion, exultent Judææ puellæ, propter tua judicia.

11 Circuite, & circundate Sionem: numerate turres ejus.

12 Advertite animum ad ejus propugnaculum, notate ejus arces, ut hæc narretis poſteritati.

13 Nam Deus hic, Deus noſter eſt ſempiternus, perpetuò recturus nos.

PSAL. XLIX.

AUdite hoc, nationes omnes : attendite, omnes orbis incolæ :

2 Obſcuri juxtà ac illuſtres, divites æquè ac pauperes.

3 Ore docta eloquar, prudentèr à mente cogitata.

4 Aures intendam ſententiis, pandens ænigma meum citharâ.

5 Cur metuam malorum temporibus, circumſtante me meorum pœnâ calcaneorum ?

6 Sunt qui ſuis fidunt opibus, & in ſuarum abundantia divitiarum gloriantur ;

7 At non redimeut alius alium, non ſuæ redemptionis precium Deo ſolvent :

8 Eſt enim cujuſque animæ precium majus quàm ut ab homine præſtari poſſit, itaque æternùm omittat :

9 Imò etſi diutiſſimè vixerit, nec viderit ſepulchrum.

10 Appaiet enim ſapientes ſimul & ſtultos fatuóſque mori atque perire, alii ſuas relinquentes opes.

11 Cogitant illi quidem ſuas domos æternas fore, ſuáque domicilia in alias atque alias ætates duratura, terras ex ſuis appellantes nominibus.

12 Atqui homines in exiſtimatione non permanebunt ; cùm ſimiles ſint beſtiis intereuntibus, cúmque hic ſit eorum mos.

13 Illorum tamen via nihil aliud quàm ſtultitia eſt, eorúmque inſtituto poſteri delectantur. Sela.

14 Illi quidem tanquàm pecudes

pecudes mandabuntur Orco, imperante morte, in eóſque dominabuntur probi ad matutinum, & eorum ſpecies abolenda eſt, eíſque domicilium futurus eſt Orcus.

15 At meam animam vindicabit ab Orco Deus, quandoquidèm me aſciſcet. Sela.

16 Ne metue, ſi quis dives ſit, domúmque multi ſplendoris habeat.

17 Nam in morte non auferet quicquam, non eum ſua ſequetur deorsùm gloria.

18 Placebat ille quidem ſibi in hac vita: & dum tu tibi indulgeas, laudaberis.

19 Deveniet ad majorum ſuorum genus ad extremum non viſurus lumen.

20 Homo, qui in precio eſt neque ſapit, ſimilis eſt beſtiis quæ intereunt.

MATUT.

PSAL. L.

DEUS deorum Jova dixit ſe convocaturum orbem terrarum, ab ortu ſolis ad occaſum.

2 Ex Sione cujus perfecta pulchritudo eſt, Deus extitit:

3 Veniet Deus noſter nec ſilebit, igne ante eum vorante vehementi circundatus tempeſtate.

4 Vocabit supernè cœlos atque terras, ad ſuos judicandos.

5 Convocentur ad me pii mei, cum quibus mihi fœdus ictum eſt per ſacrificium.

6 Tum cœlis ipſis juſtitiam ejus oſtendentibus, qui Deus judex ſit. Sela.

7 Audi, mi populus, inquiet, dum loquor, Iſraëlita, dum te commonefacio, Deus Deus ego tuus.

8 Non equidèm te propter ſacrificia tua, propter tuas ſolidas hoſtias apud me perpetuandas, reprehendam.

9 Non tauros ex tuâ domo, non hircos ex tuis accipiam caulis.

10 Nam mea ſunt omnia ſylveſtria animalia, omnes in mille montibus beſtiæ.

11 Omnes ego montanas volucres recognoſco, terreſtréſque belluæ me penes ſunt.

12 Quòd ſi eſurirem, non id tibi dicerem, meus cùm ſit mundus, & quicquid eo continetur.

13 Scilicèt aurinâ carne veſcar, aut hirçinum bibam ſanguinem?

14 Sacrifica Deo gratiis agendis, & ſolve Supremo tua vota.

15 Tum me rerum adverſarum tempore invocato: & ego te ita defendam, ut

ut tu me honores.

16 Impium autem ſic alloquitur Deus: Quorsùm tu mea narras inſtituta, meúmque fœdus in ore habes?

17 Cùm, diſciplinam exoſus, mea dicta poſt tergum rejicias.

18 Si furem conſpexiſti, curris cum eo: & cum adulteris habes commercium.

19 Os tuum laxâſti ad malum, linguâ fraudes conflans.

20 Sedens contra tuum fratrem loqueris de eo detrahens, cum quo tibi communis mater eſt.

21 Et iſta, me diſſimulante, faciens, arbitraris me tui fore ſimilem: ego verò coarguam, & te præſentem convincam.

22 Quæſo hoc advertite, qui Dei eſtis immemores, nè corripiam indefenſos.

23 Qui gratiis agendis ſacrificat, is me honorat: hâc viâ qui graditur, huic ego divinam ſalutem præſtabo.

PSAL. LI.

MIſerere mei, Deus, pro tua clementia, pro tua ſingulari miſericordia dele meam noxam.

2 Ablue me multùm à meo vitio, à meo peccato purga me.

3 Nam meam noxam agnoſco, meúmque peccatum mihi ſempèr obverſatur.

4 In te ſolùm peccavi, ínque tuis oculis hoc flagitium perpetravi, ut dictorum tuorum æquitas, judiciíque puritas appareat.

5 Equidèm in vitio genitus ſum, & in peccato me concepit mea mater.

6 Equidèm Tu veritatem in præcordiis amas, & occultè ſapientiam mihi demonſtrabis.

7 Expiabis me hyſſopo, & purus ero: Ablues me, & ero nive candidior.

8 Nunciabis mihi lætitiam atque voluptatem: ut exultent contuſa à Te membra.

9 Abde tuam faciem à meis peccatis, & omnia mea vitia dele.

10 Cor mundum crea mihi, Deus, compoſitúmque ſpiritum in meo pectore renova.

11 Ne me à tuo conſpectu rejice: néve mihi tuum Sanctum Spiritum aufer.

12 Redde mihi tuæ lætitiam defenſionis, & me principali Spiritu ſuſtenta.

13 Docebo peccantes tuas vias, ita ut nocentes tibi reconcilientur.

14 Vindica me à ſanguine, Deus, Deus meæ ſalutis: Mea lingua tuam modulabitur juſtitiam.

15 Domine, mea labia aperies, & os meum tuam laudem

laudem prædicabit.

16 Non enim ſacrificio delectaris, ut id exhibeam: Non Tibi acceptæ ſunt victimæ.

17 Divina ſacrificia ſunt fractus Spiritus: Fractam afflictámque mentem Tu, Deus, non deſpicies.

18 Benefac pro tuo favore Sioni: Conſtrue muros Hieroſolymæ.

19 Tunc juſtis ſacrificiis, victimis, & ſolidâ re divinâ delectabere: tunc immolabuntur ad aram tuam juvenci.

PSAL. LII.

QUid gloriaris in pravè factis, ô ferox?

2 Dum quotidiana ſit Dei clementia.

3 Tu ſcelera linguâ meditaris, quaſi acutâ novaculâ fraudes faciens.

4 Malum quàm bonum mavis, falſa quàm juſta loqui. Sela.

5 Amas omnem orationem temerariam, ô fraudulenta lingua.

6 Quaproptèr te Deus eruet ad extremum: ſublatúmque & avulſum ex tabernaculo extirpabit ex terra vivorum. Sela.

7 Hoc viſo territi juſti hunc deridebunt.

8 En hominem qui vires ſuas in Deo non collocabat: ſed, ſuarum divitiarum copiâ fretus, ſuâ nitebatur pravitate.

9 At ego quaſi virens olea in Dei domo verſabor, divinâ fretus clementiâ in omnem ætatem.

10 Te, Deus, hujus rei autorem celebrabo perpetuò, in tuo nomine ſpem habens, quod piis tuis placebit.

VESPERT.

PSAL. LIII.

COgitant inſani cum ſuis animis non eſſe Deum.

2 Adeò nefariis ſceleribus corrupti ſunt, nullus ut rectè faciat.

3 Deus de cœlo deſpicit in hominum genus, ut videat an ſit aliquis ſanus & religioſus.

4 Omnes pari improbitate deflectunt, adeò ut non ſit qui rectè faciat, ne unus quidem.

5 An non prorsùs inſaniunt hi malefici, meos tanquàm panem conſumentes, neque Deum invocantes?

6 Ibi expaveſcebant, ubi non erat timendum, tuorum enim membra oppugnatorum diſcerpit Deus; te eos fœdante, quos Deus abhorreat.

7 Utinam detur ex Sione ſalus

ſalus Iſraëlitis: Utinam revocet Deus ex captivitate ſuos!

8 Tunc exultent Jacobæi, gaudeant Iſraëlitæ.

PSAL. LIV.

DEUS, per tuum nomen ſerva me, per tuas vires patrocinare mihi.

2 Deus, audi meas preces, attende verbis oris mei.

3 Nam hoſtes conſurgunt in me, & crudeles meæ neci ſtudent, Deum ſibi non proponentes. Sela.

4 En Deus mihi ſuccurrit: Deus adeſt mihi vitam ſuſtentantibus.

5 Malum rependet meis adverſariis: Eos tu, Jova, pro fide tua diſperde.

6 Ego ultrò ſacrificabo, tuum tam mite nomen, Jova, celebrans.

7 Me ex omnibus rebus adverſis ita eripuit, ut ipſe meis oculis pœnas hoſtium viderim meorum.

PSAL. LV.

AUſculta, Deus, meas preces, & ne Te meæ ſubtrahe ſupplicationi.

2 Intende mihi, & concede quod oratione querulâ ac turbulentâ peto.

3 Propter hoſtium voces, propter impiorum importunitatem, qui comminiſcuntur in me crimen, mihi acerbè adverſantes.

4 Cor mihi in pectore trepidat, lethi me terrores inceſſunt:

5 Timor & pavor invadit, & horror tantus obruit,

6 Ut ita loquar: Utinam alas haberem, ut columba, tum in tutum avolarem.

7 Equidèm procul diſcederem, deſertis manſurus in locis. Sela.

8 Maturarem mihi fugam, ut à vento turbinoſo & tempeſtate evaderem.

9 Perde, Domine, divelle linguas eorum: Nam video crudelitatem & diſcordiam in urbe,

10 Quæ eam per muros dies, noctéſque circundant: Verſantur in ea crimina & facinora:

11 Verſatur inhumanitas, nec abſcedit ex ejus vicis dolus atque perfidia.

12 Non hoſtis in me bacchatus eſt, id potui ferre.

13 Non adverſarius meus in me invehebatur, eum potui devitare.

14 Sed tu mei ordinis homo, præcipuus, familiaríſque meus.

15 Qui arcana ſuavitèr inter nos communicabamus, qui in fanum conjunctè ventitabamus.

16 Tollat iſtos mors: Vivi deſcendant in Tartara: Quandoquidèm inter eos in

eadem verſantur habitatione ſcelera.

17 Ego Deum invocabo, méque Jova conſervabit.

18 Et veſperè & manè & meridie quiritans orabo, & meam vocem exaudiet.

19 Vitámque meam incolumem tutabitur à meis oppugnatoribus: Tam multi mihi adſunt.

20 Exaudiet Deus, eóſque opprimet, is qui manet æternus, Sela: Quorum nulla fiat mutatio, quíque Deum nihil revereantur.

21 Ille quidem iis manus affert, qui erant cum eo pacati, ſua pacta violans.

22 Et in ore dulciora butyro habens, in corde bellum gerit, verbis utitur oleo mollioribus, cùm ſint ſpicula.

23 Rejice tuum onus in Jovam, qui te fovebit: Nunquàm permiſſurus juſtum labefactari.

24 Tu verò, Deus, illos in foveam interitûs detrudes.

25 Homines ſanguinarii & fraudulenti ad ætatis ſuæ medium non provehentur: Cùm ego intereà Tibi, Jova, confidam.

MATUT.

Psal. LVI.

MIſerere mei, Deus: Nam me opprimunt homines, aſſiduè acritèr impugnantes.

2 Opprimunt adverſarii mei aſſiduè, nam multi me ſummâ ope oppugnant.

3 Equidèm meis periculoſis temporibus tibi confido.

4 In Deo promiſſa laudabo: in Deo fiduciam habens, non metuam nè quid mihi faciant mortales

5 Aſſiduè meis rationibus negotium exhibent, ſuas omnes cogitationes in meam perniciem conferentes.

6 Coëunt, deliteſcunt, meos calces obſervant, ſcilicèt meæ necis avidi.

7 An in nequitia ſua habebunt perfugium? Tu illos, Deus, iratus dejicies.

8 Tu, qui meas vagationes numeratas habes, refer meas lachrymas in tuum ſacculum, hoc eſt, in tuum commentarium.

9 Ita retrò agentur hoſtes mei, invocante me, qui ſciam à me ſtare Deum.

10 In Deo promiſſa laudabo: In Jova promiſſa laudabo.

11 In Deo fiduciam habens, non metuam nè quid mihi faciant mortales.

12 Tibi, Deus, vota dabo, Tibi ſolvam gratiarum actiones.

13 Qui meam vitam à morte, hoc eſt, meos pedes à caſu ſic defenderis, ut ingrediar

grediar coram Deo in luce vivorum.

PSAL. LVII.

MIſerere mei, Deus, miſerere mei, Tu, in quo animi fiduciam habeo, in cujus alarum umbra fiduciam habeo, dum tranſit inhumanitas iſta.

2 Invoco Deum ſupremum, Deum mearum tranſactorem rerum:

3 De cœlo auxilium mittet, quo me defendat ab injuriâ quâ opprimor. Sela.

4 Utetur Deus clementiâ ſuâ ac fide: Nam verſatur inter leones vita mea.

5 Jaceo inter incendiarium genus hominum, quorum & dentes ſpicula ſunt atque ſagittæ, & lingua gladius acutus.

6 Evehere ſupra cœlos, Deus, cujus gloria toto patet orbe terrarum.

7 Rete meis componunt greſſibus, ad meæ vitæ ruinam: Cavant ante me ſcrobem, in quam mediam caſuri ſunt ipſi. Sela.

8 Compoſito ſum animo, Deus, compoſito ſum animo ad canendum modulatè.

9 Expergiſcere, mea gloria: Expergiſcere, nablum & cithara: Expergiſcar primo mane.

10 Celebrabo Te apud nationes, Domine, te apud populos cantabo:

11 Cujus clementia ad cœlos, cujus fides ad æthram uſque porrigitur.

12 Evehere ſupra cœlos, Deus, cujus gloria toto patet orbe terrarum.

PSAL. LVIII.

VEréne certè juſta pronunciatis, ſenatores? ex æquo judicatis? ô genus humanum.

2 Imò & animis iniquitates agitatis in terris, & manibus injuriam libratis.

3 Deflectunt impii jam ab utero: Errant ab alvo matris falſiloqui.

4 Venenum habent, quale anguis venenum eſt; quale ſurdæ aſpidis, quæ ſibi aurem obturat;

5 Quæ magi vocem non audit, divini incantamentorum periti.

6 Deus, elide eorum dentes in ipſorum ore, leoninos maxillares evelle, Jova: Diffluant, ut aqua: Sagittáſque ſuas jaculantes deleantur funditùs.

7 Fiant ſimiles limaci in limum abeunti, & mulieris abortûs: Neque ſolem videant.

8 Quum nondùm ollæ veſtræ ſentient ardentes ſpinas, illi tanquàm crudi per iram vexentur.

9 Lætabitur bonus, viſo

ſupplicio, ſuáque veſtigia in impiorum ſanguine lavabit.

10 Atque ita confitebuntur homines bonis eſſe fructum, Deúmque eſſe qui terras moderetur.

VESPERT.

PSAL. LIX.

DEfende me à meis hoſtibus, mi Deus: Contra meos infeſtos me protege.

2 Defende me à maleficis, me ab hominibus tuere ſanguinariis.

3 Etenim meæ vitæ inſidiantur, coëuntes contra me homines prævalidi, nullo meo delicto aut peccato, Jova.

4 Nullo meo vitio concurrunt, ſéque parant; Tu verò age, mihi obviàm veni, & hæc aſpice.

5 Expergiſcere, Jova, Deus armipotens, Deus Iſraëlitarum, ad vindicandas gentes omnes, nullâ in quenquam perfidorum, & maleficorum uſurus miſericordiâ. Sela.

6 Veſperè reverſi ſtrepunt ut canes, urbémque circumeunt,

7 Et heu qualia ore vomunt, gladios habentes in labris, ſi quis audiat.

8 At tu, Jova, ludes eos, deridens gentes omnes.

9 Tibi vires meas acceptas feram, Deo propugnatori meo.

10 Deo erga me ſuâ clementiâ uſuro, Deo mihi in adverſarios meos exemplum edituro.

11 Noli eos interimere, nè hoc mei populares obliviſcantur: Agita eos tuâ vi, atque deprime, ô propugnator noſter Domine.

12 Ob ſui ſcelus oris, ob ſuorum dicta labiorum capientur in ſua ſuperbia, proptérque perjuria & mendacia quæ comminiſcuntur. Sela.

13 Confice ſeverè, confice & in nihilum eos redige, ut intelligatur Deum eſſe inter Jacobidas, dominantem ad ultimas terras. Sela.

14 Et veſperè reverſi ſtrepent ut canes; urbémque circumibunt.

15 Ob cibum vagabuntur, & niſi ſaturati ringentur.

16 Ego verò tuam canam potentiam, tuámque benignitatem maturè reſonabo: Qui mihi munimento, perfugióque fueris in meis periculoſis temporibus.

17 Te meam potentiam cantabo, qui Deus ſis meus propugnator, Deus erga me clemens.

PSAL. LX.

DEUS, qui nos aſpernatus iracundè diſſipâſti,

pâſti, reconciliare nobis.

2 Tu regionem hanc impreſſionibus concuſſiſti, medere ejus calamitatibus: Nutat enim.

4 Tuos duritèr tractâſti, tetrum vinum bibere nos cogens.

4 Tui metuentibus præſtitiſti ſignum, quo triumphantes utantur propter veritatem tuam.

5 Evaſerunt igitùr tui dilecti: Defende me iſtâ dexterâ, mihi exoratus.

6 Promittit Deus in ſuo ſacrario, quæ læter: Dividam Sichemam, vallémque Sochotha dimetiar.

7 Meus eſt Galiadus, meus Manaſſes, & Ephraimus mei capitis firmamentum: Judas meum eſt imperium.

8 Moabus meum ahenum eluacrum: Ad Idumæum jaciam meum calceamentum: Tu mihi, Palæſtina, adoream acclama.

9 Quis me ad urbem ſiſtet munitam? Quis perducet ad Idumæum?

10 Cùm Tu nos, Deus, rejeceris, neque cum noſtris proficiſcare copiis:

11 Fer nobis auxilium contra periculum: Quando vana eſt humana tutela.

12 Per Deum fortia patrabimus, eo noſtros protetente perduelles.

PSAL. LXI.

EXaudi, Deus, meam querimoniam, attende meis precibus:

2 Qui Te ex ultimis imploro terris, cum animi ægrimonia.

3 Pervehe me in rupem me ſublimiorem: Nam Tu fuiſti mea fiducia, validáque turris adversùs hoſtem.

4 Manebo in tuo tabernaculo in perpetuum, tuarum fretus alarum præſidio.

5 Tu enim, Deus, mea vota exaudis, tu poſſeſſionem das tuum nomen reverentibus.

6 Ætatem ætati regis adjice, ut ejus anni perpetuentur ſeculis.

7 Habitet æternùm apud Deum, ſub clementiæ fideique cuſtodia.

8 Ita tuum cantabo nomen in perpetuum, meis votis quotidiè ſolvendis.

MATUT.

PSAL. LXII.

SANE in Deo meus animus acquieſcit, à quo Deo mea ſalus pendet.

2 Sanè is meum numen & ſalus eſt, & ejuſmodi munimentum, ut nihil admodùm commovear.

3 Quouſque in pium

quemque injurioſi eritis? Peribitis ad unum omnes perempti; eritíſque tanquàm paries inclinans, tanquàm convulſa maceria.

4 Toti in eo ſunt ut, quem extollet Deus, eum de ſtatu dejiciant: Falſi ſunt ſtudioſi, ore bene, pectore malè precantes. Sela.

5 Attamen in Deo acquieſce, anime mi: Nam in eo ſita eſt mea ſpes.

6 Sanè is meum numen & ſalus eſt, & ejuſmodi munimentum, ut non commovear.

7 In Deo mea ſalus eſt atque gloria: Meæ potentiæ numen, mea fiducia in Deo eſt.

8 Ei confidite omni tempore, mortales: Effundite apud eum veſtros affectus, quia Deus eſt noſtra fiducia. Sela.

9 Sane adeò vana res eſt genus hominum, adeò frivolum quiddam eſt mortale genus, ut, ſi ſimul in ſtatera ponantur, ſint ipsâ vanitate leviores.

10 Ne confidite fraudibus & rapinis: Ne vos uſque adeò vanos præbete: Opes ſi affluant, ne in eas animum intendite.

11 Unum pronunciat Deus, id quod ego non ſemel audivi, Dei eſſe potentiam.

12 Tuámque, Domine, eſſe benignitatem, qui pro ſuo quemque facto remuneseris.

Psal. LXIII.

Deus, qui meus es Deus, ego Te vigilantèr requiro.

2 Te animo ſitio, Te ipſo corpore deſidero in ſqualida, torrida, ſiticuloſáque terra.

3 Te ita in fano contemplatus ſum, ut tuam potentiam & gloriam viderem.

4 Te, nam tua manſuetudo eſt vel vitâ melior, his labiis commendo:

5 Atque ita dum vivam collaudabo, manus in tuo nomine attollens.

6 Equidem mihi adipe quodammodò, & pingui ſatiari videor, dum Te ore cum labiorum modulatione laudo.

7 Nonne tui memor fui in meo cubili, de Te per vigilias cogitans?

8 Nam mihi tu auxilio es, in cujus alarum umbra ovo.

9 Tibi animo adhæreo, qui me tuâ dexterâ ſuſtines.

10 Qui verò meæ vitæ moliuntur exitium, ii ad telluris ima devenient.

11 Ferríque mucrone trucidati, eandem cum vulpibus ſortem ſubibunt.

12 At rex per Deum lætabitur, per quem quicunque jurant, gloriaturi ſunt, falſiloquorum

loquorum oribus obſtructis.

PSAL. LXIV.

EXaudi, Deus, orationis meæ vocem: Ab hoſtili terrore vitam meam tuere.

2 Subtrahe me improborum conatui, inſultui maleficorum.

3 Quia ſuas linguas ut enſes acuunt, dirorum ſpicula verborum jaculantes.

4 Ut, ex occulto in homines integros collineantes, eos de improviſo figant, nihil tale metuentes.

5 Confirmant ſeſe ad rem malam, de abſcondendis pedicis conſultantes, ſolliciti nè quis eas animadvertat.

6 Comminiſcuntur iniqua, quæ excogitata perficiant, & quidem adhibitis ad id peniſſimis cujuſque mentis ſenſibus.

7 Sed eo figet eos telo Deus, ut inexpectatis percutiantur ictibus.

8 Suis etiam linguis ita proſternentur, ut quicunque aſpexerint eos habeant deſpicatui.

9 Quo viſo, homines omnes Dei prædicabunt opus, ejúſque factum ritè perpendent.

10 Tum boni gaudebunt in Jova, eíque confident: Omnéſque mente probi lætabuntur.

VESPERT.

PSAL. LXV.

TUA, Deus, laus prædicatur in Sione: Tibi Hieroſolymis perſolvetur votum.

2 Ad Te, qui preces exaudis, mortales omnes convenient.

3 Me quidem vitiorum negotium ſuperavit: Tu delicta mea expiato.

4 Beatus quem Tu deligis, & cooptas: in tuis habitaturum porticibus, ſatiandum tuæ domûs, tuæ ſacræ cellæ, bonis.

5 Tu nobis mirificâ æquitate indulgebis, Deus noſtræ ſalutis; qui es omnium terræ finium, & mari remotorum fiducia.

6 Qui montes tuâ virtute conſtabilis, accinctus fortitudine.

7 Qui pelagi murmur coërces, murmur ejus undarum, tumultúmque populorum.

8 Cujus prodigia formidant, qui uſquàm habitant: Qui & matutini ortum, & veſperum exhilaras.

9 Qui terram curando, perpetuandóque, eam multùm locupletas.

10 Divinus rivus aquâ plenus eſt, ſic terram curando hominibus frumenta ſuppeditas:

11 Dum ſulcos ejus irrigas, & demiſſis in valles pluviis terram imbre emollis, ejúſque germina fœcundas.

12 Annum bonis tuis ornas, tuæque nubes ſtillant ubertatem.

13 Stillabunt in ſaltuum paſcua: Colléſque lætitiâ cingentur.

14 Veſtita plana pecudibus, & farre valles obductæ, hilari cantu perſonabunt.

PSAL. LXVI.

SOnate Deum, totus orbis: cantate nomini ejus gloriam, laudis ei præſtantes honorem.

2 Dicite Deo, ô quàm horrenda ſunt tua facta! Tibi, propter magnitudinem tuæ potentiæ, tui ſubjicientur hoſtes.

3 Te univerſus orbis terrarum colet, atque cantabit: Tuum nomen cantabit.

4 Adeſte, conſiderate Dei opera, quàm ſit erga genus humanum factis mirificus.

5 Mare convertit in ſiccum: Trajectum eſt flumen pedibus, nobis ibi eo lætantibus.

6 Quia ſuâ virtute dominatur æternùm, oculis ita gentes ſpeculans, ut ſe contumaces non efferant. Sela.

7 Commendate, populi, Deum noſtrum, ejus laudationis voce perſonantes.

8 Qui noſtras vitâ donat animas, pedes noſtros labare non paſſus.

9 Expertus es Tu quidem nos, Deus: Nos exploràſti ſicut exploratur argentum.

10 Nos in retia egiſti: Nos cruciatu laterum affeciſti.

11 Homines impoſuiſti capitibus noſtris: Venimus per ignes & per aquas; & idem nos in ubertatem eduxiſti.

12 Veniam in ædem tuam cum victimis, vota mea Tibi perſoluturus, quæ labiis promiſi meis, quæ ore nuncupavi in meis adverſis.

13 Victimas Tibi pingues immolabo, cum arietino ſuffitu: Offeram tibi cum hircis boves. Sela.

14 Adeſte, audite, dum narro, omnes Dei reverentes, quid mihi præſtiterit.

15 Eum ore invocavi, & linguâ ſubvexi.

16 Quòd ſi cujuſpiam criminis mihi conſcius ſim, me non exaudiet Dominus.

17 Atqui exaudivit Deus, ad vocem meæ precationis intentus.

18 Gratias ago Deo, qui meas preces non repudiârit, neque ſuam mihi negaverit clementiam.

PSAL. LXVII.

DEus, miſerere noſtrî, & nobis fave, tuóque nos illuſtrando vultu noſtrî miſerere.

2 Ut in terris tua ratio, ut apud omnes gentes tua cognoſcatur tutela.

3 Te populi, Deus, celebrent: Te populi celebrent univerſi.

4 Gaudeant, ovéntque nationes: Tu enim populos ex æquo reges, & nationes moderabere per terras.

5 Te populi, Deus, celebrent: Te populi celebrent univerſi.

6 Edet ſuum tum terra proventum: Et Deus nobis Deus favebit noſter.

7 Favebit nobis Deus, eúmque omnes terrarum tractus reverebuntur.

MATUT.

PSAL. LXVIII.

EXurgat Deus, diſſipentur ejus hoſtes: Fugiántque ante eum ejus oſores.

2 Ut fumus disjicitur, ſic eos Tu dejicies: Et ut liqueſcit igni cera, ſic à conſpectu Dei diſpereant impii;

3 Boni verò geſtientes gaudeant apud Deum, exhilaratíque fruantur voluptate.

4 Canite Deum, cantate nomen ejus: Extollite eum qui cœlis inſidet, &, ut equo, vehitur, cujus nomen eſt Jova: Et apud hunc lætitiâ geſtite.

5 Pater eſt pupillorum, patronus viduarum: Deus in ſuo ſacro domicilio.

6 Deus, qui ſolitarios domi collocat, compedibus vinctos educit: Cùm interim rebellatores ſiticuloſa loca incolant.

7 Deus, cùm tuo populo præires, cùm per ſolitudinem incederes: Sela.

8 Terra contremiſcebat, ipſique cœli fluebant ad Dei præſentiam: Quemadmodùm tremuit iſte Sinai ad Dei, Iſraëlitarum Dei, præſentiam.

9 Tu pluviâ magnificè tuum, Deus, patrimonium conſpergebas, feſſúmque recreabas.

10 Illic tuæ habitabunt copiæ, Te, Deus, (quæ tua bonitas eſt) inopibus proſpiciente.

11 Suppeditabat Dominus argumentum, exercitúſque prædicantium erat numeroſus:

12 Ceſſêre, ceſſêre copiarum reges, & domi reſides ſpolia diviſerunt.

13 Etiamſi jacueritis inter ollas, eritis poſthàc ut alæ columbæ, argento obductæ,

cui

cui ſunt plumæ in aurum vi-
rentes.
14 Quum illorum causâ
reges Omnipotens profliga-
ret, nivoſo Salmone erant
candidiores.
15 Mons Dei *fertilis* eſt
ut Baſan: Ut Baſan tumidus.
16 Cur inſoleſcitis, mon-
tes tumidi? Hic eſt Dei
mons, in quo amat habitare,
quémque ipſe Jova incolet
in perpetuum.
17 Jovæ quadrigæ ſunt
bis dena milla, multiplicia
angelorum millia: Et in iis
eſt Dominus ut in fano Si-
naienſi.
18 Aſcendens in ſublime
captivam feciſti captivorum
multitudinem, accepiſti dona
diſtribuenda inter homines
& quidem etiam contumaces,
ut Jova Deus inter eos per-
maneat.
19 Laudetur Dominus in-
diès, noſtræ Deus ſalutis, in
nos quotidiè munificus. Sela.
20 Deus nobis Deus eſt
ad ſalutem: A Jova Domi-
no morte liberamur.
21 Sanè Deus caput trun-
cabit hoſtium ejus, verticem
comatum verſantium in ſuis
criminibus.
22 Dixit Dominus, retra-
ham meos velùt ex Baſan:
Meos retraham velùt olim ex
pelagi gurgitibus.
23 Ut & tu tuos in hoſtium
ſanguine pedes, & tui canes
eodem linguam lavent.
24 Spectatur tuus inceſ-
ſus, Deus, inceſſus mei Dei,
mei Regis in ſano.
25 Præeuntibus cantori-
bus, ſequentibus fidicinibus,
in medio pulſantibus tympa-
na puellis.
26 Collaudate Deum Do-
minum, Iſraëlitæ, gregatìm;
ídque ex animo.
27 Princeps adeſt puſillus
Benjamin, & Judæi proceres
in primis, proceres Zabulo-
nii, proceres Nephthalenſes.
28 Conſtituit tuam Deus
tuus potentiam: Confirma,
Deus, quod nobis feciſti.
29 Ob tuum fanum tibi
Hieroſolymis: Ita tibi mu-
nera reges afferent.
30 Fusâ haſtatorum cater-
vâ, & multitudine robuſto-
rum, *qui ſunt quaſi tauri*, in-
ter populorum vitulos ita diſ-
ſipatâ ut cum fragmentis ar-
genti veniant ſupplicitèr:
Populíſque certandi cupidis
profligatis.
31 Advenient ex Ægypto
optimates: Æthiopúmque
terra manus ſuas Deo pro-
tendet.
32 Terreſtria regna, ca-
nite Deum: Cantate Domi-
num. Sela.
33 Qui cœlos, qui anti-
quos cœlos inſidet, vehe-
mentem ſuâ voce ſonitum
daturus.
34 Tribuite Deo poten-
tiam

tiam in Iſraëlitas: Ejus magnificentia eſt in nubibus, & in æthere potentia.

35 O Deus, in tuo mirificus es ſacrario: Deus Iſraëlitarum es; potentiam, viréſque ſuo dabit populo; *propterea* benedictus *ſit* Deus.

VESPERT.

PSAL. LXIX.

CONſerva me, Deus, in aqua de vita periclitantem.

2 Demergor in tantam paludis voraginem, ut nullum ſit fundum: Venio in tantam aquæ profunditatem, ut fluctibus obruar.

3 Mihi & guttur clamanti laſſitudine raucum eſt, & oculi Deum meum ſuſpiciendo deficiunt.

Qui me oderunt immeritò plures ſunt quàm mei capitis capilli: Qui mihi inſenſi injuriâ me ſuccidere conantur prævaluerunt.

5 Quæ non rapui, ea rependi: Deus, Tu ſcis me non eſſe in vitio, neque te mea latent crimina.

6 Ne in me pudeat eos, qui in Te ſpem habent, Domine Jova armipotens: Ne ignominiâ afficiantur in me tui cupidi, Deus Iſraëlitarum.

7 Nam tuâ causâ infamiam ſuſtineo, faciem ignominiâ tectam habens.

8 Alienus & extraneus mei habeor fratribus, eâdem mecum matre natis.

9 Quoniam tuæ domûs ſtudio conficior, tuorúmque conviciatorum conviciis impetor.

10 Quódque me flebilitèr jejuniis affligo, hoc mihi probro datur.

11 Et, dum centone pro veſte utor, ſum eis dicterio.

12 De me fabulantur in curia ſedentes, & cantilenas habent inter pocula.

13 At ego à Te precibus, Jova, contendo tempore accepto.

14 Me exaudi, Deus, pro tua ſingulari clementia: *Mihíque*, quæ tuæ tutelæ fides eſt, *exoreris*.

15 Eripe me ex luto, nè ſummergar: Liberer à meis oſoribus, ex aquæ profunditate.

16 Nè me fluctus obruat aquæ: Nè gurges hauriat: Nè hiatu abſorbeat vorago.

17 Exaudi me, Jova, pro tua tam benigna clementia: Pro tam præſtanti humanitate reſpice me.

18 Néve me tuum averſare, qui ſum in periculo: Propera exaudire me.

19 Accede ad vitam meam vindicandam, me propter hoſtes meos redime.

20 Tu meum probrum, pudorem, & ignominiam noviſti,

viſti, habes omnes adverſarios meos in conſpectu.

21 Cor mihi probro rumpitur: anxius expecto commiſerationem, quæ nulla eſt: Conſolationem, quam nullam adipiſcor.

22 Quin mihi pro cibo fel, & ſitienti acetum porrigunt bibendum.

23 Sit eis appoſita menſa laqueus, & pacatiſſima quæque detrimentoſa.

24 Caligent oculis, nè videant; eíſque latera jugitèr obtunde.

25 Effunde in eos tuam bilem, & eos ardenti irâ opprime.

26 Fiat eorum habitatio deſerta, nemine in eorum domiciliis habitante.

27 Quandoquidèm quem tu cecidiſti inſectantur, ſauciorum tuorum dolorem adaugentes.

28 Eorum vitia vitiis accumula, néve in tuam veniant juſtitiam.

29 Deleantur ex libro vivorum, neque juſtis aſcribantur.

30 Me verò inopem & ægrum tua, Deus, proteget tutela.

31 Laudabo Dei nomen carmine, eum gratiis agendis magnificans.

32 Id quod erit Jovæ gratius, quàm taurus cornutus, cornipes.

33 Hoc viſo lætabuntur inopes: Eſte Dei ſtudioſi & veſtrâ mente vivetis.

34 Exaudit enim pauperes Jova, vinctos ſuos non contemnens.

35 Eum cœli atque terræ, eum maria, quæque in eis moventur omnia collaudabunt.

36 Siquidèm Deus Sionem conſervabit, urbéſque Judææ conſtruet, ut ea incolatur & poſſideatur.

37 Eámque tenebit ejus cultorum progenies, & ejus amatores nominis habitabunt.

PSAL. LXX.

DEUS, ad me defendendum, Jova, ad mihi ſubveniendum feſtina.

2 Turpitèr fruſtrentur qui meæ neci ſtudent: Fœdè retrò cedant mei malevoli.

3 Auferant hoc impudentiæ ſuæ præmium, ut vertantur, qui dictitant, Oho, oho.

4 Exultent & lætentur in Te omnes tui ſtudioſi, ſempérque dictitent magnificandum eſſe Deum amatores tuæ tutelæ.

5 Mihi verò inopi & pauperi, Deus, propera:

6 Tu meus es propugnator atque liberator: O Domine, diù ne moreris.

MATUT.

PSAL. LXXI.

TIBI, Domine, confiſus ſum, ne fruſtrer unquam: Pro tua juſtitia defende & libera me: Præbe mihi aurem ſic ut me conſerves.

2 Eſto mihi pro firma rupe, in quam me ſempèr recipiam: Tu me mandaviſti conſervandum, mihi enim rupis & arcis es loco.

3 Mi Deus, libera me ab impiorum manu, ab iniquorum atque ſævorum manu.

4 Nam tu mea ſpes es, Domine Deus, mea jam à teneris fiducia.

5 Te nixus ſum jam ab utero: Tu me ex meæ parentis ventre extraxiſti: in te mea perpetuatur laudatio.

6 Equidèm multis ſum quaſi portentum quoddam: Sed tu mihi firma fidentia es.

7 Tuis plenum laudibus os habeam: ut gloriam tuam & honorem continentèr prædicando celebrem.

8 Ne me rejice tempore ſenectutis: ne me viribus effœtum deſere.

9 Etenim contra me deliberant hoſtes mei, quíque meam vitam captant unà conſilium capiunt, dicentes: Deus eum deſeruit, perſequendus eſt, & capiendus, quippe quem nullus defendit.

10 Deus, noli à me abeſſe; mi Deus, ad mihi ſuccurrendum feſtina.

11 Pudore conficiantur meæ vitæ adverſarii; infamiâ & turpitudine cooperiantur, qui meo malo ſtudent.

12 Ego verò, ſpem perpetuò fovens, ad tuas tot laudes addam.

13 Ore tuam aſſiduè juſtitiam, & victorias exponam, quarum ignoro numerum.

14 Incedam Domini Jovæ viribus fretus: tui ſolius juſtitiam commemorans.

15 Deus, tu me à pueris docuiſti, tua igitur tot miracula prædicabo.

16 Ne ad ſenectam quidem & canos, Deus, me deſere, dum tuum brachium huic ætati, dum tuam futuris omnibus prædico virtutem:

17 Et arduam, ô Deus, juſtitiam; qui Deus tam magna facis, ut ſis incomparabilis.

18 Qui, cùm mihi multa exhibuiſſes adverſa atque triſtia, mihi vitam reconciliatus defenderis: Qui me ex ima tellure reconciliatus extraxeris.

19 Qui meam amplificaveris magnitudinem: Qui me, pacatior factus, recreaveris.

20 Ego quoque te inſtrumento nablo, tuam fidem celebrabo, mi Deus; Te citharâ cantabo, ô auguſte Iſraëlitarum.

21 Te ovantibus cantabo labris, atque animo, quem redemeris.

22 Nec non linguâ tuam totos dies meditabor juſtitiam, quòd turpitèr offenderint, qui mihi malum moliebantur.

PSAL. LXXII.

DEUS, jura tua regi, juſtitiam tuam regis filio da.

2 Populum tuum ex æquo tum judicabit, erítque pauperibus præſidio.

3 Ferent montes pacem populo, & colles juſtitiam.

4 Hominibus patrocinabitur inopibus: Tuebitur genus pauperum, fraudatores attenuans.

5 Atque ita dum ſol, & diutiùs quàm luna durabit, æternis timebere ſeculis.

6 Erit quaſi deſcendens in detonſa prata pluvia, ut terram irrorans imber.

7 Florebunt ejus tempore boni, multáque pax donèc deſinat eſſe luna.

8 Imperabítque ab altero mari ad alterum, à flumine ad extremum terræ.

9 Ei ſylvani ſuccumbent, ejúſque hoſtes lingent pulverem.

10 Ei Tharſis, inſularúmque reges munera penſitabunt: Ei Arabes, Sabæíque ſtipendium afferent,

11 Eúmque colent omnes reges, omnes ei gentes ſervient.

12 Liberabit enim conquerentes pauperes, & defenſore carentes inopes.

13 Tenues miſerabitur & egenos, pauperúmque vitam tuebitur.

14 Eos à fraude & injuria vindicando, & eorum ſanguinem in pretio habendo.

15 Et vivet, & ei dabitur de auro Arabico: Aſſiduis precibus invocatus, laudibus quotidianis celebrabitur.

16 Erunt manipuli frumenti in terra, in montano vertice: Commovebit ſe ut Libanus fructus ejus, progerminabítque in civitate, terreſtrium herbarum more.

17 Erit nomen ejus in perpetuum: Quamdiù ſol manebit, ejus fama propagabitur: In eóque ſibi placebunt omnes gentes, eum beatum ferentes.

18 Laudetur Jova Deus Iſraëlitarum, Deus ſolus mirificus.

19 Laudetur & ejus glorioſum nomen in æternum, ejúſque gloriâ repleatur univerſus orbis terrarum: Etiam atque etiam.

VESPERT.

PSAL. LXXIII.

EST quidem bonus Iſraëlitis Deus, mente puris.

2 Verùm ego ferè pedibus deflexi, greſſu propemodùm labefactato.

3 Quòd indignarer in vecordes, res impiorum proſperas animadvertens.

4 Non ſunt enim neceſſitates, quæ eos enecent: Sed vigent, valéntque.

5 Aliorum more laboribus non agitantur, neque cum cæteris clades patiuntur.

6 Itaque ſuperbiâ torquati, injuſtitiæ amictu palliantur.

7 Eis oculi præ obeſitate prominent, animi vota ſuperant.

8 Corrumpunt alios atrocia loquentes facinora: Celſiſſimo ingerunt convicia.

9 Nam ore cœlos attingunt, ſuâque linguâ peragrant terras.

10 Propterea ſe convertit populus ad eos: Ex quo quæſtum non exiguum conflat.

11 Phy, inquiunt illi, unde hæc intelligeret Deus? Scilicèt horum cognitionem habebit Supremus?

12 En hi ſunt impii, in hac vita fortunati, hi opes conſequuntur: Tum dixi, Næ ego fruſtrà & mentem meam expurgavi, & manus innocentiâ perlui.

13 Quotidianis laboravi calamitatibus, aſſiduáque pertuli ſupplicia.

14 Parum abſuit quin, eorum in modum argumentatus, injuriam feciſſem tuorum filiorum generi.

15 Itaque hoc mihi perſpicere conanti videbatur arduum.

16 Donec ingreſſus in Dei ſanctuarium conſideravi illorum exitum:

17 Enimverò tu in lubrico collocatos, dejicis in exitium:

18 O quàm repentinâ deleti calamitate, horribili modo conficiuntur!

19 Ut ſomnium evaneſcit expergefactis, ſic Tu eorum imaginem, Jova, in civitate abolebis.

20 Sic mihi cor erat in fermento, meíque renes extimulabantur:

21 Adeò apud te bardus & imperitus, adeóque brutus eram.

22 Cùm apud te eâ ſempèr conditione ſim, ut tu me, dexterâ meâ prehenſum,

23 Tuo conſilio ducas, deinde ad honorem cooptes.

24 Ecquem, excepto Te, vel in cœlis habeo, vel in terris, quem adamem?

25 Deficiat licèt corpus, córque meum, mei cordis

numen, meaque conditio, Deus eſt in perpetuum.

26 Nam certè perituri ſunt, qui à Te recedunt: Perdes omnes, qui à Te meretricio more deficiunt.

27 Mihi verò ſuavis cum Deo familiaritas eſt, fiduciam in Te, Domine Jova, collocatam habenti, tuis tot operibus enarrandis in portis filiæ Sion.

PSAL. LXXIV.

CUR, ô Deus, nos tamdiù repudias? Cur tantâ irâ in oves tuorum paſcuorum exarſiſti?

2 Memor ſis civitatis tuæ, quam olim redemptam comparâſti.

3 Memento nationis tui patrimonii, & montis illius Sionis, quem tibi domicilium poſuiſti.

4 Incede ſublimis, ad evertendos funditùs omnes ſacro nocentes hoſtes.

5 Perſtrepunt tui perduelles, poſitis ſuis ſignis, hoc eſt, trophæis, in mediis tuis curiis.

6 Ita ut videantur in denſas arbores altè ſecures immitti.

7 Jámque ejus valvas bipennibus ſimul, & malleis demoliti,

8 Injecerunt ignem in tuum ſacrarium, humi polluto tui nominis tabernaculo.

9 Et habentes in animo ea ſemel depopulari, cremârunt omnes Dei curias in hac regione.

10 Signa noſtra non videmus: Non jam vates, non nobis adeſt qui ſciat quouſque duratura ſint hæc.

11 Quouſque tandem, ô Deus, conviciabuntur adverſarii, quamdiu proſcindent hoſtes nomen tuum?

12 Cur iſtam tuam avertis manum? Cur dexteram intra ſinum tuum contrahis quò minùs pareant hoſtes?

13 Cùm ſit jam olim Deus rex noſter, victoriarum per terras autor.

14 Tu, divulſo iſtâ potentiâ mari, capita cetorum in aquis perfregiſti.

15 Tu diſſectis balænæ capitibus, eam ſylvanorum populo dediſti ad paſtum.

16 Tu fontem, fluménque è rupe prævalida expreſſiſti: Tu vehementia exſiccaviſti flumina.

17 Tua dies, ipſa tua nox eſt: Tu lucem, ſolémque condidiſti.

18 Tu omnes terrarum ſtatuiſti terminos: Æſtatem Tu, hiemémque creaviſti.

19 Memineris hujus tam contumelioſi hoſtis, ô Jova, & inſanorum hominum tuum nomen proſcindentium.

20 Ne prode cœtui hoſtium vitam tuæ turturis: Noli perpetuò gregis inopum tuorum eſſe immemor.

21 Specta

21 Specta fœdus quandoquidèm tenebricoſæ ſunt omnes terræ, & refertæ domiciliis injuſtitiæ.

22 Effice ne turpitèr abeànt tenues, ut inopes & pauperes nomen tuum laudent.

23 Agedùm, Deus, age tùam cauſam: Memento ignominiæ, quâ te quotidiè afficiunt inſani.

24 Ne immemor eſto vocis adverſariorum, tumultûs infeſtorum tuorum creſcentis aſſiduè.

MATUT.

Psal. LXXV.

AGimus tibi gratias, Deus, tibi gratias agimus.

2 Præſens adeſſe tuum nomen, tua narrant miracula.

3 Cùm cœtum *mihi aſſignatum* adeptus fuero, equidèm ex æquo judicabo.

4 Diſſolvitur & tellus & omnes ejus incolæ, cujus ego conſtabilivi columnas. Sela.

5 Edixi veſanis, ne inſanite: Et impiis, ne cornu efferte.

6 Ne tam altè illud efferte cornu, loquentes cervice præfractâ.

7 Nam nec ab ortu occaſúve, nec à meridie proficiſcitur excellentia.

8 Sed rerum Deus arbiter hunc deprimit, illum extollit.

9 Habet enim in manu Jova calicem vino rubente turbidóque plenum, unde ille quidem ita effundet,

10 Ut ejus expreſſam fæcem bibant, exugántque omnes terrarum impii.

11 At ego Jacobidarum Deum in æternum cantans prædicabo.

12 Et impiorum omnia rumpam cornua, bonorum cornibus extollendis.

Psal. LXXVI.

NOtus eſt in Judæa Deus, magni apud Iſraëlitas nominis.

2 Eſtque in Solymis ejus tentorium, & in Sione domicilium.

3 Ibi fregit arcuum ſpicula, & clypeos, & enſes, & bellum. Sela.

4 Tu clarior es & generoſior, quàm ſunt montani prædones.

5 Direpti ſunt magnanimi, ſuo ſomno ſopiti: Omnéſque manu fortes nihil *virium* invenerunt.

6 Ad tuas, Deus Jacobidarum, minas conſopiti ſunt & quadrigarii & equi.

7 Tu, Tu adeò terribilis es, ut ante te, quandocunque iraſceris, ſtare quis poſſit?

8 Te de cœlo ſententiam pronunciante, tellus ipſa territa quievit,

9 Inſurgente ad judicium

Deo, ad defendendos omnes terrarum inopes. Sela.

10 Nam Tibi rabies hominum laudi erit: Eorúmque furorem Tu præcludes.

11 Vovete, & vota ſolvite Jovæ Deo veſtro omnes ejus neceſſarii: Afferte munera terribili.

12 Qui potentibus præcludit ſpiritum, formidabilis regibus terrarum.

Psal. LXXVII.

Invocatus voce meâ Deus, meâ voce invocatus Deus mihi auſcultabit.

2 Cùm eſſem in anguſtiis Dominum oravi, ſuppurante noctu meo vulnere ſine intermiſſione, animo meo conſolationem reſpuente.

3 Memor ero Dei mœrore oppreſſus: Animóque ſeſe cruciante apud ipſum querar.

4 Tu meorum cuſtodiam oculorum agis, concutior ita ut non poſſim eloqui.

5 Sed præteritum tempus, priſcos annos reputans,

6 Recolebam meam cantilenam; noctu cum mente mea cogitabundus, animo hunc in modum ſciſcitante:

7 Adeóne in perpetuum aſpernatur Dominus, ut deincèps fauturus non ſit?

8 Prorſúmne finita eſt ejus clementia? deſierúntne ejus promiſſa in omnia ſecula?

9 Oblitúſne facilitatem Deus, miſericordiam ſuam præ iracundia cohibebit? Sela.

10 Tandem cogitabam, hæc mea eſt infirmitas, at ſperabo eſſe viciſſitudinem dexteræ Supremi.

11 Memoriâ repetam Jovæ naturam, recolendis tuis priſcis miraculis.

12 Tuáque tot facinora recogitans, de tuo ſic ratiocinabor ingenio:

13 Tu, Deus, Te ſanctè geris. Cui Deo noſtro quis par Deus eſt?

14 Tu mirificè, Deus, tuam apud populos oſtendiſti potentiam.

15 Dum tuos potentèr vindicâſti, Jacobi, Joſephíque poſteros. Sela.

16 Viderunt aquæ Te, Deus, viderunt aquæ trepidantes, cohorrentibus ipſis fluctibus.

17 Cùm quidem nubes aquis manarent: Nubila fragorem ederent, tua tela ferrentur:

18 Tuum in æthere tonitru ſonaret, fulgura coruſcarent per mundum, tellus tremefacta cohorreſceret.

19 Tu, per mare menſus iter, per vaſtas ingreſſus aquas, tuis non extantibus veſtigiis,

20 Tuos tanquam oves per Moſem & Aharonem duxiſti.

VESPERT.

VESPERT.

PSAL. LXXVIII.

AUdite, mei populares, meam diſciplinam, præbete aures orationi meæ.

2 Aperiam os meum in ſententiam, antiqua eloquens ænigmata,

3 Quæ auditione didicimus, narrantibus noſtris patribus.

4 Ne celaremus eorum prognatos, enarrandis poſterorum generi Jovæ laudibus, potentiâ & editis miraculis.

5 Sanxit enim apud Jacobæos oraculum, legémque tulit apud Iſraëlitas, quâ præcepit majoribus noſtris, ut ea ſuis natis declararent.

6 Quæ ſciat poſteritas quíque procreandi ſuccedent:

7 Eo ſcilicèt conſilio ut, quum adoleverint, ſuis porrò natis enarrent;

8 Ut ſuam in Deo ſpem collocent, diviníque moris haud immemores, ejus præcepta tueantur:

9 Neque ſint quales eorum majores, natio degener atque contumax: Natio vecors, & animi erga Deum infidi:

10 Ephraimitæ, armati ſagittarii, terga verterunt tempore dimicandi.

11 Non conſervavêre Dei fœdus, ex ejus lege vivere recuſantes.

12 Ejúſque morum immemores & miraculorum, quæ eis exhibuerat.

13 Mira quidem apud noſtros majores fecit, in terra Ægypti: Scilicèt in planitie Soan.

14 Eos mare partitus traduxit, aquis quaſi in acervum congeſtis.

15 Et per nubem interdiù, totáſque noctes per lumen ignis duxit.

16 Tum diſcluſis in ſolitudine cautibus, undas eis affatìm dedit ad bibendum.

17 Et prolectis ex rupe laticibus, demiſit tanquàm flumina aquas.

18 At illi in eum peccare, Supremum irritare in deſertis perrexerunt,

19 Deúmque animis tentârunt cibum ad victum poſtulando,

20 Et, Deo obloquentes, ita dixerunt: Nunquid poterit Deus menſam in ſolitudine inſtruere?

21 Eſto, cautem percuſſit, manátque lympha, & exundant flumina: Num & panem ſuppeditare poterit, aut carnis copiam ſuis facere?

22 Itaque eâ re auditâ indignato Jovâ, exarſit in Jacobidas ignis, & in Iſraëlitas ſævitum eſt:

23 Qui, Deo diffiſi ejus

tutelæ

tutelæ non confidiſſent.

24 Ergo ille ſublimi imperavit ætheri, apertíſque cœli foribus,

25 Eis Mannam ad veſcendum depluit, & cœleſte dedit frumentum.

26 Ita panem Angelorum comederunt homines, miſſo eis ab illo commeatu ad ſatietatem.

27 Tum, acto per cœlum Euro, immiſſóque vi ſuâ Auſtro,

28 Pluit eis carnes pulvere crebriores, alatas aves marinis numeroſiores arenis,

29 Quas in media eorum caſtra injecit, circum eorum tabernacula:

30 Ita veſcentes ſeſe ingurgitabant, ab illo quæ concupiverant, adepti: Nec deſiderio ſuo ſunt fraudati.

31 Eos autem, adhùc ſuum in ore cibum habentes, aggreſſa Dei ira gravis, eorum unctiſſimos quóſque interfecit, & Iſraëlitarum lectiſſimos edomuit.

32 At cùm ſic quoque peccare pergerent, non adjungentes ejus miraculis fidem,

33 Ille eorum ævum celeritèr, eorum annos pernicitèr conſumpſit.

34 Illos autem eo interficiente, eum requirebant, Deóque reſipiſcentes invigilabant;

35 Recordantes Deum eſſe ipſorum numen, Deum ſupremum ipſorum vindicem:

36 At ore tantùm eum fallebant, & linguâ ei mentiebantur;

37 Non bene erga eum animati. neque in ejus fœdere fideles:

38 Ipſe tamen exorabilis, datâ veniâ, eos non perdebat:

39 Sæpè enim iram ſuam coërcuit, nec omnem ſuam bilem in eos effudit:

40 Memor eos carnem eſſe, ſpiritu abeunte, neque redeunte.

41 Quotiès eum in ſolitudine irritârunt? Quotiès ei in deſertis negotium faceſſerunt?

42 Et iteratò Deum tentaverunt, auguſto Iſraëlitarum præſcribentes?

43 Immemores ejus manûs, tum cùm eos ex periculis vindicârat.

44 Qui ſua in Ægypto oſtenta, in agro Soan prodigia ediderat,

45 Eorúmque verterat amnes in ſanguinem, ita ut flumina non biberentur.

46 Immiſerat eis & inſecta, quæ eos conficerent, & ranas quæ pervaſtarent.

47 Et bruchis fruges eorum, & locuſtis laborem addiderat.

48 Et grandine vites, &

imbre

imbre conglaciato peremeraт ſycomoros.

49 Et eorum veterina grandini, & pecora peſteribus expoſuerat.

50 Uſus erat in eos iræ ſuæ fervore, indignatione, ſeveritate, & aſperitate, operâ malorum angelorum.

51 Laxaverat in eos iræ ſuæ impetum, & nihil parcens quò minùs eorum animas neci dederet, eorum vitam peſti addixerat.

52 Omniáque in Ægypto primogenita, primordia virilitatis in Chamæis domiciliis occiderat.

53 Et deportatos indè ſuos tanquam oves, veluti gregem per deſerta deduxerat.

54 Atque imperterritos tutò perduxerat, eorum hoſtibus mari obrutis.

55 Et in ſuos ſacros fines adduxerat, in montem illum ſuâ dexterâ quæſitum.

56 Exactíſque eorum gratiâ gentibus, Iſraëliticas tribus in illarum collocaverat domiciliis, hereditate ſorte eis diſtributâ.

57 At illi ſummum Deum tentando exaſperârunt, ejus monita non conſervantes.

58 Retróque cedentes prævaricati ſunt, ut ipſorum majores: Inverſi, ut fallax arcus.

59 Et eum excelſis ſuis ſacellis irritârunt, ſuíſque ſimulachris incenderunt.

60 Quo audito indignatus Deus, & ab Iſraëlitis magnoperè abhorrens,

61 Siluntis tentorium deſeruit, quod tabernaculum apud homines collocaverat.

62 Suámque potentiam captivitati, ſuum decus hoſtili expoſuit manui.

63 Et ferro ſuos objecit, indignatus in ſuum patrimonium.

64 Eorum & juvenes igne confecti ſunt, & virgines innuptæ manſerunt.

65 Sacerdotes occubuêre ferro: Nec viduis defleti ſunt.

66 Ac quaſi ex ſomno excitus Dominus, velut heros præ vino jubilans,

67 Hoſtium ſuorum terga cecîdit, æternam eis imponens ignominiam.

68 Et, repudiato Joſephidarum tabernaculo, improbatâqueEphraïmitarumtribu,

69 Delegit tribum Judæam, montem Sionem ſibi dilectum.

70 Et ſuum quàm magnificè ſacrarium extruxit, in terra à ſe fundata in æternum.

71 Delectúmque ſuum Davidem à caulis accerſivit.

72 Atque ab agendis ſœtis abduxit, ad regendos ſuos Jacobæos, ſuúmque patrimonium Iſraëlitas.

73 Quos

73 Quos ille ſincerâ mente, peritíſque manibus pavit atque potentèr duxit.

MATUT.

Psal. LXXIX.

O DEUS, gentes tuum aggreſſæ patrimonium, polluunt tuum ſacrum fanum, Hieroſolymam redigentes in rudera.

2 Tuorum cadavera cultorum volucribus aëriis, tuorum corpora piorum beſtiis objiciunt comedenda terreſtribus.

3 Effundunt eorum ſanguinis undas circum Hieroſolymam, ſepeliente nemine.

4 Sumus vicinis noſtris oſtentui, finitimis deriſui & ludibrio.

5 Quouſque tandem ſævies, Jova, iſto impetu quaſi igne exardeſcens?

6 Effunde bilem iſtam in gentes ignaras Tui: In regna quæ tuum non invocant nomen.

7 Nam conſumpti ſunt Jacobidæ, eorum habitatione vaſtatâ.

8 Noli in nos animadvertere præterita commiſſa: Propera in nos uti tuâ miſericordiâ, nam valdè ſumus attenuati.

9 Succurre nobis, Deus, noſtræ ſalutis, tui nominis gloriæ causâ: Nóſque libera, & noſtris peccatis veniam da, tui nominis gratiâ.

10 Quid dicerent Gentes, Ubinàm eſt illorum Deus?

11 Ultio effuſi tuorum ſanguinis in noſtris oculis apud Gentes cernatur.

12 Veniat in tuum conſpectum gemitus vinctorum: Pro tui magnitudine lacerti conſerva eos qui ſunt morti deſtinati.

13 Noſtríſque vicinis in ſinum ſeptuplo repende ignominiam, quam tibi, Jova, inurunt.

14 Nos verò tuus populus, & oves tui paſcui, Te in omnem ſeculorum perpetuitatem, tuas enarrando laudes, concelebrabimus.

Psal. LXXX.

O Paſtor Iſraëlitarum, auſculta, qui Joſephæos agis, ut oves: Cherubis inſidens affulge.

2 Apud Ephraïmitas, Benjamitas, & Manaſſenſes excita tuam fortitudinem, & nobis ſuppetias veni.

3 Deus, reconcilia nos, tuóque vultu colluſtra, & ſalvi erimus.

4 Jova Deus armipotens, quem ad finem ſuccenſebis tuis precantibus?

5 Quos tergeminarum cibo,

cibo, potúque lachrymarum
paſcis.
6 Tu nos finitimis certa-
men expoſuiſti, noſtris de-
ridendos hoſtibus.
7 Deus armipotens, re-
concilia nos, tuóque vultu
colluſtra, & ſalvi erimus.
8 Vineam ex Ægypto
tranſtuliſti, quam exactis
gentibus plantâſti.
9 Eíque ita purgaviſti ſo-
lum, ut, actis radicibus, re-
pleverit terram:
10 Et umbrâ montes o-
peruerit, ramis divinas æ-
quantibus cedros:
11 Suóſque palmites ad
mare, ſua ſarmenta ad flu-
men uſque diſtenderit.
12 Cur ejus diruiſti ſe-
pem, ut ab omnibus carpa-
tur viatoribus?
13 Ut ab apris ſylveſtri-
bus devaſtetur, ut depaſcatur
à feris?
14 Deus armipotens, re-
conciliare, quæſo: Aſpice
de cœlis, & hanc vineam
reſpice atque cura:
15 Vitiarium, tua quod
dextera conſevit, ſcilicèt na-
tos, quos tu tibi confirmâſti.
16 Conflagrat igni ſuc-
ciſa; ad tui vultûs truculen-
tiam pereunt.
17 Adſit tua manus ho-
minibus dexteræ tuæ, homi-
númque generi, quos tu tibi
confirmâſti.
18 Ita nos à Te non re-
cedemus, ſed à Te conſer-
vati nomen tuum invoca-
bimus.
19 Jova, Deus armipo-
tens, reconcilia nos, tuóque
vultu colluſtra, & ſalvi e-
rimus.

PSAL. LXXXI.

OVate Deo potentiæ no-
ſtræ: Reſonate Jaco-
bæorum Deum.
2 Utimini cantione, ad-
hibito tympano, ſuavíque
citharâ cum nablo.
3 Clangite in novilunio
tubâ, noſtro ſolemni die fe-
ſto.
4 Nam is Iſraëlitarum ri-
tus eſt, jure Dei Jacobæo-
rum.
5 Hoc inter Joſephæos
pro teſtimonio inſtituit;
quum egrederetur ex Ægyp-
tia terra, ubi audiebat ſer-
monem priùs inauditum.
6 Subduxi veſtros hume-
ros oneri, veſtris manibus à
figlina deductis.
7 Vóſque in anguſtiis in-
vocantes liberavi, vobis oc-
cultus in tonitru poſtulata
conceſſi.
8 Vos quoque ad aquam
jurgii explorabam.
9 Audi, mi populus, dum
te commonefacio: Iſraëlita,
ſi mihi obedies,
10 Non habebis alienum
Deum, neque peregrinum
Deum coles,

11 Ego

11 Ego ſum Jova Deus tuus, qui te ex Ægypto deportavi: Aperi os tuum, & ego id implebo.

12 Sed meus populus mihi dicto audiens non fuit: Iſraëlitæ mihi non obtemperârunt.

13 Itaque eis libidinum ſuarum licentiam conceſſi, ut ſuis obſequantur conſiliis.

14 Quod ſi mihi meus populus obediret, ſi Iſraëlitæ meis graderentur viis:

15 Confeſtìm eorum hoſtes domarem, conversâ in eorum adverſarios manu.

19 Mendaces Jovæ hoſtes fuiſſent ipſis ſervilitèr ſupplices: Dum ipſi durarent in æternum.

17 Et paviſſet eos flore tritici, téque melle ſatiaſſem rupis.

VESPERT.

PSAL. LXXXII.

DEUS aſtat in conſeſſu divino, in medio divorum judicans.

2 Quouſque judicabitis iniquè, & impiis indulgebitis? Sela.

3 Agite tenuium pupillorúmque cauſam, inopes & pauperes abſolvite.

4 Tenues & egenos liberate, eos ab impiorum defendentes injuria.

5 Indocti imperitíque ſunt, in tenebris gradiuntur: Nutant omnia terrarum fundamenta.

6 Equidèm vos univerſos appellavi divos, & Supremi filios:

7 Veruntamèn ut homines moriemini, útque quivis de principibus cadetis.

8 Surge, Deus, judica terras, Tu qui gentes omnes hereditate obtenturus es.

PSAL. LXXXIII.

O Deus, ne ceſſa, ne connive, néve quieſce, Deus.

2 Nam ecce tumultuantur hoſtes tui, oſores tui caput efferunt.

3 Contra tuum populum malitiosè conſultant, conſpirantes contra tuos intimos in hunc modum:

4 Agite, deleamus eos ex hominum genere, ne ampliùs memoretur nomen Iſraëlitarum.

5 Nam conſpirant uno animo, icto contra Te fœdere.

6 Tabernacula Idumæorum, Iſmaëlitarúmque: Mobitarum, & Hagarenorum:

7 Gebalenſes, & Ammonitæ atque Amalechitæ: Palæſtina cum Tyriis.

8 Aſſyrii quoque ſeſe eis conjunxêre, Loto prognatis opitulantes.

9 Fac eis ut Madianitis, ut Siſaræ, ut Jabini apud Ciſonem fluvium :

10 Qui apud Endor deleti ſtercoraverunt humum.

11 Tracta eorum duces ut Orebum, ut Zebum, ut Zebam, & ut Salmunam omnes eorum gubernatores,

12 Qui ſtatuunt divinas occupare ſedes.

13 Mi Deus, utere eis ut rotâ, ut ſtipulâ jactatâ vento.

14 Ut ſylvam comburit ignis, ut montes incendit flamma :

15 Sic tu illos tuâ tempeſtate vexa, tuóque turbine perturba.

16 Reple vultus eorum dedecore, ut tuum requiratur nomen, Jova.

17 Fœdè perturbentur perpetuò, turpitérque pereant :

19 Ut intelligatur, Te ſolum iſto nomine, Jova, ſupremum eſſe toto orbe terrarum.

PSAL. LXXXIV.

O Amabiles tuas ſedes, Jova armipotens.

2 Conficior animi deſiderio atriorum Jovæ, & mente & corpore ad Deum immortalem ovans.

3 Etiam paſſer ſibi domum invenit, & hirundo nidum, ubi pullos ſuos ponat ad tuas aras, armipotens Jova, mi Rex atque Deus.

4 Beati qui domi tuæ habitant, Te continentèr collaudantes. Sela.

5 Beatus cujus robur in Te ſitum eſt ; qui ex animo ſemitas *inſiſtit* tuas.

6 Qui, ſi per flebilem tranſeant vallem, eam reddent fontalem, etiam ciſternas prætexente pluviâ.

7 Sempérque proficient in opibus, apud Deum in Sione apparituri omnes.

8 Jova Deus armipotens, audi meas preces, auſculta, Deus Jacobidarum. Sela.

9 Propugnaculum noſtrum, aſpice, Deus, & tui uncti perſonam reſpice.

10 Præſtat enim dies unus in tuis atriis, quàm mille.

11 Malim in Dei mei domo ad limen eſſe, quàm in impiorum tabernaculis habitator.

12 Nam ſol & propugnaculum Jova Deus: Jova gratiam, gloriámque conferet iis, qui ſe gerunt innocentèr, eis bona non denegans.

13 O armipotens Jova, beatus homo qui tibi confidit.

PSAL. LXXXV.

FAviſti, Jova, terræ tuæ, revocatis ex captivitate Jacobæis.

2 Dediſti tuis veniam, obductis omnibus eorum peccatis, Sela.

3 Cohibuiſti tantam iſtam ſeveritatem, iſtius iræ fervore coërcito.

4 Reconcilia nos, Deus noſtræ ſalutis, tuâ adversùm nos ſævitiâ repreſsâ.

5 Perpetuóne in nos deſævies, iram iſtam per æterna ſecula retinens?

6 Nónne tu nos reconciliatus conſervabis, ut tui lætentur in Te?

7 Exhibe nobis tuam, Jova, clementiam, tuámque defenſionem præſta.

8 Audiam quid promittat Deus Jova: Promittet enim pacem ſuo populo, ſuíſque piis, ita ut *ad dementiam* non revertantur.

9 Certè adeſt eum reverentibus ejus præſidium, ut habitet in noſtra terra gloria.

10 Pietas, veritáſque inter ſeſe occurrent: Juſtitia & pax deoſculabuntur invicem.

11 Veritas ex terra germinabit, & juſtitia de cœlo exiſtet.

12 Jova quoque bona dabit, & terra noſtra ſuas fruges edet.

13 Illum antecedet juſtitia, in via veſtigia ponentem.

MATUT.

PSAL. LXXXVI.

PRæbe mihi aurem tuam, & exorare, Jova, inopi atque pauperi,

2 Tuere meam animam, qui pius ſum: Serva cultorem tuum, mi Deus, tibi confidentem.

3 Miſerere mei, Jova, qui Te totos dies invoco.

4 Exhilara meam, qui tuus ſum, animam: Qui ad Te, Domine, animum attollo.

5 Nam Tu, Domine, bonus & facilis es, & ad clementiam proclivis, erga omnes Te invocantes.

6 Auſculta, Jova, meas preces, attentus ad meam vocem ſupplicem:

7 Qui Te tum, cùm ſum in anguſtiis, imploro, quòd tu mihi exorari ſoleas.

8 Nullus tibi deorum par eſt, Domine: Nulla cum tuis facta ſunt comparanda.

9 Omnes à Te factæ gentes Te coram adoratum venturæ ſunt, Domine, tuúmque veneraturæ nomen.

10 Nam Tu magnus, Tu mirificus, Tu ſolus es Deus.

11 Erudi me, Jova, ad viam tuam, ut in tua fide gradiar: Applica meam mentem ad tui nominis reverentiam.

12 Celebrabo Te, Domine mi Deus, totâ mente tuum nomen honorans in æternum:

13 Qui, pro tuæ erga me clementiæ magnitudine, meam animam ab imo liberâris Orco.

14 Deus, conſurgunt in me ſuperbi, crudeliúmque caterva mihi necem machinatur, Te ſibi propoſitum non habens.

15 Tu verò, Domine Deus, exorabilis es & miſericors, ad iram tardus, ad clementiam & auxilium propenſus.

16 Reſpice me, & miſerere mei: Præbe tuam potentiam tuo ſervo, & ancillæ tuæ filium tuere.

17 Ede mihi fauſtum omen: Quo viſo meos pudeat oſores, quòd tu mihi, Jova, ſuccurreris, méque fueris conſolatus.

PSAL. LXXXVII.

CUjus fundamentum eſt ſanctis in montibus, amat Jova portas Sionis præ cunctis Jacobidarum domiciliis.

2 Glorioſa dicuntur de te, urbs divina: Sela.

3 Et Rehab & Babylonem apud meos notos commemorabo.

4 Adde Palæſtinam & Tyrum cum Æthiopia, ille ibi natus eſt.

5 De Sione verò dicetur, illum fuiſſe in ea natum, eámque ab ipſo Supremo eſſe conditam.

6 Si Jova ſcripto numeret populos, hunc ibi natum eſſe narrabit. Sela.

7 Narrabit etiam cantores ſimul & tripudiantes *eſſe ibi*: Omnes mei fontes erunt in Te.

PSAL. LXXXVIII.

JOVA meæ Deus ſalutis, apud quem dies, noctéſque conqueror, admitte meas preces, præbe aurem meæ querimoniæ.

2 Nam animus mihi malis ſatur eſt, meáque vita ad inferos uſque accedit;

3 Inter humatos habeor, fui ut homo invalidus;

4 Inter mortuos ſemotus, ut interempti in ſepulchro jacentes, quorum Tu jam non meminiſti, quíque ſunt ex tua procuratione exempti.

5 Tu me ad imum detruſiſti barathrum, in profundæ caliginis locum.

6 Me iracundè urgens toto premis impetu. Sela.

7 Atque ita meos à me familiares alienâſti, ut me eis abominandum reddideris:

8 In carcere ita incluſum, ut exitu caream.

9 In hac ego miſeria, languentibus oculis, Te, Jova, totos dies invocavi paſſis ad Te palmis.

10 Nunquìd Tu mortuis facies admiranda? aut ad Te celebrandum expertes vitæ reſurgent?

11 Scilicet in ſepulchro tua clementia, tua fides in interitu prædicetur?

12 Scilicèt tua miracula in tenebris, tua juſtitia in oblivionis terra cognoſcatur?

13 Equidèm Te, Jova, imploravi, & manè meis interpellabo precibus.

14 Cur hanc animam, Jova, rejicis, tuum mihi vultum abdens?

15 Inops ego & moribundus: A pueritia tuos perfero terrores æſtuans.

16 Tuæ me iræ obruunt, tuæ pervadunt formidines,

17 Undatìm circundantes aſſiduè, & ſimul obſidentes.

18 Cùm Tu à me amicos, neceſſarióſque removeris, familiaréſque mei deliteſcant.

VESPERT.

PSAL. LXXXIX.

TUAM, Jova, clementiam perpetuò canam, tuam fidem in alia atque alia ſecula hoc ore demonſtrans.

2 Etenim cogito tuam clementiam perpetuò propagandam, qui tuam fidem cœlis in ipſis conſtitueris, *hunc in modum*:

3 Percuſſi fœdus cum delecto meo, ſic jurans Davidi meo cultori.

4 Ego tuam prolem in æternum condam, tuúmque ſolium in perpetuas ætates conſtruam. Sela.

5 Ergò cœli ipſi tua miracula, Jova, tuámque fidem in ſanctorum cœtu concelebrant.

6 Nam quis in æthere cum Jova comparandus?

7 Quis Jovæ ſimilis eſt in genere Divorum?

8 Deus eſt in frequenti ſanctorum concilio formidandus, omnibúſque ſuis ſtipatoribus terribilis.

9 Jova Deus armipotens, quis tibi par eſt? Jova præpotens, qui tua fide ſtiparis.

10 Tu ſuperbiæ maris imperas, & fluctus cùm attollit coërces.

11 Tu Ægyptum clade attriviſti, tuos hoſtes tuæ lacerto potentiæ profligans.

12 Tui ſunt cœli, tua & tellus: Mundum Tu, & quicquid eo continetur, fundaviſti.

13 Aquilonem Tu, meridiémque creaviſti: In tuo nomine ovabunt Tabor & Hermon.

14 Tu lacertum robore præditum, tu manum potentem, tu dexteram habes excellentem.

15 Tuum ſolium juſtitiâ & æquitate aptum eſt: Tibi præſtò adſunt benignitas atque fides.

16 Beatus populus, qui Te, Jova, cantare nôrunt, in tui vultûs lumine gradientur.

17 In tuo nomine geſtient aſſiduè, in tua ſeſe jactantes juſtitia.

18 Nam tu eorum virium ornamentum es, tuóque favore cornu noſtrum evehes.

19 Etenim Jova eſt noſtrum propugnaculum, & ſanctus Iſraëlitarum eſt Rex noſter.

20 Tu aliquandò per prædictionem tuis piis pollicitus es in hanc ſententiam: Auxilium heroi accommodavi, electum ex plebe extuli.

21 Nactus ſum Davidem meum cultorem, quem meo ſacro oleo unxi.

22 Quem ſic meâ manu ſtabiliam, ſic meo lacerto confirmabo,

23 Ut eum non hoſtes ſuperent, non iniqui homines opprimant,

24 Et ejus hoſtes ei contundam, & oſores evertam,

25 Meâque eum fide proſequar & benignitate: Et in meo nomine ejus cornu evehetur.

26 Ejúſque imperium mari, ejus dexteram fluminibus imponam.

27 Ipſe me ſuum Patrem, Deúmque, & ſuæ Numen ſalutis appellabit.

28 Ego quoque eum Primogenitum efficiam, ſummum regum terrarum.

29 Perpetuò meam erga eum benignitatem retinebo, meúmque fœdus ei fixum manebit.

30 Et ejus ſemen in æternum, ejus ſolium dum cœli durabunt propagabo.

31 Quòd ſi ex eo prognati, relictâ meâ lege non ſe geſſerint ut meæ ſententiæ poſtulant:

32 Si, profanatis meis placitis, mea præcepta non conſervaverint: Eorum equidèm noxam virgâ, eorum culpam plagis vindicabo.

33 Sed meam erga eum benignitatem non interrumpam, neque fidem fallam.

34 Non meum fœdus violabo, non oris mei pronunciatum mutabo. Semel per ſanctitatem meam juro, Davidi non mentiturus,

35 Ejus ſemen æternum fore, ejúſque ſolium ut ſolem apud me,

36 Utque lunam duraturum ſempèr, ut ſit teſtis fidus in æthere. Sela.

37 Atqui tu uncto repudiato & repulſo iraſceris.

38 Reſcidiſti quod tuo cultori pactus eras, ejus diademate humi proſtrato,

39 Dirutíſque omnibus ejus ſeptis, ejus munitiones in ruinam redegiſti.

40 Prædæ eſt omnibus viatoribus, oſtentui vicinis.

41 Extuliſti ejus adverſariorum dexteram, exhilarâſti omnes ejus hoſtes.

42 Ejus etiam enſis aciem retudiſti, eum in prœliis non ſtabiliens.

43 Ei dignitatem abrogâſti, ejus ſolium in terram colliſiſti.

44 Ejus juventutis tempus decurtâſti, eum turpidudine veſtiens. Sela.

45 Quouſquè tandèm, Jova, latebis, irâ iſtâ quaſi igne flagrans ?

46 Memineris ego quantuli ſim ævi, quàm frivolum creaveris omne genus hominum.

47 Quis homo vivit, qui non ſit mortem ſenſurus ? qui ſit animam ſuam ab orco vindicaturus ?

48 Ubi eſt antiqua illa clementia, Domine, qui Davidi fidem interpoſito jurejurando dediſti ?

49 Memento, Domine, ignominiæ tuorum, quam ego penitùs à tam multis populis perfero :

50 Quantâ ignominiâ tui hoſtes, Jova, quantâ ignominiâ tui uncti calces afficiant. Laudandus Jova in perpetuum ; Etiam atque etiam.

MATUT.

PSALM. XC.

DOmine, Tu nobis receptaculum es perpetuis ſeculis.

2 Tu, qui ante natos montes, ante formatam terram atque orbem, ab æterno in æternum Deus es.

3 Redigis homines in pulverem, & humanum genus redire jubes.

4 Nam apud te mille anni habentur pro heſterno die præterito, próque nocturnis excubiis.

5 Spargis eos, ſomnium ſunt, ut manè gramen adoleſcit.

6 Manè florens adoleſcit, & veſperè reciſum areſcit :

7 Nam irâ tuâ conſumimur, tuâ perturbati ſævitiâ.

8 Tu vitia noſtra in tuo conſpectu, abdita noſtra in tui vultûs lumine collocâſti.

9 Etenim tota ætas noſtra irato Te cedit : Finimus annos noſtros dicto citiùs.

10 Ætatis noſtræ ſpatium ſeptuaginta terminatur annis : Aut (ut ſit bona valetudo) octoginta : Quorum tamen potiſſima pars labores ſunt, & incommoda : Tam celeri ſectione avolamus.

11 Quòd

11 Quòd ſi quis iræ tuæ vim nôrit, ſævitia tua eſt proùt tui reverentia eſt.

12 Ætatem metri noſtram ſic oſtende, ut mentem acquiramus ſapientem.

13 Reconciliare, Jova, quid differs? & placare tuis.

14 Satiato nos manè tuâ clementiâ, & ovantes gaudebimus per omnem ætatem noſtram.

15 Exhilara nos pro tempore, quò nos affligis: Pro annis, quibus malum patimur.

16 Exhibeatur tuis opus, decúſque tuum apud eorum natos.

17 Dominíque Dei noſtri voluptatem conſequamur, & opus noſtrarum manuum perage.

PSAL. XCI.

QUI habitat in præſidio Supremi, is deget in Omnipotentis umbra.

2 Statuam Jovam mihi eſſe fiduciam, & arcem, meúmque Deum; illi confidam.

3 Is enim te à laqueo venatorio, ab exitiali peſte defendet.

4 Te alâ ſuâ proteget, ſúbque pennis ejus tutus eris, ejus fidei ſcuto atque parmâ.

5 Non tu nocturnos terrores, non volucres interdiù ſagittas formidabis.

6 Non peſtem in caligine pervadentem, non meridie graſſantem luem.

7 Etiamſi tibi ad lævam mille, ad dexteram decem millia occumbant, non modò id te non attinget.

8 Verumetiàm tuis ipſius oculis aſpicies, & videbis impiorum pœnas,

9 Quoniàm tu, Jova, mihi es fiducias; In Supremo tuum tibi aſylum collocâſti.

10 Nihil tibi mali accidet, neque clades tuam domum accedet.

11 Nam de te ſuis mandabit angelis, ut te, quocunque perges, tueantur:

12 Qui te manibus ſuſtineant, nè pedem ad lapides offendas.

13 Pardos pervades & aſpides: Leones conculcabis, & dracones.

14 Quoniàm mei percupidus eſt, eum liberabo: Eum protegam, qui meum nomen agnoſcat,

15 Et ab eo invocatus exorabor: Ei in adverſis adero, eum liberans & honorans.

16 Eum ævi longitudine ſatiabo, meámque ei ſalutem præſtabo.

PSAL. XCII.

COnvenit te, Jova, concelebrare, tuúmque, ô Supreme, nomen cantare,

2 Tuam

2 Tuam clementiam manè, tuam fidem noctu prædicando,

3 Decaehordo atque nablo, citharæque modulamine.

4 Sic enim me, Jova, tuis operibus delectas, ut ad manuum facta tuarum lætus exclamem:

5 O quàm magna facta tua, Jova, quàm profundæ ſunt cogitationes!

6 Hoc neſciunt ſtupidi, hoc non intelligunt inſani:

7 Ideò germinare impios ſicut herbas, & omnes florere maleficos, ut in perpetuum intereant; Te in ſempiternum excellente, Jova.

8 Nam certè tui hoſtes, Jova, nam certè tui hoſtes perituri ſunt, & profligandi omnes malefici.

9 Cum intereà extolles velùt unicornis meum cornu, viridíque delibutus oleo,

10 Pœnas hoſtium meorum, & infeſtantium me improborum & oculis cernam, & auribus audiam.

11 Boni verò ut palmæ florebunt, ut cedri in Libano proficient.

12 Sati in domo Jovæ, in Dei noſtri atriis florebunt.

13 Et adhuc in ſenio pingues virentéſque fœtificabunt;

14 Ut feratur æquum eſſe Jovam meum numen, iniquitatis expers.

VESPERT.

Psal. XCIII.

JOVA regnat excellentiâ veſtitus, veſtitus Jova, accinctúſque viribus.

2 Ita mundum habitabilem condidit ut ſit immobilis.

3 A jactis mundi fundamentis conditum eſt tuum ſolium, qui es ab omni æternitate.

4 Edant licèt flumina, Jova, edant flumina ſonitum, edant ſuum flumina ſtrepitum:

5 Tu tot aquarum ſonitibus, tam inſignibus maris fragoribus inſignior es in ſublimi, Jova.

9 Oracula tua certiſſima ſunt: Domum tuam decet, Jova, diuturna ſanctitas.

Psal. XCIV.

DEUS ultor Jova, Deus ultor affulge.

2 Invehere terrarum arbiter: Redde ſuperbis præmium.

3 Quouſquè impii, Jova, quouſquè exultabunt impii?

4 Intoleranda verba proferunt, inſoleſcentes omnes malefici.

5 Populum tuum, Jova, atterunt: Tuum patrimonium affligunt.

6 Viduas

6 Viduas & peregrinos interimunt, & pupillos occîdunt:

7 Et id videre Jovam, id Jacobidarum Deum negant intelligere.

8 Intelligite, ô hominum ſtupidiſſimi & inſani:. Ecquandò ſapietis?

9 Scilicèt aurium ſator non audiet? aut oculorum formator non cernet?

10 Scilicèt gentium punitor non pœnas ſumet? Qui ſcire docet homines.

11 Jova ſcit hominum cogitationes eſſe vanas.

12 Beatus homo quem tu, Jova, corrigis, tuámque legem doces,

13 Ut ſecurum reddas à malis temporibus, dum cavatur impiis fovea.

14 Non enim deſtituet Jova ſuum populum, non deſeret ſuum patrimonium:

15 Quin ad juſtitiam redeat judicium, quam ſequantur omnes homines frugi.

16 Quis conſurget mihi adversùs malignantes? quis mihi cum maleficis congreditur?

17 Niſi Jova mihi ſuccurreret, periculum eſſet nè apud inferos habitarem.

18 Sed cùm mihi pedem labefieri cogito, tua mihi, Jova, adminiculatur clementia.

19 In tot mei pectoris ſolicitudinibus, tua mihi conſolatio recreat animum.

20 Nihil enim tibi commune eſt cum ſolio ſceleratorum, qui facinora patrant ex inſtituto:

21 Coëuntes contra juſtas animas, & innocentem ſanguinem condemnantes.

22 Sed mihi Jova præſidio eſt: Mihi Deus meus numen eſt, cui confidam:

23 Qui illis injuriam rependet, & ob ipſorum improbitatem perdet eos, perdet eos Jova Deus noſter.

MATUT.

PSAL. XCV.

ADeſte, cantemus Jovam: Reſonemus numen ſalutare nobis.

2 Interpellemus eum celebrando, & cantionibus reſonando.

3 Etenim Deus magnus eſt Jova, & rex omnium maximus deorum.

4 Ejus in manu terræ penetralia; ejus ſunt montium altitudines.

5 Ejus eſt mare quod ipſe fecit, ſiccúmque ſuis is manibus formavit.

6 Agite, veneremur ſupplices, flexis ante Jovam creatorem noſtrum genibus.

7 Is enim Deus noſter eſt,

eſt, & nos ejus gubernationis populus, ejúſque procurationis oves.

8 Ejus vocem ſi hodiè audieritis, nolite indurare corda veſtra, ut in illo jurgio, ut in die tentationis in ſolitudine.

9 Cùm me tentavêre majores veſtri, cùm me probavêre, quamvìs meum vidiſſent opus.

10 Quorum generis ego quadraginta pertæſus annos, dixi, homines eſſe ſocordes, meæque ignaros viæ.

11 Iratus igitur juravi, non eſſe in meam requiem perventuros.

PSAL. XCVI.

CAntate Jovam novo carmine: Cantate Jovam totus orbis terrarum.

2 Cantate Jovam, ejus nomen commendantes, ejúſque tutelam quotidiè prædicantes.

3 Ejus gloriam in gentibus, ejus miracula in omnibus narrate nationibus.

4 Nam maximus eſt Jova, & laudabiliſſimus, omniúmque deorum formidabiliſſimus.

5 Omnes enim cæterarum nationum dii deaſtri ſunt: At Jova cœlorum conditor eſt.

6 Quem penès eſt majeſtas, & autoritas, cujúſque in ſacrario potentia eſt atque decus.

7 Tribuite Jovæ, ô populorum genera, tribuite Jovæ gloriam atque potentiam:

8 Tribuite Jovæ nomini gloriam, & munera ferentes venite in ejus atria.

9 Veneramini Jovam cum decenti ſanctimonia: Hunc contremiſcite, univerſus orbis terrarum.

10 Dictitate per gentes, Jova regnat, is qui mundum condidit immobilem, populos ex æquo judicaturus.

11 Gaudeant cœli, exultétque tellus: Intonet mare, & quod eo continetur.

12 Geſtiat & *omnis* ager, & quicquid in eo continetur; tum omnes ſylvarum arbores ovabunt in conſpectu Domini.

13 Venit enim Jova, venit judicatum terras: Orbem juſtè & populos fidelitèr judicaturus.

PSAL. XCVII.

JOVA regnat, exultet tellus, lætentur tot inſulæ.

2 Nube circundatus & caligine, ſolium habet ex juſtitia & æquitate aptum.

3 Eum præcedet ignis, ejus hoſtes undiquè inflammans.

4 Illuſtrârunt orbem ejus fulgura, quo viſo, terra concutitur.

5 Montes

5 Montes ut cera lique-
ſcebant, adventu Jovæ, ad-
ventu Domini totius terræ.
6 Ejus prædicârunt juſti-
tiam cœli: Ejus gloriam vi-
derunt omnes nationes.
7 Pudeat omnes ſimula-
chricolas, de deaſtris glo-
riantes: Eum veneramini
omnes dii.
8 Quo audito, gaudebat
Sion; lætabantur Judææ
puellæ, propter tua, Jova,
judicia.
9 Qui toto orbe terrarum
ſummus, deorum omnium
longè ſupremus es.
10 Odio habete malum,
amatores Jovæ, qui piorum
ſuorum vitas tuetur, eos ab
impiorum manu defendens.
11 Lux ſeritur juſtis, &
mente probis gaudium.
12 Gaudete juſti in Jova,
ejus ſanctam celebrantes me-
moriam.

VESPERT.

PSAL. XCVIII.

CAntate Jovam novo
carmine, quippe qui
mira fecit.
2 Suâ ſibi dexterâ, ſuo
ſacro brachio victoriam pe-
perit.
3 Oſtendit Jova ſuam vi-
ctoriam, in oculis gentium
ſuam patefecit juſtitiam:
4 Memor ſuæ erga do-
mum Iſraëliticam manſue-
tudinis, atque fidei, ſpe-
ctantibus Dei noſtri victo-
riam omnibus terrarum fini-
bus.
5 Reſonate Jovam, totus
orbis: Prorumpite, ovate &
cantate,
6 Cantate Jovam citharâ,
citharâ, & canorâ voce.
7 Buccinis & tubæ ſo-
nitu perſonate ante regem
Jovam.
8 Roboët & mare, & quod
eo continetur; orbis & ejus
habitatores:
9 Ipſi manibus plaudant
omnes, ſingúlque montes o-
vent in adventum Jovæ: Qui
venit judicatum terras,
10 Orbem juſtè, & popu-
los judicaturus ex æquo.

PSAL. XCIX.

JOVA regnat, contremi-
ſcant licèt populi: Che-
rubis inſidet, etſi commove-
atur tellus.
2 Jova in Sione adeò
magnus eſt, omnes ut po-
pulos ſupereminéat.
3 Celebrabunt magnum
iſtud & terribile nomen, quod
ſanctum eſt.
4 Regis quidem potentia
jus amat: Tu æquitatem
conſtituis, tu jus, æquúmque
facis apud Jacobæos.
5 Extollite Jovam Deum
noſtrum, ejúſque pedum ſub-
ſellium veneramini, qui ſan-
ctus eſt.

6 Moſes & Aharon ex ejus ſacerdotibus, & Samuel ex ejus nomen invocantibus, Jovam invocantes exorabant,

7 Eóſque ipſe in columna nubis alloquebatur, conſervantes oracula & inſtitutionem ipſis ab eo traditam.

8 Tu, Jova Deus noſter, exaudiebas eos, ab iis exoratus; tamen eorum facta ultus es.

9 Extollite Jovam Deum noſtrum, eúmque in ſancto monte veneramini: Nam ſanctus eſt Jova Deus noſter.

PSAL. C.

PErſonate Dominum, totus orbis: Servite Domino cum lætitia: Venite in ejus conſpectum cum modulis.

2 Cognoſcite Dominum Deum eſſe: ab Ipſo, non à nobis ipſis facti ſumus, ejus populus, ejúſque paſcui oves.

3 Ingredimini ejus portas cum commendatione, atria cum laudibus: Eum celebrantes, ejus nomen collaudantes.

5 Nam bonus eſt Jova, perpetuæ clementiæ, & ſempiternæ fidei.

PSAL. CI.

CLementiam, júſque canam, Te, Jova, cantans.

2 Innocentiæ viam prudentèr inſiſtam.

3 Quando ad me venies, ſincerâ me mente geram in mea familia.

4 Non mihi nequitiam proponam: Maleficentiam ſic exoſus, ut apud me non hæreat.

5 Perverſa mens à me faceſſet, ignaro mali.

6 Detrahentes occultè alteri evertam.

7 Supercilium & animi elationem non feram.

8 Regionis fideliſſimos quoſque in oculis fero, quos mihi contubernales habeam.

9 Qui ſe gerit innocentèr is mihi miniſtrabit.

10 Non manebit domi meæ perfidioſus: Non falſiloquus conſiſtet ante meos oculos.

11 Maturè evertam omnes regionis impios, ut exſcindam ex Jovæ civitate omnes maleficos.

MATUT.

PSAL. CII.

JOVA, audi meas preces, & meam admitte querimoniam.

2 Noli tuum mihi vultum abdere, cùm verſor in anguſtiis: Præbe mihi aurem, invocanti protinùs exoratus.

3 Nam mea quaſi fumus evaneſcit ætas, meáque membra velutì torris areſcunt.

4 Cor mihi velùt icta ſiccatur herba, immemori capiendi cibi.

5 Tam gemebunda eſt mea vox, ut mihi adhæreant oſſa carnì.

6 Refero pelicanum ſolitudinis; ſum tanquàm bubo vaſtitatum.

7 Pervigilo, qualis eſt ſolus in tecto paſſerculus.

8 Quotidianâ me ignominiâ afficiunt hoſtes mei, & in me debacchantes conjurant:

9 Adeò ut pulvere pro pane veſcar, meámque potionem fletu diluam:

10 Ob tuam ſævitiam atque iracundiam, qui me ſublatum abjeceris.

11 Ætas mea umbræ modo inclinat, me herbæ ritu areſcente.

12 At tua, Jova, qui manes æternus, ſempiterna erit memoria:

13 Tu autem exurgens miſereberis Sionis: Nam tempus, nam ejus miſerandi venit occaſio.

14 Deſiderant enìm tui cultores ejus lapides, ejus miſerti pulveris.

15 Ità gentes tuum, Jova, nomen, ità omnes terrarum reges tuam reverebuntur gloriam:

16 Quùm inſtauraverit Jova Sionem, in ſua conſpicuus gloria,

17 Et ſolicitorum preces non aſpernatus eorum orationem reſpexerit,

18 Scribetur hoc ad poſteritatem, hominéſque futuri Jovam collaudabunt:

19 Qui Jova de ſuo ſublimi fano deſpexerit, de cœlis terras aſpiciens,

20 Audiendo vinctorum gemitus, ſolvendo morti deſtinatos,

21 Ut Jovæ nomen in Sione, ut Jovæ laus Hieroſolymis prædicetur,

22 Cùm populi eódem, regnáque ad Jovam colendum convenerint.

23 Quem equidèm meas vires in vitæ curſu affligentem, meum ævum decurtantem

24 Sic alloquor: Mi Deus, noli me in media ætate

tollere, tu qui annis ſempiternus,

25 Olim terram fundâſti, cujúſque manuum opus ſunt cœli:

26 Et illi quidem peribunt, Te permanente, omnéſque tanquàm indumentum inveteraſcent:

27 Veſtis in modum, Te mutante, obſoleſcent: Tu autem immutabilis annorum es infinitorum.

28 Tuorum cultorum nati perdurabunt, eorúmque ſtirps erit apud te ſtabilis.

PSAL. CIII.

COllauda, anima mea, Jovam, & totum meum pectus ſacrum ejus nomen.

2 Collauda, anima mea, Jovam, tot ejus beneficiorum haud immemor.

3 Qui tuis tot vitiis ignoſcens, tuos tot morbos ſanat.

4 Qui vindicat ab interitu tuam vitam, clementiâ Te & miſericordiâ coronans.

5 Qui bonis tuas ſatiat maxillas, tuam quaſi aquilæ juventam renovans.

6 Qui Jova æquum, júſque facit omnibus fraude oppreſſis.

7 Qui ſuas Moſi vias, qui ſuam naturam oſtendit Iſraëlitis.

8 Miſericors & exorabilis Jova, irâ tardus, clementiâ multus:

9 Non perpetuò rixatur, non ſempèr injuriæ memor eſt.

10 Non nos pro noſtris peccatis tractat, non nos ut digna ſunt noſtra vitia remuneratur.

11 Quin quantùm terras ſupereminent cœli, tantùm excellit ejus erga ipſius reverentes clementia.

12 Quantùm diſtat oriens ab occidente, tantùm removet à nobis delicta noſtra.

13 Ut miſeretur filiorum pater, ſic Jova ſui reverentium.

14 Novit enim conditionem noſtram, memor nos eſſe pulverem.

15 Hominis ætas ſimilis eſt graminis: Floret ut flos terreſtris,

16 Qui à vento invaſus nuſquàm eſt, eúmque ſuus ampliùs neſcit locus.

17 At Jovæ clementia ab æterno durat in æternum erga ejus reverentes, & juſtitia erga natos natorum:

18 Erga ejus fœderis conſervantes, & obeundorum ejus placitorum memores:

19 Qui Jova ſolium ſibi compoſuit in cœlis, regno ſuo omnibus imperans,

20 Collaudate Jovam ejus Angeli virtute præſtantes,

tes, ejus exequentes juſſa, auditis ejus mandatis.

21 Collaudate Jovam, omnis ejus exercitus, ejus miniſtri ejus facientes voluntatem.

22 Collaudate Jovam univerſa ejus opera, in univerſis ejus imperii locis: Collauda, anima mea, Jovam.

VESPERT.

PSAL. CIV.

COllauda, anima mea, Jovam: Jova mi Deus, perquàm magnus es, autoritate veſtitus & majeſtate.

2 Qui, lumine quaſi veſte indutus, cœlos tanquàm velum intendis.

3 Tuas aulas in aquis contabulas, &, nubium vehiculo utens, venti alis incedis.

4 Facis tibi ex ſpiritibus nuncios, ex igne flammanti miniſtros.

5 Terram in ſuis baſibus ità fundâſti, ut nullo commoveatur ævo.

6 Quam cùm profundo tanquàm veſte operuiſſes, ſuper montes ſtabant aquæ.

7 *Quæ aquæ*, Te increpante, fugerunt, ad tui tonitrui ſonum perterritæ.

8 Summos montes aſcendunt, & in valles infrà poſitas deſcendunt, in locum ſcilicèt ſibi à Te deſtinatum.

9 Eis Tu terminum ſtatuiſti, quem non tranſeant, neque terras iterùm operiant.

10 Emittis fontes in flumina, quæ montes intermeent:

11 Undè omnia terreſtria bibant animalia, & onagri ſitim extinguant.

12 Ad ea cœleſtes habitabunt volucres, de mediis vocem frondibus emittentes.

13 Tu, montes ex tuis irrigans fornicibus, terram tuorum operum fructu exaturas.

14 Gramina pecudibus germinare facit, & herbas ad uſum hominum,

15 Ut eliciat ex terra victum, & vinum, quod hóminum exhilaret animos; & oleum, quo niteant facies, & panem, qui hominum corda ſuſtentet.

16 Saturantur & arbores Jovæ, Liboni cedri ab eo ſatæ:

17 Ubi nidulentur aviculæ, & in pinis ædificans ciconia.

18 Montes ardui ibicibus, rupes cuniculis perfugio ſunt.

19 Tu lunam ſtatorum temporum causâ feciſti, ſolémque peritum occasûs ſui.

23 Si tenebras inducis, fit nox, in qua omnia ſylveſtria gradiuntur animalia:

21 Leones ad prædam frementes, & à Deo pabulum ſibi petentes.

22 Oritur ſol, ſeſe recipiunt, ínque ſuis luſtris recubant.

23 Prodit homo ad opus munúſque ſuum, uſquè ad veſperum.

24 O quàm multa ſunt opera tua, Jova! qui cuncta ſapientèr feciſti, cujus rerum plena tellus eſt.

25 Tum vaſtum illud, latéque patens pelagus, ubi natantia ſunt innumera, animantes minutæ ſimul & magnæ.

26 Illàc eunt naves, cum balæna illa, quam Tu, ut in eo ludat, condidiſti.

27 A Te pendent omnia, ut eis ſuo tempore paſtum ſuppedites:

28 Quem, Te dante, colligunt, Te manum aperiente, ſatiantur bonis.

29 Si faciem tuam abdis, conturbantur: Si eorum ſpiritum comprimis, expirant, & in ſuum pulverem redeunt.

30 Si ſpiritum tuum emittis, recreabuntur, & terræ faciem renovabis.

31 Durabit Jovæ gloria in æternum, lætante Jovâ ſuis factis:

32 Cujus aſpectu tellus concutietur, tactu montes fumabunt.

33 Canam Jovam dum vivam: Cantabo Deum meum, donèc ero:

34 Cui dum mea placeat oratio, in Jova lætabor.

35 Cùm intereà ſcelerati omnino ex orbe tollentur, & impii jam nuſquàm erunt: Collauda, anima mea, Jovam. Halleluja.

MATUT.

PSAL. CV.

CElebrate Jovam, ejus & nomen invocantes, & opera ejus in populis demonſtrantes.

2 Hunc canite, hunc cantate, tot ejus miracula meditantes.

3 Hujus in ſancto nomine vos jactate, gaudentibus animis cupidorum Jovæ.

4 Studete Jovæ, ejúſque potentiæ, ejus vultum requirentes continentèr.

5 Recolite quæ edidit miracula, prodigia, & latas ab eo ſententias.

6 O Abrahami ſtirps, ejus cultoris: O Jacobo prognati ejus electo:

7 Is Jova Deus noſter eſt, cujus jura toto patent orbe terrarum:

8 Memor in æternum ſui fœderis, rei quam in mille ſecula mandavit,

9 Quod cum Abrahamo percuſſit, quod Iſaaco jurejurando confirmavit,

10 Idque Jacobo ſtatuto, Iſraëli

Iſraëli pacto ſtatuit æterno,

11 Promittens ſeſe eis Chananæam daturum terram, eorum patrimonii ſortem.

12 In qua cùm eſſent exigui numero, pauci, & ii peregrini:

13 Cúmque ex aliis gentibus ad alias, ex aliis regnis ad alias migrarent nationes:

14 Non permiſit eis à quoquam injuriam fieri: Quin eorum causâ animadvertit in reges.

15 Nolite meos unctos tangere, meíſve nocere vatibus.

16 Deindè, cùm in ea regione famem excitâſſet, fracto omni alimentorum adminiculo,

17 Præmiſit illis hominem, in ſervitutem venditum Joſephum.

18 Cujus pedes compedibus vexati, cujus anima tentata ferro eſt;

19 Uſquè ad id tempus, quo venit quod erat de eo decretum: Eúmque Jovæ juſſu exploratum,

20 Rex hominum dominator eruendum, ſolvendúmque curavit:

21 Et domûs ſuæ Dominum, omniúmque ſuarum facultatum gubernatorem conſtituit.

22 Ut & proceres ejus arbitratu ſuo cogeret, & ſenatores erudiret.

23 Ergò venit Iſraël in Ægyptum, peregrinatus eſt Jacobus in terra Chamæa.

24 Atque ille populum ſuum ita fœcundavit, ut eum ſupra ipſius hoſtes augeret,

25 Quorum animos ad populi ſui odium convertit, & ad ſuos cultores circumveniendos.

26 Tum Moſem cultorem ſuum, & à ſe delectum Aharonem miſit,

27 Qui apud illos mandata ab eo oſtenta & prodigia ediderunt in terra Chamæa.

28 Tum tenebrarum obſcuritatem invexit, illis ejus mandata detrectantibus.

29 Mutavit illorum aquas in ſanguinem, eorúmque piſces necavit.

30 Scatuit eorum terra ranis etiam in ipſorum penetralibus regum.

31 Juſſit & inſecta provenire, & pediculos in omnibus eorum finibus.

32 Eis pluviæ loco grandinem, flammantéſque immiſit ignes in eorum terram,

33 Et eorum vites ficuſque contudit, arboréſque finium eorum perfregit.

34 Juſſit & locuſtas, bruchóſque exiſtere innumerabiles, qui omnes in eorum territorio herbas, terræque fruges perederunt.

35 Occidit & omnia in eorum regione primogenita, omnis eorum virilitatis primordium.

36 Atque ita ſuos aurum argentúmque ferentes eduxit, nemine in eorum tribubus impedito,

37 Gaudentibus eorum emigratione Ægyptiis, utpotè eorum terrore perculſis;

38 Ille nubem explicuit in operimentum, ignémque ad noctu prælucendum.

39 Petentibus coturnices invexit, eóſque cœleſti pane ſatiavit;

40 Cautem diſcluſit, undè, ſcatente lymphâ, manavit per deſerta fluvius.

41 Meminerat enìm quid Abrahamo cultori ſuo ſanctè promiſiſſet:

42 Igitùr populum ſuum cum lætitia, delectos ſuos cum cantu eduxit:

43 Eíſque gentium aliarum terras, eis populorum laborem dedit poſſidendum:

44 Ut ejus decreta, legéſque tuerentur & conſervarent. Halleluja.

VESPERT.

PSAL. CVI.

CElebrate Jovam, qui bonus, qui æternæ eſt clementiæ.

2 Quis Jovæ virtutes, quis omnes fando laudes exprimat?

3 Beati qui jus tuentur, qui æquum faciunt omni tempore.

4 Memento mei, Jova, pro tuo erga tuos favore: Affice me tuâ ſalute:

5 Ut electorum tuorum bona videam, ut tuæ gentis voluptate fruar cum tua glorians hereditate.

6 Peccavimus cum majoribus noſtris, vitiosè & impiè egimus.

7 Majores noſtri in Ægypto tua miracula non ritè perpenderunt, tuorúmque tot beneficiorum immemores, in ora maris rubri rebellârunt.

8 Et tamèn eos propter ſuum nomen conſervavit, ut ſuam oſtenderet potentiam.

9 Increpitóque, & exiccato mari rubro, per profunda duxit tanquàm per ſylvam;

10 Et ab adverſariorum manu defendit, ab hoſtium manu vindicavit;

11 Cùm interìm eorum hoſtes ſic obruti fuerint aquis, ut ex eis ne unus quidem ſuperfuerit.

12 Itaquè

12 Itaquè illi ejus dictis credentes ejus cecinêre laudes.

13 Sed ejus factorum protinùs obliti, non expectato ejus conſilio,

14 Capti cupidine in ſylvis, Deum in ſolitudine tentârunt:

15 Qui eis ita poſtulata dedit, ut eis vitæ luem immiſerit.

16 Item inviderunt Moſi in caſtris, & Aharoni Jovæ ſacro.

17 Itaquè tellus hians Dathanem devoravit, Abiramíque gregem obruit:

18 Et, incenſo in eorum cœtum igne, impios flamma combuſſit.

19 Prætereà fecêre vitulùm in Horebo, conflatúmque venerati ſunt,

20 Gloriam ſuam ita permutantes cum herbivori bovis imagine:

21 Obliti ſui conſervatoris Dei, qui tam magna in Ægypto,

22 Tam mira in terra Chamæa, tam horrenda ad mare rubrum fecerat.

23 Itaquè ſtatuit eos extinguere, niſi Moſes ejus electus eum interpellâſſet in illa ſtrage, ut ejus ſævitiam ab illorum internecione retraheret.

24 At illi tam elegantem terram aſpernati ſunt, ejus dictis non credentes:

25 Et, in ſuis murmurantes tabernaculis, Jovæ dicto audientes non fuêre.

26 Ergò ille manum illis attulit, eos per ſylvas ſternendo:

27 Eorúmque progeniem per gentes dejiciendo, & eos diſpergendo per terras.

28 Itémque, cum Baale Phegore copulati, mortuales polluxêre victimas:

29 Quibus eorum moribus irritato Deo, graſſata in eos clades eſt:

30 Cùm quidem extitit Phinees, ad cujus preces cohibita clades eſt:

31 Id quod ei juſtitiæ datum eſt, in omnem ſeculorum perennitatem.

32 Adhæc ei ad aquam jurgii moverunt iram, adeò ut Moſi nocuerit eorum culpâ.

33 Nam, per eos offenſus animo, perperam verba fecit.

34 Non delevêre nationes, quas eis Jova juſſerat:

35 Sed cum cæteris gentibus permixti earum facta didicerunt:

36 Adeò ut earum ſtatuas colerent, quæ eis fuêre detrimento, ſuóſque filios & filias ſacrificarent cacodæmonibus:

37 Atque inſontem etiam funderent ſanguinem, videlicèt

licet liberûm ſuorum, quos Chananæorum immolavêre ſtatuis, quo ſanguine contaminata terra eſt.

38 Ad hunc modum ſuis factis polluti, & moribus meretricati ſunt.

39 Iratus igitùr ſuo populo Jova ſuam abhorruit hereditatem;

40 Et illos, gentibus in poteſtatem traditos, inimicorum imperio ſubjecit:

41 A quibus hoſtibus vexati ſunt, & ſub eorum ditionem ſubjuncti.

42 Ille eos ſæpenumerò liberavit, cùm ipſi ſuo conſilio ei adverſarentur, ſuâque culpâ attenuarentur:

43 Et in adverſis reſpexit rebus, auditis eorum querelis.

44 Memórque fœderis *quod ipſi cum eis intercedebat*, reconciliatus eſt pro ſua ſingulari clementia: Et in eos miſericordiam commovit omnium, apud quos erant captivi.

45 Serva nos, Jova Deus noſter, & ex cæteris gentibus collige, ut tuum ſanctum celebremus nomen, in tuis nos laudibus jactantes.

46 Collaudetur Jova Deus Iſraëlitarum per omnem æternitatem, dicátque populus omnis, Amen. Halleluja.

MATUT.

PSAL. CVII.

CElebra Jovam, qui bonus, qui æternâ eſt clementiâ.

2 Prædicent illum qui redempti ſunt à Domino, quos ille vindicavit è manu opprimentium:

3 Et diverſis ex terris, ex oriente, occidente, ſeptentrione atque mari collegit:

4 Per ſylvas & avia loca errabant, oppidum quod incolatur non invenientes;

5 Famelici & ſitibundi, animóque erant anxii.

6 In ea anguſtia tum Jovam invocabant, & ille eos liberabat ex periculis.

7 Rectâ viâ eos eò deducebat, ut in oppidum venirent, quod habitetur.

8 Celebrent illi Jovæ clementiam & miracula apud hominum genus,

9 Qui ſatiaverit indigos, boníſque repleverit famelicos;

10 Qui in tenebris & funeſtâ nocte ſedent, miſeriâ & ferro conſtricti:

11 Quoniàm ſupremi Dei dictis & conſilio contumelioſè adverſati ſint:

12 Quorum ille mentes labore domat, quíque jacent indefenſi;

13 In ea tum anguſtia Jovam invocabunt, & ille eos aſſerebat ex periculis:

14 Nam eos ex tenebris & funeſta nocte eripuit, abruptis eorum vinculis.

15 Celebrent illi Jovæ clementiam & miracula apud hominum genus:

16 Qui oſtia perruperit ærea, ferreáque clauſtra perfregerit.

17 Veſani propter peccandi conſuetudinem, propterque ſua vitia torquentur:

18 Animo cibum omnem abhorrentes, ad lethi portas appellebant:

19 In ea tum anguſtia Jovam invocabant, & ille eos aſſerebat ex periculis.

20 Suóque juſſu ſanandos curabat, & ab interitu liberandos.

21 Celebrent illi Jovæ clementiam & miracula apud hominum genus,

22 Faciántque grati animi ſacrificia, ejus opera cum cantu narrantes.

23 Qui navibus in mare deſcendunt, negotia in vaſtis exercentes aquis;

24 Ii Jovæ facta & miracula vident in profundo.

25 Nam ille ſuo juſſu ventum excitat tempeſtuoſum, quo fluctus maris attollente,

26 Aſcendunt in cœlum, deſcendunt in gurgites, animis in tanto malo fatiſcentibus.

27 Vacillant & titubant ebriorum more, abſumptâ omni eorum peritiâ.

28 Quòd ſi in ea anguſtia Jovam invocant, ille eos eripit ex periculis,

29 Tempeſtatem tranquillans; illóſque fluctus ſedans:

30 Quâ illi tranquillitate læti, ab eo in optatum ducuntur portum.

31 Celebrent illi Jovæ clementiam & miracula apud hominum genus.

32 Eum in hominum cœtu, extollente, & in ſenum conſeſſu collaudantes.

33 Qui fluvios in ſylvam, aquarum ſcatebras in loca ſiticuloſa,

34 Terram fertilem in ſalſam redigit, ob ſcelus incolarum.

35 Qui ſolitudinem reddit aquâ ſtagnantem, aridúmque ſolum lymphis ſcatens,

36 Ibíque famelicos collocat, qui habitandum condant oppidum,

37 Agros conſerant, vineas pangant fructuoſum edituras proventum:

38 Atque eos ille multùm fœcundans auget, nec minùs eorum pecus,

39 Cùm oppreſſi, malorum neceſſitate & mœrore, fuiſſent diminuti.

40 Etſi

40 Etſi eos ſinat primatum injuriis affici, & per devia, ſentáque loca errare;

41 Pauperes tamèn à calamitate protegit, tractans eos tanquàm famulos ſuos, tanquàm oves ſuas.

42 Id quod videntes probi lætabuntur, cùm omnis improbitas obmuteſcat.

43 Qui ſapiet, hæc obſervabit, & intelliget beneficia Jovæ.

VESPERT.

PSAL. CVIII.

COmpoſito ſum animo, Deus, compoſito ſum animo ad canendum atque cantandum *meâ linguâ, quæ* mea *eſt* gloria.

2 Expergiſcere, nablum & cithara, expergiſcar primo mane.

3 Celebrabo Te apud nationes, Jova, Te apud populos cantabo:

4 Tuæ enim clementiæ magnitudo cœlos exuperat, tua fides attingit æthera.

5 Evehere ſupra cœlos, Deus, cujus gloria toto patet orbe terrarum.

6 Ut evadant tui dilecti, conſerva nos iſtâ dexterâ, mihi exoratus.

7 Promiſit Deus in ſuo fano, quæ læter: Dividam Sichemam, vallémque Sochotha dimetiar.

8 Meus eſt Galaadus, meus Manaſſes, & Ephraïmus mei capitis firmamentum.

9 Juda meum eſt imperium: Moabus meæ lebes lotionis: Ad Idumum jaciam meum calceamentum: In Palæſtinam adoream ſonabo.

10 Quis me ad urbem ſiſtet munitam? Quis me perducet ad Idumæum?

11 Cùm tu nos, Deus, rejeceris, neque cum noſtris proficiſcare copiis.

12 Fer nobis auxilium contra periculum, quandò vana eſt humana defenſio.

13 Per Deum fortia patrabimus, eo noſtros proterente perduelles.

PSAL. CIX.

O Deus, mea laus, ne diſſimula. Nam impium perfidúmque os in me aperitur:

2 Adversùm me loquitur lingua mendax: Verbis circumſeſſus inimicis oppuguor immeritò.

3 Pro amore meo infeſtor, itaquè comprecatione uſus:

4 Malóque pro bono, & odio pro meo amore afficior.

5 Præfice ei impium, eíque Satan ad dexteram aſtet.

6 Cùm judicabitur, abeat damnatus,

damnatus, ejúſque preces ei ſint crimini.

7 Sit ejus ætas brevis, ejus munus excipiat alius.

8 Sint ejus nati pupilli, & uxor vidua:

9 Errantéſque mendicent ejus liberi, indigentes, utpotè derelicti.

10 Irretiat creditor omnes ejus facultates, ejúſque labore parta diripiant alieni.

11 Ne ſit qui eum benignitate proſequatur, ne ſit qui ejus pupillorum miſereſcat.

12 Sit poſteritas illius excidio *obnoxia*, in poſterum deleto illorum nomine.

13 Recolatur ejus parentum culpa apud Jovam: Nec ejus matris crimen obliteretur.

14 Illóſque ſempèr habens propoſitos Jova, extirpet ex terris eorum memoriam.

15 Quandoquidèm, exercendæ beneficentiæ immemor, hominem inopem, pauperem, animóque ægrum perſequitur ad necem.

16 Et poſtquàm infelicitatem amat, ea contingat ei: Poſtquam felicitate non delectatur, faceſſat ab eo.

17 Veſtiebatur infelicitatis amictu, quæ ut aqua in ejus viſcera, ut oleum in artus penetrabit:

18 Sit ei pro veſtis amictu, próque cinctu jugitèr cingendo.

19 Hæc merces à Jova meis adverſariis eveniat, meæque vitæ perniciem cogitantibus.

20 Tu verò, Jova Domine, tranſige meum negotium propter tuum nomen, pro tuæ beneficentiæ bonitate.

21 Libera me, nam inops & pauper ego ſum, cor in pectore ſaucium habens.

22 Ut inclinans umbra diſcedo, locuſtarum more ſtridens.

23 Genua mihi labant præ inedia, meo corpore defectu pinguitudinis tabente.

24 Súmque illis probro, qui me ſpectantes motu capitis derident.

25 Succurre mihi, Jova mi Deus, conſerva me pro tua clementia:

26 Ut ſciatur hoc opus eſſe tuum, hoc Te, Jova, feciſſe.

27 Deteſtentur illi, Tu faveas: Eíſque turpitèr confutatis, tuus ego gaudeam.

28 Veſtiantur adverſarii mei ignominiâ, ſuæque turpitudinis pallio induantur.

29 Agam Jovæ gratias ingentes hoc ore, & eum in frequenti corona laudabo:

30 Nam pauperi dexter aſtabit, eum ab ejus vitæ condemnatoribus defendens.

MATUT.

MATUT.

Psal. CX.

AIT Jova Domino meo: Sede ad meam dexteram, donec tuos hoſtes effecero ſcabellum pedum tuorum.

2 Sceptrum tuæ potentiæ mittet ex Sione Jova; dominare *ergò* inter hoſtes tuos.

3 Qua in die copias educes tuas; aderit Tibi tuus populus, oblationibus voluntariis te ſanctiſſimè colens: Ex utero auroræ habebis rorem generationis tuæ.

4 Juravit Jova, non mutaturus ſententiam, Te ſacerdotem eſſe in æternum, ad rationem Melchiſedeci.

5 Dominus Tibi dexter, tum cùm iraſcetur, reges obtruncabit.

6 Ulciſcetur gentes cum vaſta ſtrage corporum: Et capita obtruncabit, quæ multis regionibus præſunt.

7 Ex torrente bibet in via, atque ideò caput extollet.

Psal. CXI.

CElebrabo Jovam toto corde in proborum concilio, atque cœtu.

2 Magna ſunt facta Jovæ, ſtupenda quibuſcunque placent.

3 Ejus & opus autoritatis & majeſtatis eſt, & juſtitia ſtat in æternum.

4 Famam ſibi ſuis comparavit miraculis, exorabilis & miſericors Jova.

6 Prædam dedit ſui metuentibus, memor ſempèr ſuæ pactionis.

6 Factorum ſuorum vim ſuis oſtendit, ut iis gentium poſſeſſionem tribuat.

7 Ejus manuum opera vera atque æqua ſunt, fida ſunt ejus omnia mandata,

8 Fixa ad perpetuitatem, in fide & æquitate conſtituta.

9 Redimendos curavit ſuos: Sanxit in æternum ſuum fœdus, ſanctum & terribile nomen habens.

10 Sapientiæ caput eſt Jovæ metus: Rectè ſapiunt, hæc quicunque præſtant, quorum laus æterna manet.

Psal. CXII.

BEatus homo qui Jovam reverens ejus præceptis multùm delectatur.

2 Potens in terris erit ejus progenies: Genus proborum fortunabitur.

3 In ejus domo erunt opes & divitiæ, ejus liberalitate in perpetuum manente.

4 Juſto lux oritur in tenebris, is manſuetus, miſericors & liberalis eſt.

5 Vir bonus miſeretur & commodat, ſua verba judicio temperabit.

6 Nunquàm enìm commovebitur, erítque benefici hominis æterna memoria.

7 Malorum auditu non terrebitur, tutum animum habens Jovæ fiduciâ.

8 Adeò fixo animo eſt, ut nihil formidet, quin riſurus ſit hoſtium ſuorum pœnas.

9 Diſperſit largiens pauperibus, durat ſempèr ejus liberalitas, ejuſque cornu extolletur gloriosè.

10 Id quod videntes impii ſic ægrè ferent, ut dentibus frendentes contabeſcant, eorúmque cupiditas peribit.

PSAL. CXIII.

LAudate, o Jovæ cultores, laudate Jovæ nomen.

2 Commendetur Jovæ nomen deincèps in perpetuum.

3 Ab ortu ſolis ad occaſum laudabile Jovæ nomen eſt.

4 Excellit gentes omnes Jova: Et majeſtas ipſius cœlo ſublimior eſt.

5 Quis eſt Jovæ Deo noſtro conferendus, qui rebus ſummis præeſt, ſe tamèn ità demittit ut inſpiciat quæcunque ſunt in cœlo & in terra?

6 Is tenuem excitat ex pulvere, pauperem allevat ex fimo:

7 Eum inter præcipuos collocans, inter præcipuos ſuorum.

8 Sterili familiam conciliat; liberos, quibus mater gaudeat, condonat. Halleluja.

VESPERT.

PSAL. CXIV.

CUM Iſraëlitæ ex Ægypto, cùm Jacobæa domus emigraret ex populo barbaro,

2 Judæi Deo fuêre ſanctitati, & Iſraëlitæ poteſtati.

3 Quo viſo, mare fugit, & Jordanis retroceſſit.

4 Montes arietum, colles ove natorum ritu exiluerunt.

5 Quid tibi acciderat, mare, ut fugeres? quid tibi, Jordanis, ut retrocederes?

6 Quid vobis, montes, ut arietum, quid vobis, colles, ut ove natorum ritu exiliretis?

7 Ad Domini præſentiam contremiſce, tellus, ad Dei Jacobæorum præſentiam:

8 Qui petram in aquæ ſtagnum, cautem in aquæ fontem convertit.

PSAL. CXV.

NE nobis, Jova, ne nobis, ſed tuo nomini gloriam tribue, ob tuam benignitatem atque fidem.

2 Cur enim dicant Gentiles, Ubi, quæſo, eſt Deus ipſorum?

3 Atquì Deus noſter eſt in cœlis, quicquid ei libet faciens.

4 Illorum ſimulachra argentum, aurúmque ſunt, humanarum opus manuum.

5 Os habent, neque loquuntur: Oculos habent, neque vident.

6 Aures habent, nec audiunt: Nares habent, nec olfaciunt.

7 Manus habent, neque tangunt: Pedes habent, nec ambulant: Nihil ſuo gutture ſonant.

8 Tales ſunt qui ea faciunt, quicunque fidunt eis.

9 Vos, Iſraëlitæ, confidite Jovæ, quorum ille præſidium & propugnaculum eſt.

10 Vos domus Aharonis confidite Jovæ, quorum ille præſidium & propugnaculum eſt.

11 Vos Jovæ reverentes confidite Jovæ, quorum ille præſidium & propugnaculum eſt.

12 Jova noſtrî memor fortunabit, fortunabit Iſraëlis domum, fortunabit Aharonis domum,

13 Fortunabit Jovæ reverentes, parvos juxtà atque magnos.

14 Amplificabit Jova vos, veſtróſque natos.

15 Favorabiles eſtis Jovæ, cœli, terræque creatori.

16 Cœli cœlorum ſunt Jovæ, terram dedit hominum generi.

17 Te, Jova, non mortui collaudabunt; nec ulli ad ſilentium digreſſi.

18 Sed nos Jovam commendabimus, deincèps in ſempiternum. Halleluja.

MATUT.

PSAL. CXVI.

AMO Jovam qui meam ſupplicem vocem exaudiverit:

2 Quoniámque mihi aurem præbuit, ideò eum per omnem vitam invocabo.

3 Cùm me mortis lora circundarent, angoréſque ſepulchri invaſiſſent: Vide

4 Cùm in periculum & ſolicitudinem incidiſſem, Jovæ nomem invocavi: Obſecro, Domine, libera hanc animam:

5 Exorabilis juſtúſque Jova, Deus noſter miſericors.

6 Cuſtos Jova ſimplicium, me conſervavit afflictum.

7 Redi, anima mea, ad tuam quietem, poſtquàm tibi Jova benefecit:

8 Siquidèm tu, Domine, & animam meam à morte, & oculos à lachrymis, & à caſu liberaviſti pedes.

9 Verſabor apud Jovam in vivorum terris.

10 Credidi, ideòque loquar, at magnoperè vexabar: atque in hac trepidatione:

tione dixi, omnem hominem eſſe fallacem.

11 Quid Jovæ rependam pro tot ejus adversùm me meritis?

12 Poculum ſumam ſalutis; Jovæ nomen invocans.

13 Jovæ mea vota ſolvam, ídque ejus omni populo præſente: Qui ſuorum mortem piorum tanti ducat.

14 Euge, Jova: Nam ego ſervus tuus, ego ſervus tuus ſum ancillæ tuæ filius, Tu mea rupiſti vincula.

15 Tibi ſacrificium animi grati faciam, Jovæ nomen invocans.

16 Jovæ mea vota ſolvam, ídque ejus omni populo præſente; in atriis templi Jovæ, in medio tui, Hieroſolyma. Halleluja.

PSAL. CXVII.

LAudate Jovam, gentes omnes, hunc celebrate nationes omnes:

2 Jovæ enìm erga nos beneficium cumulatiùs indiès augetur, ejúſque fides eſt æterna. Halleluja.

PSAL. CXVIII.

CElebrate Jovam qui bonus, qui æternâ clementiâ eſt.

2 Dicant nunc Iſraëlitæ Jovam eſſe bonum, ejúſque clementiam eſſe æternam.

3 Dicat Aharonis domus ejus æternam clementiam.

4 Dicant Jovæ reverentes ejus æternam clementiam.

5 Jovam in periculis invocavi, Jova me exoratus explicuit.

6 Jovam habens, non metuo, ne quid mihi faciant homines.

7 Jovam habens defenſorem, viſurus ſum inimicorum meorum pœnas.

8 Jovæ præſtat fidere, quàm homini.

9 Jovæ præſtat fidere, quàm primatibus.

10 Omne genus gentes me obſederant, quas tamèn Jovæ nomine excîdi.

11 Obſederant me etiam atque etiam, quas tamèn Jovæ nomine excîdi.

12 Obſederant me apum more, quas tamen quaſi ſpinarum ignem extinctas, Jovæ nomine excîdi.

13 Tu me quidèm impuleras ad cadendum, ſed mihi Jova ſuccurrit.

14 Jova mea potentia atque cantus, mihi ſaluti fuit.

15 Ergò victoriæ cantu bonorum domus perſonant; Jovæ dextera fortitèr facit.

16 Jovæ dextera excellens, Jovæ dextera fortitèr facit.

17 Non moriar, ſed vivens Jovæ facta narrabo.

18 Caſtigavit me quidèm Jova, ſed neci non dedidit.

19 Aperite mihi juſtitiæ portas, ut per eas ingrediar ad agendas Jovæ gratias.

20 Hæc Jovæ porta eſt, quî boni ingrediuntur.

21 Gratias ago tibi, qui mihi exoratus ſalutem attuleris.

22 Lapis ab ædificatoribus improbatus, adhibitus eſt ad caput anguli.

23 A Jova profectum eſt hoc, quod nobis mirum videtur.

24 Hanc diem Jova fecit, in qua lætabimur exultantes.

25 Eja Jova, ſerva age, eja Jova, ſave age

26 Benè ſit ei qui venit in Jovæ nomine: Fauſta vobis ſumus ominati, ô Jovæ domeſtici.

27 Deus Jova nobis illuxit: Alligate feſtam hoſtiam reſtibus ad aræ cornua.

28 Tibi, mi Deus, agam gratias: Te, mi Deus, extollam.

29 Celebrate Jovam, qui bonus, qui æternâ clementiâ eſt.

VESPERT.

PSAL. CXIX.

ALEPH.

Beati qui benè morati ex Jovæ lege vivunt.

2 Beati qui ejus obeunt oracula, toto corde ſtudentes ei.

3 Qui, ſanè nihil iniquum agentes, vivunt ad ejus normam.

4 Tu ſanè inſtituta tradidiſti diligentèr ſervanda.

5 Utinàm moribus ſim ad ſervanda tua decreta comparatis.

Ità demùm non fruſtrà ero, ſi omnia tua præcepta ſpectabo.

7 Agam tibi ſincerâ mente gratias, cùm tuas juſtas ſententias, didicero.

8 Tua decreta ſervabo: Ne me deſere omninò.

BETH.

QUanam re purgabit adoleſcens ſuos mores? exequendis tuis verbis.

2 Tibi toto corde ſtudui, ne me à tuis avoca præceptis.

3 In mente mea habeo recondita tua dicta, nè quid in te peccem.

5 Tu, laudande Jova, doce me tua decreta.

5 His ego labiis enumeravi

ravi omnes oris tui ſententias.

6 Oraculorum tuorum ratione perindè oblector, ac ſummâ opulentiâ.

7 Tua mandata meditabor, intuens in tua inſtituta.

8 Tuis decretis oblectabo me, tuorum dictorum haud immemor.

G I M E L.

AFfice me tuum vitæ beneficio, ut tua dicta exequar.

2 Revela meos oculos, ut videam tuæ legis miracula.

3 Peregrinus in terris ego ſum : Ne mihi ſubtrahe tua præcepta.

4 Mihi languet animus perenni tuarum ſententiarum cupiditate.

5 Deteſtabiles objurgâſti ſuperbos, à tuis præceptis deerrantes :

6 Avolve à me probrum atque contemptum, qui oracula tua obeo.

7 Quamvìs contra me deliberantes ſedeant principes, tamèn tuus ego tua decreta meditor :

8 Tamèn oracula tua, meæ deliciæ, mihi ſunt pro conſiliariis.

D A L E T H.

HUMI proſtrata eſt anima mea : Conſerva mihi vitam ex tuis promiſſis.

2 Mores meos expoſui, ut Tu exorere mihi : Doce me tua decreta.

3 In tuorum mandatorum ratione inſtrue me, & tua meditabor miracula.

4 Mihi perfluit animus præ anxietate : Erige me ut ferunt tua promiſſa.

5 Falſam viam à me remove, & mihi per gratiam largire tuam legem.

6 Viam veritatis elegi, tuas mihi ſententias proponens.

7 Adhæſi tuis oraculis, Jova, ne me fruſtrà habueris.

8 Viam præceptorum tuorum curram, cùm mihi mentem explicueris.

MATUT.

H E.

INſtitue me, Jova, in ratione tuorum decretorum : Et ea prorsùs exequar.

2 Erudi me in exequenda tua lege : Et eam obibo toto corde.

3 Dirige me per iter præ-

ceptorum tuorum: Nam id mihi placet.

4 Effice mihi mentem propenſam ad tua oracula, non ad avaritiam.

5 Averte meos oculos ab intuenda nequitia, vitam mihi in tuo conſervans inſtituto.

6 Præſta mihi tuo promiſſa tua, ut Te reverear.

7 Aufer meum dedecus, quod exhorreo: Nam tuæ ſententiæ bonæ ſunt.

8 Cùm ſim tuorum mandatorum cupidus, conſerva mihi vitam pro tua juſtitia.

V A U.

MIhíque tua contingant beneficia, Jova, tua defenſio, ut fert tuum promiſſum

2 Et dabo meo conviciatori reſponſum, tuâ fretus oratione

3 Néve mihi prorsùs ex ore eripias verum verbum, qui à tuis ſententiis pendeam.

4 Et tuam legem exequar jugitèr in omnem perpetuitatem.

5 Atque ità expeditus incedam, quòd tuis ſtudeam mandatis.

6 Neque me de tuis apud reges oraculis loqui pudebit.

7 Méque tuis oblectabo præceptis, quæ amo

8 Attollámque manus ad tua præcepta mihi dilecta, & tua decreta meditabor.

Z A I N.

MEmento quid mihi tuo promiſeris, quo mihi ſpem feciſti.

2 Quæ quidèm mea conſolatio eſt in mea miſeria, tuo promiſſo me conſervante.

3 Arrogantes mihi magnoperè illuſerunt, neque tamèn à lege tua deflecto.

4 Memor tuarum ſempiternarum, Jova, ſententiarum, me conſolor.

5 Horrore corripior ob impios tuæ legis deſertores.

6 Cantilenæ mihi ſunt tua decreta in peregrinationis meæ domicilio.

7 Recolo noctu nomen tuum, Jova, tuámque legem obeo.

8 Hoc teneo, cùm tua mandata exequar.

H E T H.

TU mihi conditio es, Jova, cujus dictis parere ſtatui.

2 Te coram oravi toto corde, miſerere mei, ut promiſiſti.

3 Recogitavi meos mores, meos pedes ad oracula tua convertens.

4 Feſtino ſine cunctatione ad obeunda tua præcepta.

5 Impiorum lora me implicant,

plicant, non tamèn legis oblitum tuæ.

6 De media nocte ſurgo ad Te celebrandum, ob tuas juſtas ſententias.

7 Conjungo me cum omnibus tui reverentibus, tuáque mandata exequentibus.

8 Benignitate tuâ, Jova, plenus eſt orbis terrarum: Doce me tua decreta.

TETH.

BENE facis mihi tuo cultori, Jova, ex tuo promiſſo.

2 Bonum ſenſum & ſcientiam doce me, qui tuis præceptis fidem habeo.

3 Priuſquàm vexarer, errabam: Nunc tuis dictis pareo.

4 Tu bonus & beneficus, doce me tua decreta.

5 Connectunt contra me mendacium arrogantes, tua mandata toto corde obeuntem.

6 Illorum cor quaſi obeſitate obtuſum eſt, cùm ego me tua lege oblectem.

7 Mihi vexari conducit, ut tua decreta diſcam.

8 Mihi utilior eſt oris tui diſciplina, quàm aureorum, argenteorúmque millia.

VESPERT.

JOD.

MAnus tuæ me fecerunt atque condiderunt: Erudi me ut diſcam tua præcepta.

2 Tui reverentes, me viſo, lætabuntur, qui in tuo ſpem habeam promiſſo.

3 Scio, Jova, æquas eſſe tuas ſententias: Méque verè à Te premi.

4 Sit mihi, quæſo, tua clementia ſolatio, ut Tu mihi tuo pollicitus es.

5 Contingat mihi miſericordia, ut vivam: Nam tua lex meæ ſunt deliciæ.

6 Pudeat ſuperbos, qui mihi exitium falsò machinantur: Ego tua mandata meditabor.

7 Concilientur mihi, qui Te verentur: Tuáque nôrunt oracula.

8 Sit mea mens in tuis integra decretis, nè me pudeat.

CAPH.

ANimus mihi languet expectatione tuæ defenſionis, in tuo promiſſo ſpem habenti.

2 Oculi mihi languent expectatione tui promiſſi, cogitanti ecquandò ſis me conſolaturus.

3 Sum enim ut uter in fumario, haud immemor tamèn tuorum decretorum.

4 Quód-

4 Quódnam mihi tuo ſpatium ſtatuitur? ecquandò de meis infeſtis ſumes ſupplicium?

5 Cavant mihi ſuperbi ſcrobes, non ſanè ex tua lege.

6 Omnia tua præcepta vera ſunt: Succurre mihi, quem illi infectantur injuriâ.

7 Ferè me humi conficiunt, neque tamèn tua mandata deſero.

8 Pro tua clementia conſerva me, & oris tui oraculo parebo.

LAMED.

IN æternum, Jova, tuum verbum permanet in cœlis.

2 Sempiternâ præditus es veritate, qui ſtaturam terram condidiſti.

3 Quæ quidèm ex tua ſententia ſtant hodiè: Nam omnia tibi ſerviunt.

4 Niſi tua mihi lex eſſet in deliciis, equidèm in mea perirem inopia.

5 Nunquàm tuorum mandatorum obliviſcar: Nam per ea mihi vitam tueris.

6 Tuus ſum, ſerva me; qui tuis ſtudeo mandatis.

7 Imminebant impii meo exitio, at tua oracula perpendam.

8 Omnium interiturarum rerum finem video: Tuum præceptum perquàm latè patet.

MEM.

ADEO tuam, Jova, legem amo, ut hæc ſit mea quotidiana meditatio.

2 Sapientiorem me quàm ſunt hoſtes mei, reddit tua diſciplina, quam perpetuò habeo.

3 Plus ſapio quàm mei doctores univerſi, quòd oracula tua mea ſunt meditatio.

4 Senes intelligentiâ ſupero, quòd tua mandata teneo.

5 Ab omni via mala continui meos pedes, ut tuis dictis paream.

6 De tuis ſententiis non deflexi; quòd tu me erudias.

7 Multò ſunt verba tua meo palato & ori melle dulciora.

9 A tuis mandatis diſco, ideóque omnes falſos mores odi.

MATUT.

NUN.

LUcerna meo pedi ſunt tua dicta, meóque lux itineri.

2 Juravi (id quod præſtabo) me ſervaturum eſſe tua juſta jura.

3 Crucior vehementèr: Jova, medere mihi, ut fert tua promiſſio.

4 Mei oris liberalitatem

gratam

gratam habe, Jova, & me tuas ſententias doce.

5 Verſor in perpetuo vitæ diſcrimine, neque tuæ legis obliviſcor.

6 Mihi laqueum obtenderunt impii, neque tamèn ex tuis mandatis aberravi.

7 Poſſedi oracula tua perpetuò quæ ſunt mei cordis gaudia.

8 Animum ad obeunda tua decreta applicui, in perpetuum prorsùs.

S A M E C H.

MAle cogitantes odi, & tuam legem amo.

2 Tu mihi latebra & propugnaculum es, à cujus verbis pendeo.

3 Faceſſite à me, improbi, ut exequar Dei mei præcepta.

4 Suſtine me oratione tuâ, ut vivam: Néve meam expectationem fruſtrato.

5 Fulci me, ut conſerver, & tuis decretis ſempèr oblectabor.

6 Conculcâſti omnes à tuis recedentes decretis, quorum fallax ſit calliditas.

7 Ut ſcoriam deles omnes terrarum impios, ideò tua amo decreta.

8 Horret mihi corpus tui pavore, tuas reformidanti ſententias.

A I N.

JUS, æquúmque facio, ne me permitte meis oppreſſoribus.

2 Accommoda me tuum cultorem ad bonum, nè mihi ſuperbi faciant injuriam.

3 Oculi mihi languent expectatione tuæ defenſionis, juſtæque promiſſionis.

4 Tracta me tuum, ut tua fert clementia, méque tua decreta doce.

5 Tuus ego ſum, erudi me, ut ſciam tua oracula.

6 Tibi, Jova, agendi tempus eſt, cùm tua lex violatur.

7 Itaquè tua præcepta plùs quàm aurum & topazion amo.

8 Itaquè tuis omnibus mandatis prorsùm rectè utens, omnem falſam conſuetudinem odi.

P H E.

MIra ſunt oracula tua: Ideò ea animo teneo.

2 Rudimenta tuorum dictorum rudes colluſtrant, & erudiunt.

3 Quæ quidèm hianti ore haurio: Magnoperè enìm tua amo præcepta.

4 Reſpice me, & miſerere mei, pro tua erga tui nominis amantes æquitate.

5 Veſtigia mea in tuis dictis

dictis conſtabili, ita nullum dominabitur in me maleficium.

6 Vindica me ab hominum injuriis, & tuis parebo mandatis.

7 Illuſtra tuum me tuo vultu, & tua me decreta doce.

8 Rivis aquæ manant oculi mei: Quoniam non ſervatur tua lex.

ZADE.

JUſtus es, Jova, rectæque ſunt tuæ ſententiæ.

2 Oracula quæ tradidiſti æquiſſima ſunt atque veriſſima.

3 Conficior indignatione, quòd hoſtes mei tuorum dictorum ſint immemores.

4 Probatiſſima eſt oratio tua, quam tuus ego diligo.

5 Parvus ego & contemptus tua mandata non oblitus ſum.

6 Juſtitia tua juſtitia eſt ſempiterna, tuáque lex eſt ipſa veritas.

7 In adverſis, periculíſque deprehenſus, habeo tua præcepta in deliciis.

8 Tuorum æquitas oraculorum æterna eſt: Erudi me, & vivam.

VESPERT.

COPH.

TOTO corde invoco, exaudi me, Jova, & tua tenebo decreta.

2 Te invoco, ſerva me: Et tuis oraculis parebo.

3 Diluculum querelis præverto, à tuis dictis pendens.

4 Oculis vigilias anticipo, tuis dictis meditandis.

5 Vocem meam exaudi pro tua clementiâ, Jova, pro tua æquitate viam mihi cuſtodi.

6 Propiùs me acceſſerunt, qui me ſectantur conſultò, qui à lege tua longè abſunt.

7 Ades Tu, Jova, cujus omnia præcepta vera ſunt.

9 Jam diù de tuis oraculis hoc ſcio, Te ea in perpetuum fundâſſe.

RESCH.

VIDE meam miſeriam, & me libera: Qui tuæ legis oblitus non ſum.

2 Age meam cauſam, méque aſſere, & ex tua promiſſione conſerva.

3 Abeſt ſalus ab impiis, quoniàm tuis decretis non ſtudent.

4 Multâ præditus es miſericordiâ, Jova, conſerva me pro tua æquitate.

5 Multi ſunt qui me inſectantur,

ſectantur, mihíque adverſantur: Neque tamèn à tuis oraculis deflecto.

6 Videns perfidos crucior, quòd tuis dictis non parent.

7 Conſidera me tua mandata amare, Jova: Pro tua clementia conſerva me.

8 Tuorum dictorum caput eſt veritas, ſúntque tuæ omnes juſtæ ſententiæ ſempiternæ.

S C H I N.

ME principes inſectati ſunt immeritò, qui mente tua dicta formido.

2 Lætor ego tuis verbis, perindè ac qui multam nactus eſt prædam.

3 Falſa odi atque deteſtor, amans tuam legem.

4 Septiès quotidiè te laudo, ob tuas juſtas ſententias.

5 Multa pax eſt tuæ legis amatoribus, nec eſt eis impedimentum.

6 Expectavi tuam tutelam, Jova, tuáque præcepta executus ſum.

7 Animo tua oracula teneo, ea multum amans.

8 Servavi tua mandata atque oracula: Nam mei mores omnes tibi ſunt expoſiti.

T A U.

ACcedat in tuum conſpectum oratio mea, Jova: Ex tuo promiſſo erudi me.

2 Veniat in tuum conſpectum mea ſupplicatio: Defende me, ut pollicitus es.

3 Fundent mea labia tibi laudem, cùm tua me decreta docueris.

4 Eloquetur lingua mea tua dicta, cujus omnia præcepta juſta ſunt.

5 Sit mihi tua manus auxilio, qui tua mandata elegi.

6 Cupidus ſum tuæ defenſionis, Jova, tuáque lex meæ ſunt deliciæ.

7 Vivat hæc anima, ut Te laudet, tuæque ſententiæ me juvent.

8 Erro velùt ovis perdita; quære me tuum, qui tuorum præceptorum memoriam non depoſui.

M A T U T.

PSAL. CXX.

JOVAM rebus in adverſis invocavi, & exaudivit me.

2 Jova, libera hanc animam à falſis labiis, à lingua perfida.

3 Quo præmio afficiêris, aut quid de te fiet, lingua fraudulenta? ſagittis militaribus acutis *donaberis*, & carbonibus ferocitèr ardentibus.

4 Hei mihi! qui coactus inter Meſech peregrinor, habitans

bitans in Cedarianis tabernaculis.

5 Diutiùs habitavit anima mea cum pacis oſoribus.

6 Ipſe quidèm ſtudeo paci, at me pacis mentionem faciente, ad bellum inclinant.

PSAL. CXXI.

ATtollam oculos in montes, undè mihi venit auxilium.

2 Auxilium meum à Jova eſt, cœli, terræque creatore.

3 Non ſinet tuos labefieri pedes, non dormitabit cuſtos tuus.

4 Scito non dormitaturum neque dormiturum cuſtodem Iſraëlitarum.

5 Jova tuus cuſtos, Jova umbra tua, tibi dexter adeſt.

6 Te neque ſol interdiù, neque luna noctu feriet.

7 Jova te ab omni malo, Jova tuam animam tuebitur.

8 Jova te & euntem & redeuntem tuebitur, deincèps in ſempiternum.

PSAL. CXXII.

DElector eis, qui me ſic adhortantur: Eamus in Jovæ domum.

2 Aſtabunt noſtri pedes in tuis portis, Hieroſolyma.

3 Hieroſolyma eſt extructa, ut urbs ſibi ſimùl conjuncta.

4 Quò quidèm tribus aſcendunt, tribus Jovæ, ad teſtimonium Iſraëlitarum, ad Jovæ nomen celebrandum.

5 Illic enìm ſita ſunt tribunalia judicialia, tribunalia domûs Davidis.

6 Orate pacem tuam, Hieroſolyma, cujus amatores ſoſpites ſint.

7 Sit pax in tuo propugnaculo, felicitas in tuis palatiis.

8 Propter fratres, cognatóſque meos tuæ paci conſulam.

9 Propter domum Jovæ Dei noſtri, tuo bono ſtudebo.

PSAL. CXXIII.

AD Te oculos attollo, ô cœlicola.

2 Et quidem ut ſervorum oculi dominorum manum; ut ancillæ oculi heræ manum: Sic noſtri Jovam Deum noſtrum intuentur, dum miſereatur noſtrî.

3 Miſerere noſtrî, Jova, miſerere noſtrî, qui multo ſumus contemptu ſaturi:

4 Quorum animi multâ ſunt opulentorum deriſione, faſtuoſorum contemptu ſaturi.

PSAL. CXXIV.

NIſi Jova nobis adfuiſſet (dicant Iſraëlitæ) niſi Jova nobis adfuiſſet, cùm in nos conſurgerent homines:

2 Jampridèm nos vivos devorâſſent, cùm in nos arderent irâ.

3 Jampridèm nos aquæ inun-

inundâſſent, obrutos torrente:

4 Tumidæ ſuperborum aquæ jampridèm ſuperâſſent animam noſtram.

5 Agimus Jovæ gratias, qui nos non paſſus ſit prædam eſſe dentibus illorum.

6 Vita noſtra ſicut avicula evaſit aucupum laqueum: Rupto laqueo nos evaſimus.

7 Nobis auxilium eſt in Jovæ nomine, cœli, terræque creatoris.

PSAL. CXXV.

QUI Jovæ confidunt, ſimiles erunt Sionis montis, qui perpetuò manet immobilis.

2 Et montes Hieroſolymam, & Jova ſuum populum circundat hinc in ſempiternum.

3 Non enim reſidebit impietatis ſceptrum in juſtorum ſortem, & juſti manus admoveant nequitiæ.

4 Benefac, Jova, bonis, & mente rectis.

5 Qui verò ad ſuas perverſitates declinant, eos ducet Jova cum maleficis, ſalvis Iſraëlitis.

VESPERT.

PSAL. CXXVI.

CUM revocaret Jova Sionis captivos, videbamur nobis ſomniare.

2 Tunc & ora noſtra riſu, & linguæ cantu plenæ erant:

3 Tunc dictitabatur inter gentes; Jova his magna præſtitit.

4 Jova nobis magna præſtitit, id quod lætabamur.

5 Revoca, Jova, noſtros captivos, amnium ritu meridianorum.

6 Qui ſerunt cum lachrymis, cum cantu meſſuri ſunt.

7 Qui flendo it, carum ſemen ferens, rediturus eſt cum cantu, ſuos ferens manipulos.

PSAL. CXXVII.

NISI Jova domum inſtruat, fruſtrà laborant qui eam inſtruunt.

2 Niſi Jova urbem cuſtodiat, fruſtrà vigilat cuſtos.

3 Fruſtrà & ſummo manè ſurgitis, & tardè reſidetis victu veſcentes laborioſo; adeò ille dilectis ſuis ſomnum conciliat.

4 Liberorum quidèm hereditas à Jova eſt; fœtus ventris præmio datur ab eodem.

5 Quales ſunt in manu viri fortis ſagittæ, tales ſunt juventutis nati.

6 Felices, qui talibus refertas habent pharetras; non illi fruſtrabuntur, cùm diſceptabunt cum adverſariis in curia.

PSAL. CXXVIII.

BEati ſunt quicunque Dominum reverentes vivunt ad ejus normam.

2 Tu enim labore manuum tuarum veſcêris: beatus es, & benè tibi erit.

3 Uxor tua ſimilis erit fœcundæ vitis: in lateribus domûs tuæ.

4 Liberi tui quaſi olivarum plantæ; circum tuam menſam.

5 Sic quidèm certè fortunabitur homo: Jovæ metuens.

6 Sic te fortunabit Sionius Jova, ut Hieroſolymæ bonum videas per omnem vitam;

7 Videas & natorum tuorum natos: ſalvis Iſraëlitis.

PSAL. CXXIX.

SÆpè oppugnatus ſum à pueritia (dicat Iſraëlita)

2 Sæpe oppugnatus ſum à pueritia, neque tamèn expugnatus.

3 Dorſum meum araverunt aratores, longos ducentes ſulcos.

4 Jova juſtus abrupit impiorum lora.

5 Turpitèr retrò agantur omnes Sionis oſores:

6 Síntque ſimiles herbæ tectorum, quæ, priuſquàm evellatur, areſcit:

7 Quâ neque meſſor manum, neque manipulator ſinum implet:

8 Neque dicunt viatores, Adſit vobis Jovæ favor: Fauſta vobis precamur per Jovæ nomen.

PSAL. CXXX.

EX profundo Te invocavi, Jova: Domine, exaudi vocem meam.

2 Præbe aures attentas meæ voci ſupplici.

3 Si vitia acerbiùs obſervaveris, Jova; Domine, quis ſtabit?

4 Sed eſt in te facilitas, ut reverendus ſis.

5 Jovam ſpero, illum expectat anima mea: In verbo ejus ſpem habeo.

9 Animo Dominum ſuſpicio, à matutinis cuſtodiis, ad alteras matutinas cuſtodias.

7 Suſpiciat Iſraëlita Jovam: Nam in Jova eſt clementia, multúmque præſidii.

8 Et is Iſraëlitam vindicaturus eſt ab omnibus ejus vitiis.

PSAL. CXXXI.

JOVA, neque animum effero, aut ſupercilium tollo:

2 Neque majora, aut magis ardua, quàm pro me tracto.

3 Quin animum meum ſic ad modeſtiam compoſui, ut eſt ablactatus erga matrem,

trem, quaſi ablactatum habeam animum.

4 Suſpice, Iſraëlita, Jovam hinc in ſempiternum.

MATUT.

PSAL. CXXXII.

MEmento, Jova, Davidis, & ejus tantæ moleſtiæ.

2 Qui Jovæ juravit, qui ſic Jacobæorum Numini vovit.

3 Neque meæ domûs tectum ſubibo, neque cubicularem lectum inſcendam.

4 Neque meis oculis ſomnum, meis palpebris ſoporem concedam, nec requiem temporibus meis.

5 Quin Jovæ locum, quin Jacobidarum numini domicilium, invenero.

6 Eccè autem id Ephratæ audivimus, id in ſylveſtribus agris invenimus.

7 Intremus in ejus domicilium, veneremur ejus pedum ſcamnum.

8 Surge, Jova, in tuam requietem, Túque, tuæque arca potentiæ.

9 Tui ſacerdotes juſtitiâ veſtiantur, tuíque pii ovent.

10 Propter Davidem tuum, ne averſare uncti tui faciem.

11 Juravit Jova Davidi, fidem non revocaturus:

12 Ex ventris tui fœtu imponam tuo ſolio.

13 Quòd ſi ſervaverint tui nati meum fœdus, & oracula quæ eos docuero, eorum quoque nati in perpetuum ſedebunt tuo ſolio.

14 Delegit enim Jova Sionem ſibi ſedem, eam ſibi expetivit, *dicens*:

15 Hæc erit mea ſempiterna requies, hanc mihi habitandam concupivi.

16 Cujus & annonam fœcundabo, & pauperes ſaturabo victu:

17 Et ſacerdotes ſalute veſtiam, & pii canendo ovabunt.

18 Ibì germinare faciam cornu Davidis, lucernam uncto meo componens.

19 Ejus hoſtes pudore circumfundam, cùm intereà ipſe diadema floridum geſtabit.

PSAL. CXXXIII.

O Quàm ſuave, quámque jucundum eſt, habitare fratres ſimul!

2 Ut bonum unguentum quod ex capite in barbam, barbam, inquam, Aharonis, & veſtimentorum oram defluit.

3 Ut ros Hermonius, qui defluit in montes Sionis.

4 Nam ibì Jova ſuam promiſit abundantiam, & vitam ſempèr duraturam.

PSAL. CXXXIV.

O Collaudate Jovam, omnes Jovæ cultores;
2 Qui noctu manetis in Jovæ domo: *Qui excubatis* in atriis domûs Dei noſtri.
3 Attollite manus ad ſanctuarium, Jovam collaudantes.
4 Faveat tibi Sionius Jova, cœli, terræque conditor.

PSAL. CXXXV.

LAudate Jovæ nomen, laudate, ô Jovæ cultores;
2 Qui ſtatis in domo Jovæ, in atriis domûs Dei noſtri.
3 Laudate Jovam, qui tam bonus ſit, cantate Jovæ ſuave nomen.
4 Nam Jacobæos Jova, Iſraëlitas ſibi delegit in peculium.
5 Scio enim Jovam, dominúmque noſtrum omnium eſſe maximum deorum.
6 Quicquid ei libet, facit Jova in cœlis & in terris, in aquis & undis omnibus.
7 Nebulas excit ab ultimis terris: Fulgura per pluviam facit: Ex ſuis ventos cellis excitans.
8 Occidit Ægypti primogenita, tum hominum tum pecorum.
9 Miſſis in medio tui, Ægypte, oſtentis, & prodigiis in Pharaonem, omnéſque Pharaonios.
10 Multas occidit gentes, regéſque potentes interfecit.
11 Sehonem Amorræorum, & Ogum Baſanæ regem, omniáque regna Chananæa:
12 Et eorum terram poſſidendam, poſſidendam ſuis dedit Iſraëlitis.
13 Jova, tuum nomen æternum, Jova, tui memoria perennis eſt.
14 Patrocinabitur enim ſuo populo Jova, ſui cultoribus reconciliatus.
15 Gentium ſigna argentum, aurúmque ſunt, humanarum opus manuum.
16 Os habent, neque loquuntur: Oculos habent, neque vident:
17 Aures habent, nec audiunt: Nec eſt in eorum ore ſpiritus.
18 Tales ſunt eorum autores, quicunque eis confidunt.
19 Vos, domus Iſraëlis, commendate Jovam: Vos, domus Aharonis, commendate Jovam:
20 Vos, domus Levis, commendate Jovam: Vos, Jovæ reverentes, commendate Jovam.
21 Commendetur Sionius Jova, habitator Hieroſolymæ. Halleluja.

VESPERT.

PSAL. CXXXVI.

CElebrate Jovam, quia bonus, quia æternâ benignitate eſt.

2 Celebrate Deorum Deum, quia æternâ benignitate eſt.

3 Celebrate Dominorum Dominum, quia æternâ benignitate eſt.

4 Qui ſolus magna facit miracula, quia æternâ benignitate eſt.

5 Qui cœlos prudentèr fecit, quia æternâ benignitate eſt.

6 Qui terram ſuper aquas extendit, quia æternâ benignitate eſt.

7 Qui ingentia fecit luminaria, quia æternâ benignitate eſt.

8 Solem ad moderationem diei, quia æternâ benignitate eſt.

9 Lunam & ſtellas ad moderationem noctis, quia æternâ benignitate eſt.

10 Qui Ægyptum clade affecit primogenitorum, quia æternâ benignitate eſt.

11 Et ex eorum medio eduxit Iſraëlitas, quia æternâ benignitate eſt.

12 Forti manu, porrectóque brachio, quia æternâ benignitate eſt.

13 Qui mare rubrum in partes diffidit, quia æternâ benignitate eſt.

14 Et per ejus medium trajecit Iſraëlitas, quia æternâ benignitate eſt.

15 Impulítque Pharaonem & ejus copias in mare rubrum, quia æternâ benignitate eſt.

16 Qui ſuos per deſerta loca duxit, quia æternâ benignitate eſt.

17 Qui magnos reges occidit, quia æternâ benignitate eſt.

18 Qui nobiles reges interemit, quia æternâ benignitate eſt.

19 Sehonem Amorræorum regem, quia æternâ benignitate eſt.

20 Et Ogum Baſanæ regem, quia æternâ benignitate eſt.

21 Eorúmque terram dedit poſſidendam, quia æternâ benignitate eſt.

22 Poſſidendam ſuis Iſraëlitis, quia æternâ benignitate eſt.

23 Qui in humilitate noſtrâ memor fuit noſtrî, quia æternâ benignitate eſt.

14 Nóſque noſtris eripuit adverſariis, quia æternâ benignitate eſt.

25 Qui victum ſuppeditat omnibus animalibus, quia æternâ benignitate eſt.

26 Celebrate cœleſtem Deum, quia æternâ benignitate eſt.

27 Celebrate Dominorum Dominum, quia æternâ benignitate eſt.

Psal. CXXXVII.

AD Babylonios fluvios ſedebamus, ídque plorantes, cùm recordaremur Sion.

2 Suſpenſis in ea regione citharis noſtris ad ſalices.

3 Illic enìm noſtræ captivitatis & ejulationis autores carmina nos lætitiámque poſcebant: Canite nobis carmen aliquod Sionium.

4 Quo pacto canemus Jovanum carmen in aliena terra?

5 Si tuî obliviſcar, Hieroſolyma, obliviſcatur dextera mea artis muſicæ.

6 Niſi tui ſim memor, adhæreat lingua mea palato, niſi Hieroſolymam ad noſtræ lætitiæ caput adhibeam.

7 Reminiſcere, Jova, Idumæorum, qui die Hieroſolymæ dicebant, Evertite, evertite funditùs eam.

8 O puella Babylon devaſtanda; felix, qui tibi tua in nos merita rependet;

9 Felix, qui correptos tuos infantes ſaxis allidet.

Psal. CXXXVIII.

TE totâ mente celebrabo; Te apud divos cantabo.

2 Ad tuum ſacrum fanum venerabor, tuúmque celebrabo nomen, ob tuam benignitatem atque fidem, qui promiſſa tua, tuúmque nomen feciſti majora omnibus *quæ de Te prædicantur.*

3 Me invocantem exaudiviſti, meam animam fortitèr evehens.

4 Te, Jova, celebrabunt terrarum reges omnes, cùm audiverint oris tui promiſſa:

5 Canéntque Jovæ mores, cujus Jovæ tanta ſit gloria.

6 Nam Jova etſi ſublimis, humiles tamèn reſpicit: At ſeſe efferentes eminùs agnoſcit.

7 Si in mediis verſer periculis, tu me ſervabis, & hoſtium meorum iræ manum tuam objiciens, iſtâ me dexterâ defendes.

8 Dominus perficiet ſuam in me clementiam: Tu, Jova, æternâ benignitate præditus es; manuum itaque tuarum opera noli deſerere.

MATUT.

PSAL. CXXXIX.

JOVA, Tu me exploratum cognitúmque habes. Tu me ſedentem ſurgentémque nôſti, meam longè rationem perſpiciens:

2 Me gradientem cubantémque cingis: Omnéſque meas rationes perveſtigatas habes:

3 Adeò ut ne prolatam quidèm meâ linguâ ſententiam tu, Jova, pernoſcas.

4 Tu me & à tergo & à fronte formâſti, mihíque manum iſtam admoviſti.

5 Cujus rei cognitio adeò difficilis eſt & ardua, ut eam ego conſequi non poſſim.

6 Quónam declinem tuum Spiritum? Aut quò tuam fugiam præſentiam?

7 Sive cœlum ſcandam, ibi tu es; ſive in orco cubem, tu ades.

8 Sumam auroræ alas, habitem in ultimo mari:

9 Etiàm illic tua me manus tenebit, tuáque dextera comprehendet.

10 Quòd ſi me certè tenebris occultandum cogitem, ipſa mihi nox lumen eſt.

11 Ipſæ etiàm tenebræ tibi non contenebrant: Ipſáque nox ſplendet ut dies, nullo tenebrarum, lucíſque diſcrimine.

12 Tu meos enim renes poſſides, qui me in meæ matris utero compoſueris.

13 Agam tibi gratias, quòd tam abſtruſa ratio mirificè in me adhibita eſt: Mirifica ſunt tua facta, id quod ego animo præclarè recognoſco.

14 Non te latuêre meî artus, cùm in abdito fierem, ingeniosè contextus in ima terra.

15 Mei rudimenta vidiſti tuis óculis: Et mea membra, ne uno quidèm excepto, erant in tuo deſcripta codice;

16 Quæ in ſingulos dies formabantur: Quum non extaret unum ex iis.

17 Vaha quanti apud me ſunt tuæ rationes, Deus! Quarum tanta ſumma eſt.

18 Quas ſi numerare velim, ſunt arenâ numeroſiores: Iis *autem numerandis* invigilans adhuc de Te cogito.

19 Nónne evertes impios, Deus? Faceſſite à me, homines ſanguinarii,

20 Nam de Te nefariè loquuntur; adverſarii tui abutuntur tuo nomine.

21 Nónne tuos oſores odi, Jova, Tibi contrariis infenſus?

22 Et quidèm odio capitali odi, eos hoſtium numero habens.

23 Ex-

23 Explora me, Deus, meam mentem noſcitans: Proba me, meos ſenſus noſcitans.

24 Et vide an ſim in prava vivendi via, méque in viam ducito durabilem.

PSAL. CXL.

DEfende me, Jova, à malis hominibus, ab inhumanis hominibus me tuere.

2 Qui, animis malè cogitantes, quotidiè bella moliuntur.

3 Acuerunt ſuos dentes ut ſerpens, virus aſpidis habentes ſub labiis. Sela.

4 Tutare me, Jova, ab impiorum manibus: Ab inhumanis hominibus tuere me, qui mea labefactare veſtigia cogitant.

5 Abſconderunt mihi laqueos atque funes ſuperbi, tetenderunt ſecundùm ſemitam retia: Mihi ponentes offendicula. Sela.

6 Equidèm Jovam meum, appello Deum: Auſculta, Jova, vocem ſupplicationis.

7 Jova Domine, meæ firmamentum ſalutis; qui meum caput protegis, quandocunquè ſumenda arma ſunt.

8 Noli impios, Jova, voti reddere compotes, ne, ſi eis conata ſecundes, inſoleſcant. Sela.

9 Eorum caput, qui me circumveniunt, obruat facinus, quod ipſorum labia moliuntur;

10 Opprimantur carbonibus, in ignem deturbati, in ſpecus undè non emergant.

11 Homo linguax ne conſiſtat in terris: Inhumanus homo malo agatur in ruinam.

12 Scio Jovam inopum pauperúmque litem & cauſam acturum eſſe.

13 Certè juſti tuum celebrabunt nomen, habitabunt in tuo conſpectu probi.

PSAL. CXLI.

JOVA, Te invoco, feſtina ad me, auſculta vocem, quâ Te invoco.

2 Habeantur apud Te meæ preces pro ſuffitu, & manuum extenſio pro ferto veſpertino.

3 Impone, Jova, cuſtodiam ori meo, ſerva meorum labiorum oſtium.

4 Ne ſinas inclinari animum meum ad rem malam: Nè quid moliar cum impietate conjunctum, utens operâ facinoroſum hominum, nè eorum veſcar deliciis.

5 Me potiùs juſti verberent, quod beneficii loco ducam, méque caſtigent.

6 Ne mihi tamèn caput lædant unguento ſuo præſtantiſſimo: Precatione adhùc

hùc utar quùm iſti mihi malè ſtruunt :

7 Eorum condemnatores per ſaxoſa præcipitentur loca, ut audiant quàm ſit oratio mea ſuavis.

8 Membra noſtra ad orci fauces diſperguntur, perindè ac ſi quis ligna findat aut terram proſcindat.

9 Atquì in Te, Jova Domine, conjectos oculos, in te fiduciam habeo : Noli vitam meam profundere.

10 Tutare me ab injuria laquei, quem in me tendunt, & à maleficorum tendiculis.

11 Decidant ſimul in ſuos caſſes impii, dum interim ego tranſeo.

VESPERT.

PSAL. CXLII.

VOce meâ Jovam invocabam, voce meâ Jovæ ſupplicabam.

2 Apud hanc orationem meam fundebam, apud hunc angorem meum indicans.

3 Animo meo ſeſe in me cruciante : Et Tu quidèm viam meam nôſti : In ſemita quâ ibam, abditur mihi laqueus.

4 Ad dexteram intuens, video nullum eſſe, qui me agnoſcat :

5 Periit mihi perfugium, neque erat, qui meam vitam curabat.

6 Ad Te clamabam, Jova, Te meam fiduciam, Te meam appellans ſortem in terra viventium.

7 Attende meam querimoniam ; nam magnoperè ſum attenuatus.

8 Defende me à meis infeſtis : Sunt enim me potentiores.

9 Educ ex clauſtro hanc animam, ad tuum celebrandum nomen : Stipabunt me juſti, cùm Tu ſic de me fueris meritus.

PSAL. CXLIII.

JOVA, audi meas preces : Auſculta meæ ſupplicationi pro tua fide : Exaudi me pro tua juſtitia.

2 Néve in jus mecum qui tuus ſum, venito : Nam coram Te nemo mortalium abſolvetur.

3 Hoſtis enim, hanc animam perſequens, meam vitam peſſundat humi : Me ad tenebras redegit, in qualibus ſunt perpetuò mortui.

4 Itaque æſtuat mihi animus : Mihi mens penitùs attonita eſt.

5 Recolo adhùc priſca tempora : Recogito tua tot opera, tuarum manuum facta contemplans.

6 Ad Te manus pando, animo Te ſuſpiciens, ut terra ſiticuloſa. Sela.

7 Propera exaudire me, Jova,

Jova, animo deficientem: Ne mihi vultum tuum abde, ut fiam, quales qui deſcendunt in barathrum.

8 Nuncia mihi maturè tuam benignitatem, qui tibi confido, oſtende mihi quâ viâ gradiar, qui ad Te animum attollo.

9 Libera me à meis hoſtibus, Jova, ad Te enim perfugio.

10 Doce me tuam exequi voluntatem, Tu qui meus es Deus: Deducat me tuus bonus Spiritus per juſtitiæ ſolum.

11 Propter nomen tuum, Jova, conſerva mihi vitam: Pro tua juſtitia eripe ex periculo hanc animam.

12 Et pro tua benignitate everte meos hoſtes, & omnes vitæ meæ adverſarios perde, quoniàm tuus ego ſum.

MATUT.

PSAL. CXLIV.

BEnedictus ſit Jehova rupes mea, qui meas manus ad certamen, meos digitos ad pugnam docet:

2 Spes mea, mea arx, meum propugnaculum, meus defenſor, meus clypeus, cui confidam: Qui meum populum mihi ſubjicit.

3 Jova, quid eſt homo, ut ejus habeas rationem? Quid eſt homine natus, ut eum ita cures?

4 Homo perindè ac nihil eſt, cujus ætas, velùt umbra, prætereat.

5 Jova, inclina cœlos tuos & deſcende: Tange montes, & fumabunt:

6 Stringe fulmen, quo eos diſſipes: Mitte tuas ſagittas, quibus eos diſturbes.

7 Porrige manus tuas ex alto: Eripe & libera me ex tantis aquis, ex manu generis alienorum:

8 Qui & os falſiloquum & dexteram habent fallacem.

9 Deus, Te novo carmine canam, Te decachordo cantabo nablo:

10 Qui dediſti regibus ſalutem, qui Davidem tuum à noxio aſſeruiſti gladio.

11 Eripe & libera me ex manu generis alienorum, qui & os falſiloquum, & dexteram habent fallacem.

12 Ut noſtri filii ſint creſcentibus ſimiles plantis, in pueritia: Noſtræ filiæ, quaſi angulares quædam columnæ, templi ſimilitudine inciſæ.

13 Penaria noſtra altè referta ſint, ab alia annona in aliam: Balantes noſtræ millecuplis, deciès millecuplis per vicos noſtros fœtibus augeantur.

14 Boves habeamus oneris ferentes: Nulla ſtrages, nullus

lus abactus, nulla ſit in vicis noſtris ejulatio.

15 Beatus populus cum quo ſic agitur: Beatus populus, cujus Jova Deus eſt.

PSAL. CXLV.

EXtollam Te, mi Deus rex, tuúmque nomen in perpetua commendabo ſecula.

2 Te quotidiè commendabo, tuúmque nomen in perpetua laudabo ſecula.

3 Adeò magnus, adeò laudabilis eſt Jova, ejus ut ſit inexplicabilis magnitudo.

4 Seculum ſeculo ſuccedens tua facta prædicabit, tuáſque virtutes indicabit.

5 Tuæ glorioſæ majeſtatis decorem, tuáque mira facta meditabor.

6 Tuorúmque arduorum potentia facinorum dicetur, narrante me tuam magnitudinem.

7 Tuæ ſingularis bonitatis prædicabitur memoria, tuáque decantabitur juſtitia.

8 Exorabilis & miſericors eſt Jova, ad iram tardus, clementiâque magnus.

9 Bonus eſt omnibus Jova, & in omnia ſua opera præditus lenitate.

10 Celebrant Te, Jova, omnia tua opera: Tui Te pii collaudant:

11 Tui regni gloriam dicentes, tuámque virtutem eloquentes:

12 Ad declarandas hominum generi tuas virtutes, tuíque glorioſi majeſtatem regni.

13 Regnum tuum regnum eſt omnium ſeculorum: Imperium tuum in omnem durat ætatum ſeriem.

14 Jova omnes & cadentes ſuſtinet, & lapſos allevat.

15 Omnium oculi ſunt in Te conjecti, eíſque Tu ſuo tempore largiris,

16 Apertâque manu omnia viventia optatis ſatias.

17 Juſtus eſt Jova in ſuis omnibus inſtitutis, benignus in ſuis omnibus factis.

18 Præſens adeſt Jova omnibus ſe invocantibus, omnibus qui eum fidentèr invocant.

19 Voluntatem facit eorum, qui eum reverentur, eóſque quiritantes exaudiens conſervabit.

20 Tuetur Jova omnes ſui amantes, omnéſque perdit impios.

21 Jovæ laudes eloquetur os meum, celebréntque omnia mortalia ejus ſanctum nomen in omnem perpetuitatem.

PSAL. CXLVI.

LAuda, anime mi, Jovam: Laudabo Jovam donèc vivam: Deum meum cantabo, donèc ero.

2 Nolite

2 Nolite primatibus, nolite homine nato confidere, cui ſalus non eſt :

3 Qui cùm ſpiritum efflat, & in ſuam revertitur humum, tum pereunt ejus conatus.

4 Felix qui præſidium habet in Deo Jacobæorum, in Jovam Deum intuens.

5 Qui cœli, terræque; maris, & omnium, quæ ſunt in eis, conditor, fidem ſervat in perpetuum.

6 Qui jus reddit affectis injuriâ : Victum dat famelicis.

7 Carcere vinctos Jova ſolvit ; Jova cæcos illuſtrat.

8 Jova collapſos attollit ; Jova juſtos amat.

9 Jova peregrinos tuetur : Pupillos & viduas ſublevat, & impiorum inſtitutum evertit.

10 Regnet in ſempiternum Jova Deus tuus, ô Sion, in perpetua ſecula. Halleluja.

VESPERT.

PSAL. CXLVII.

COllaudate Jovam: convenit enim Deum cantare noſtrum: nam jucunda eſt laudationis elegantia.

2 Extruit Hieroſolymam Jova, extorres congregaturus Iſraëlitas :

3 Is eſt, qui ſanat mente fractos, eorúmque medetur doloribus.

4 Computat numerum ſtellarum, omnes appellans nominatìm.

5 Magnus eſt Dominus noſter, multarúmque virium, & immenſæ prudentiæ.

6 Sublevat humiles Jova, impios ſternit humi.

7 Iterate Jovæ prædicationem ; cantate Deum noſtrum citharâ.

8 Qui cœlum nubibus obducit, & parat telluri pluviam : Qui facit, ut proferant montes fœnum, & herbas ad uſum hominum.

9 Qui ſuum beſtiis pabulum dat, corvorum pullis clamantibus.

10 Illi non equi robur acceptum eſt, non viri crura placent.

11 Placent Jovæ, qui eum reverentur, ejus benignitatem ſuſpicientes.

12 Commenda, Hieroſolyma, Jova : Lauda Deum tuum, Sion.

13 Nam tuarum clauſtra portarum confirmavit, tuos in te natos felicitans.

14 Tuis pacem finibus conciliat, te tritici polline ſaturans.

15 Simulac terræ mandatum dat, confeſtìm currunt ejus dicta.

16 Dat nivem, tanquàm lanam : Pruinam ſpargit, ut cinerem.

17 Jacit ſuam glaciem fruſtulatìm, cui frigus ejus eſt tolerabile?

18 Itémque ea dato liquefacit mandato, eóque ſuum revocante flatum fluit aqua.

19 Is ſua dicta Jacobæis, ſua placita & ſententias Iſraëlitis indicavit.

20 Id quod non fecit ulli gentium, nec illæ jura nôrunt. Halleluja.

PSAL. CXLVIII.

LAudate Jovam cœleſtem, laudate ſupremis in locis.

2 Hunc omnes ejus angeli, hunc univerſus ejus exercitus laudate.

3 Hunc ſol & luna, hunc omnia laudate ſiderum lumina.

4 Hunc cœlorum cœli, hunc aquæ laudate cœleſtes.

5 Hæc Jovæ nomen collaudent, quo jubente creata ſunt:

6 Quæque ipſe ſtatuit in perpetuum, præſcriptâ lege non violandâ.

7 Laudate Jovam, terreſtria; cete & omnes undæ.

8 Ignis & grando, nix & vapor, ventus procelloſus ejus mandatum exequens.

9 Montes & colles omnes, arbores fructiferæ, cedríque omnes.

10 Feræ & pecudes omnes, reptilia & alites volucres.

11 Reges terrarum & nationes omnes, principes & terrarum gubernatores omnes.

12 Adoleſcentes ſimul & virgines, ſenes pariter & juvenes; Collaudate Jovæ nomen: Cujus unius cùm adeò exaltatum nomen ſit, ut ejus majeſtas terrâ, cœlóque pateat.

13 Evehet tamen ſui populi cornu, ad omnium piorum laudem ſuorum, videlicet Iſraëlitarum hominum, qui ei ſerviunt. Halleluja.

PSAL. CXLIX.

CAnite Jovæ laudes novo carmine, in cœtu piorum celebretur.

2 Lætentur Iſraëlitæ in creatore ſuo, exultent Sionii in ſuo rege:

3 Ejus nomen ſaltationibus laudantes, cum tympanis, citharíſque cantantes.

4 Favet enim Jova ſuo populo, ſuos ornaturus humiles ſalute.

5 Exultent pii glorioſè, in ſuis ovantes cubilibus:

6 Dei prædicationem in gutture, & gladium in manu habentes ancipitem:

7 Ad ſumendum de gentibus ſupplicium, ad capiendas de populis pœnas.

8 Ad eorum reges cate-

nis, ad nobiles vinculis conſtringendos ferreis.

9 Ad exercendum in eos judicium præſcriptum: & hæc quidèm eſt omnium piorum dignitas. Hallelujah.

PSAL. CL.

LAudate Deum in ejus fano: Laudate in ejus poteſtatis æthere.

2 Hunc ex ejus virtutibus, hunc ſecundùm ejus excellentem laudate magnitudinem.

3 Hunc tubæ clangore, hunc nabliis & citharis laudate.

4 Hunc tympanis & choris, hunc laudate fidibus & modulis.

5 Hunc vocalibus cymbalis, hunc tinnientibus laudate cymbalis.

6 Omnia Jovam laudant animantia. Halleluja.

FORMULÆ PRECUM

IN USUM

NAVIGANTIUM.

¶ *Officium Matutinum & Veſpertinum in uſu Navigantium idem erit cum eo, quod habetur in libro Precum publicarum.*

¶ *Duarum quoque ſequentium precationum in Regiis navibus quotidianus uſus eſt.*

O Æterne Domine Deus, qui ſolus exporrigis cœlos, & ſuperbiæ maris imperas, qui terminum definiviſti aquis duraturum, donèc lux ſimul & tenebræ deficiant; dignare nos famulos tuos, unà cum claſſe, quâ meremus, in omnipotentem clementiſſimam tutelam tuam recipere. Nos à periculo maris, & vi hoſtium prohibe, ut clementiſſimo regi noſtro GEORGIO & regnis ſuis præſidio ſimus, iiſque tutelæ, qui negotia ſua licita exercentes mare peragrant; ut noſtræ inſulæ habitatores tibi Deo noſtro in pace & tranquillitate ſerviant; nos autem redeamus incolumes, ubertatem terræ, & laborum noſtrorum fructus percepturi, & gratâ memoriâ tantam miſericordiam proſequentes, extollamus & illuſtremus ſanctum nomen tuum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

COLLECTA.

IN omnibus noſtris actionibus, clementiſſimo tuo, Domine, favore nos præveni, & perpetuo tuo auxilio nos proſequere, ut in omnibus operibus noſtris inceptis, continuatis, & in Te perfectis, ſacroſanctum nomen tuum illuſtremus, & tandem pro clementia tua

ſempiternam vitam conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Precationes in maris procellis à navigantibus uſurpandæ.*

O Potentiſſime & glorioſiſſime Domine Deus, quo jubente increbreſcunt venti, & fluctus maris attollunt, quíque illius iram coërces; nos creaturæ tuæ, miſeri autem peccatores, in ſummas anguſtias adducti, ad Te perfugimus ad auxilium; ſerva nos, Domine; ſin minùs, perimus. Confitemur nos Tui, Dei noſtri, oblitos eſſe, dum in nullo periculo verſaremur, & undiquaquè extaret tranquillitas, tacitámque ſcripti tui vocem audire, & præcepta tua exequi noluiſſe: Nunc autem exploratum habemus, quàm horrenda ſunt omnia tua mira & inſueta facinora, Téque ſummum eſſe Deum, ſupra omnes formidandum. His igitùr de cauſis divinam majeſtatem tuam reverentiâ proſequimur, numen tuum agnoſcentes, & clementiæ tuæ opem implorantes. Adeſto, Domine, & ſerva nos pro ſingulari tua miſericordia in Jeſu Chriſto Filio tuo, & Domino noſtro. *Amen.*

¶ *Aut hæc.*

O Glorioſiſſime & clementiſſime Domine Deus, qui humilia vides, cœlos incolens; reſpice, quæſumus, & exaudi nos, Te de profundo miſeriæ invocantes, mortíſque faucibus, quæ nos jam nunc devoratura eſt: Serva nos, Domine; ſin minùs, perimus. Vivi, vivi tibi gratias agent! Ede tuam potentis imperii vocem, quæ ſævientes ventos, & mare turbidum objurget, ut, ex his anguſtiis erepti, vivamus tibi ſervituri, & per omnem vitam noſtram tuum nomen illuſtremus. Exaudi, Domine, & ſerva nos, propter infinita merita noſtri ſervatoris, Filii tui, & Domini noſtri, Jeſu Chriſti. *Amen.*

¶ *Precatio dicenda ante commiſſum navale prælium cum quovis hoſte.*

O Potentiſſime & glorioſiſſime Domine Deus, Domine armipotens, qui regis omnia, & tuo imperio ſubjicis; Tu pro juſti judicis tribunali ſedes; ideóque, imminente hoc periculo, tuæ divinæ majeſtati ſupplicamus, ut Tu ipſe cauſam ſuſcipere velis, & ſis hujus inter nos & hoſtes noſtros cauſæ arbiter.

arbiter. Excita fortitudinem tuam, Domine, & nobis ſuppetias veni, quia non perpetuò iis victoriam tribuis, qui viribus præſtant, neque Tibi eſt difficilius exiguis copiis defendere quàm magnis. Ne tantorum flagitiorum querelæ ad ſumendum de nobis ſupplicium te excitent, ſed nos miſeros famulos tuos veniam ſupplicitèr exorantes, tuámque opem implorantes exaudias, ſíſque nobis munimento ab inimicis noſtris. Et inter omnes conſtet Te noſtrum eſſe ſervatorem, & potentem liberatorem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Breves quædam orationes in uſum eorum, qui non poſſunt adeſſe & intereſſe cæterorum precibus, prohibente prælio, aut tempeſtate.*

¶ *Precationes Generales.*

TUam, Domine, miſericordiam nobis peccatoribus exhibe, & pro clementia tua ſerva nos.

Tu es ille ſummus Deus, qui condidiſti, & regis omnia: O, gratiâ tui nominis, nos libera.

Tu ſummus ille Deus, ſupra omnia formidandus: O ſerva nos, ut Te laudibus efferamus.

¶ *Speciales precationes habito reſpectu ad hoſtem.*

TU, Domine, juſtus es ac potens, ô ſuſcipito noſtram cauſam adversùs hoſtes.

O Deus, turris valida omnibus, qui ad Te perfugiunt ad auxilium; à vi hoſtium nos prohibe.

O Domine armipotens, Tu pro nobis pugna, ut Te illuſtremus.

Ne ſinas nos vel peccatorum onere, vel vi hoſtium opprimi.

Exurge, Domine, defende, & libera nos propter nomen tuum.

¶ *Breves precationes reſpectu habito ad tempeſtatem.*

TU, Domine, qui maris iram coërces, exaudi invocatus, & ſerva nos, nè pereamus.

O collaudande ſervator, qui diſcipulos tuos jam jam in tempeſtate perituros ſervâſti, exaudi nos, & ſerva, quæſumus.

Miſerere noſtrî, Domine.
Miſerere noſtrî, Chriſte.
Miſerere noſtrî, Domine.
Exaudi nos, Domine.
Exaudi nos, Chriſte.

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus ſuâ erga nos utatur clementiâ, & ſervet nos nunc, & in perpetua ſecula. *Amen.*

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere. Quoniàm tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſempiternum. *Amen.*

¶ *Imminente periculo, quotquot à nauticis laboribus abſque navis periculo vacare poterunt, ii convocabuntur omnes, & peccatorum ſuorum humilem edent confeſſionem coram Deo: in qua unuſquiſque ſeriò attendat ad ſingula ea peccata, quorum accuſabit eum conſcientia, dicens proùt ſequitur:*

Confeſſio.

OMnipotens Deus, pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, conditor omnium rerum, omniúmque hominum judex, confitemur, & deploramus tot tantáque ſcelera, & peccata noſtra, quæ ſubindè in divinam tuam majeſtatem, cogitatione, verbis, & facto flagitiosè admodùm admiſimus, iram & bilem tuam in nos meritiſſimò moventes. Nos ſeriò ad frugem redimus, ex animo anxii ob delicta noſtra: Eorum recordatio nobis acerba eſt, quæ quaſi grave quoddam onus nos opprimunt. Miſerere noſtrî, miſerere noſtrî, clementiſſime Pater; remitte nobis præterita commiſſa, propter Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Da etiam, ut poſthàc ſemper tibi ſerviamus, & placeamus in novitate vitæ, ad laudem & gloriam tui nominis, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Preſbyter, ſi ullus adſit in navi, hanc formulam abſolvendi pronunciabit.*

OMnipotens Deus, Pater noſter cœleſtis, qui pro ſingulari ſua clementia, omnibus ex animo frugem redeuntibus, & verâ fide ad illum converſis, veniam peccatorum pollicitus eſt, veſtrî miſereatur, remittat vobis peccata omnia, & eorum vos abſolvat: Confirmet & corroboret vos in omni bono opere, vóſque ad vitam æternam perducat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Gratiarum actiones poſt tempeſtatem.

Pſal. lxvi.

SOnate Deum, totus orbis: cantate nomini ejus gloriam, laudis ei præſtantes honorem.

Dicite Deo, ô quàm horrenda ſunt tua facta? Tibi, propter magnitudinem tuæ potentiæ, tui ſubjicientur hoſtes.

Te univerſus orbis terrarum colet, atque cantabit: Tuum nomen cantabit.

Adeſte, conſiderate Dei opera, quàm ſit erga genus humanum factis mirificus.

Mare convertit in ſiccum: Trajectum eſt flumen pedibus, nobis ibì eo lætantibus.

Qui ſuâ virtute dominatur æternùm, oculis ita gentes ſpeculans, ut ſe contumaces non efferant. Sela.

Commendate populi Deum noſtrum, ejus laudationis voce perſonantes.

Qui noſtras vitâ donat animas, pedes noſtros labare non paſſus.

Expertus es Tu quidèm nos, Deus: Nos exploràſti ſicut exploratur argentum.

Nos in retia egiſti: Nos cruciatu laterum affeciſti.

Homines impoſuiſti capitibus noſtris: Venimus per ignes & per aquas; & idem nos in ubertatem eduxiſti.

Veniam in ædem tuam cum victimis, vota mea Tibi perſoluturus, quæ labiis promiſi meis, quæ ore nuncupavi in meis adverſis.

Victimas Tibi pingues immolabo, cum arietino ſuffitu: Faciam cum hircis boves. Sela.

Adeſte, & audite, dum narro, omnes Dei reverentes, quid mihi præſtiterit.

Eum ore invocavi, & linguâ ſubvexi.

Quòd ſi cujuſpiam criminis mihi conſcius ſim, me non exaudiet Dominus.

Atquì exaudivit Deus, ad vocem meæ precationis intentus.

Gratias ago Deo, qui meas preces non repudiârit, neque ſuam mihi negaverit clementiam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſempèr erit, & in perpetua ſecula. Amen.

Pſal. cvii.

CElebrate Dominum, qui bonus, qui æternâ eſt clementiâ.

Prædicent illum, qui redempti ſunt à Domino, quos ille vindicavit è manu opprimentium:

Et

miſericordia eſt ſuper omnia tua opera, præcipuè autem ſuper nos, qui tam mirificè tam potentèr nobiſcum egeris. Tu apud nos terribilia & prodigia in profundo edidiſti, ut compertum habeamus, quàm ſit Deus potens, & clemens, quàm paratus iis ſuppetias venire, qui ſibi in Te fiduciam collocant. Nobis feciſti notum, ventos etiam & mare tuo imperio obſequi, ut vel ea nos doceant tuo poſthàc dicto audientes eſſe, & tuam voluntatem exequi. Nomen itaque tuum commendatione extollimus, quos pro clementia tua tantùm non deploratos ſervâſti. Fac etiam, quæſumus, ut nunc æquo clementiæ tuæ ſenſu ac pridèm periculi, afficiamur. Da nos ita affectos eſſe, ut ſemper parati ſimus ad gratitudinem noſtram præſtandum, tum verbis, tum vitæ inſtituto, & meliori ſtudio tua ſancta mandata exequendi. Hanc clementiam tuam, quæſumus, erga nos perpetuam eſſe velis, ut quos ſervâſti, Te piè, juſtéque colamus, toto vitæ noſtræ tempore, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Hymnus laudis & gratiarum actionis poſt periculoſam tempeſtatem.*

AGite, Dominum celebremus, qui bonus, qui æternâ eſt clementiâ.

Maximus eſt Dominus & laudabiliſſimus, dicant à Domino liberati, quos ab immani rabie maris eripuit.

Dominus exorabilis, & miſericors, ad iram tardus, & clementiâ multus.

Non nos pro noſtris peccatis tractavit, non nos, ut digna ſunt noſtra vitia, remuneratus eſt.

Quin quantum terras ſupereminеant cœli, tantum excellit ejus erga nos clementia.

In periculum & ſolicitudinem incidimus: Ad lethi portas appulimus.

Jampridem nos aquæ inundâſſent: Jampridem nos potentes obruiſſent aquæ.

Reboavit mare, & ventus tempeſtuoſus attollebat fluctus.

Aſcendimus quaſi in cœlum, & deſcendimus in gurgites, animis in tanto malo fatiſcentibus.

Tunc Te, Domine, invocavimus, & liberâſti nos ex periculis.

Nomen tuum commendetur, qui preces ſervorum non averſatus es, ſed nos clamantes

clamantes exaudîſti, & eripuiſti nos.

Tu mandatum dediſti, tempeſtatem tranquillans, illóſque fluctus ſedans.

Ideò celebremus Domini clementiam, & miracula olìm & nunc apud hominum genus.

Laudetur Dominus indiès in nos munificus, noſtræ Deus ſalutis.

Qui Deus nobis Deus eſt ad ſalutem, & Domino Deo ad mortis exitum.

Nos, Domine, tuarum manuum factis delectâſti: Te celebrantes exultabimus.

Laudetur Dominus Deus, Deus ſolus mirificus:

Laudetur ejus glorioſum nomen in æternum: Et dicat unuſquiſque noſtrûm, *Amen, Amen.*

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſempèr erit, & in perpetua ſecula. Amen.

2 *Cor.* xiii. 14.

DOmini Jeſu Chriſti gratia, & Dei amor, & Sancti Spiritûs communio, nobis adſit omnibus, & nunc, & in perpetua ſecula. *Amen.*

Poſt reportatam victoriam & ab hoſte liberationem.

¶ *Pſalmus aut Hymnus laudis ac gratiarum actionis poſt victoriam.*

NISI Dominus nobis adfuiſſet (dicamus nunc) niſi Dominus nobis adfuiſſet, cùm in nos conſurgerent homines:

Jampridèm nos vivos devorâſſent, cùm in nos arderent irâ.

Jampridèm nos aquæ inundâſſent, obrutos torrente;

Jampridèm nos potentes obruiſſent aquæ.

Agamus Domino gratias, qui nos non paſſus ſit eſſe illis prædam.

Dominus erexit cornu ſalutis nobis.

Non armis noſtris hoc quæſivimus, non noſtri nobis lacerti peperêre victoriam: Sed tua dextera, tuum brachium, tui vultûs lumen, quòd nobis favebas.

Stetit à nobis Dominus: Dominus protexit capita noſtra, & ſuſtentavit in prælio.

Stetit à nobis Dominus: Dominus fudit hoſtes noſtros, & infeſtos noſtros oppreſſit.

Ideò ne nobis, Domine, ne nobis, ſed tuo nomini tribuatur gloria.

Dominus nobis magna præſtitit.

Dominus nobis magna præſtitit, id quod lætabamur.

Auxilium

Auxilium noſtrum à Domino eſt, cœli, terræque creatore.

Nomen Domini commendetur, abhìnc in perpetua ſecula.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto ;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſempèr, & in perpetua ſecula. Amen.

¶ *Finito hoc Hymno, poterit cantari* Te Deum.

Deindè hæc Collecta.

OMnipotens Deus, ſupreme rerum moderator, in cujus manu eſt potentia & virtus, quibus reſiſti non poteſt : magnum glorioſum tuum nomen commendatione extollimus, ob hanc reportatam victoriam quam tibi totam acceptam referimus, qui unicus es victoriæ arbiter. Et nos, quæſumus, impertire gratiâ, per quam ſingulari hac clementiâ utamur ad gloriam tuam, evangelii tui incrementum, principis noſtri honorem, &, quantum quidèm in nobis eſt, communem omnium utilitatem. Concede inſupèr, quæſumus, nos tali hujus ſummæ clementiæ ſenſu affici, ut ex animo tibi gratias habeamus, quæ manifeſtæ ſint tum vitis noſtris, tum moribus, demiſſè, piè, & obſequentèr in oculis tuis gradiendo, toto vitæ noſtræ tempore, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum cui Tecum,& cum Spiritu Sancto, pro omnibus tuis beneficiis, præcipuè autem pro hac victoria & liberatione, ſit omnis honor & gloria in perpetua ſecula. *Amen.*

2 *Cor.* xiii. 14.

DOmini Jeſu Chriſti gratia, & Dei amor, & Sancti Spiritûs communio nobis adſit omnibus, & nunc, & in perpetua ſecula. *Amen.*

In funeribus mortuorum inter navigandum.

¶ *Officium in communium precum libro uſurpatur, verùm pro his verbis* [cadaver ejus humo condimus, cinerem cineribus] *dicatur,*

CAdaver igitùr ejus profundo mandamus corrumpendum, reſurrectionem corporis expectantes, (cùm mare mortuos ſuos reddiderit) & in ſeculo futuro vitam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ; qui, cùm advenerit, humilia noſtra corpora ſic transfigurabit, ut eandem cum ejus glorioſo corpore formam habeant, pro ea vi, quâ ipſe ſibi ſubjicere poteſt omnia.

FORMA

FORMA & MODUS

Faciendi, Ordinandi, & Conſecrandi

Epiſcopos, Preſbyteros, ac Diaconos;

JUXTA RITUM

ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

PRÆFATIO.

CUivis ſacras ſcripturas & veteres ſcriptores accuratè perlegenti perſpicuum eſt, jam indè à temporibus Apoſtolorum varios in eccleſia Chriſti miniſtrorum ordines extitiſſe, Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos. *Quæ quidèm munia tanti ſempèr támque reverentèr habita ſunt, ut nemini jus, fáſve fuerit ulli eorum ſe immiſcere niſi priùs vocato, examinato & probato, pro eóque habito, qui dotibus eſſet idoneis præditus ad illud ritè obeundum; ídque poſt approbationem & admiſſionem à legitima poteſtate, cum oratione publica & manuum impoſitione. Quaproptèr ut iidem ſacri ordines ſervari, uſurpari, reverentiámque debitam in poſtremum conſequi valeant in eccleſia* Anglicana; *nemo pro legitimo* Epiſcopo, Preſbytero, *aut* Diacono *habebitur, neque cuiquam ullo horum munerum fungi licebit niſi ſiquis vocatus, examinatus, probatus, atque admiſſus ad illa fuerit, juxta ſequentem formulam, aut ſanè epiſcopalem ordinationem, ſive conſecrationem priùs habuerit.*

Neque quiſquam ad Diaconatûs *ordinem admittetur, (niſi impetratâ diſpenſatione) qui non attigerit annum ætatis viceſimum tertium. Si quis autem* Preſbyter *ordinabitur, eum oportebit annum viceſimum quartum compleviſſe. Annum verò*

trigeſimum ſuperabit omnis ordinandus ſeu conſecrandus in Epiſcopum.

Epiſcopus *autem, cùm vel ipſe, aut ex aliorum ſufficiente teſtimonio compertum habuerit, virum aliquem probè honeſtéque atque inculpatè vitam inſtituiſſe, eúmque poſt examinationem ac probationem, linguam Latinam callere, atque in ſacris ſcripturis ſufficientèr eruditum eſſe, illum temporibus in Canone præſtitutis, aut verò (re ita poſtulante) aliquo alio die Dominico aut feriâ poterit ad* Diaconatum *admittere, coram eccleſia, juxta modum & formulam ſequentem.*

FORMA & MODUS

Ordinandi DIACONOS.

¶ *Die ad hoc ab Epiſcopo conſtituto, poſt preces matutinas, habebitur concio aut exhortatio, quâ quid ſit eorum munus atque officium, qui ad Diaconatum admittendi ſunt, ediſſeretur; quámque neceſſarius ſit hic ordo in eccleſia Chriſti, ut & quanti eos facere debeat populus in hócce ſuo munere.*

¶ *Ante omnia, Archidiaconus, aut qui illius vices obibit, Epiſcopo, in cathedra ſedenti juxta menſam Domini, eos qui in Diaconos cupiunt Ordinari, ſingulos decentem veſtem indutos, ſiſtet, in hæc verba:*

REverende in Deo Pater, hos coràm viros Tibi ſiſto, ut ad Diaconorum munus obeundum admittantur.

Epiſcopus.

FAC, quos mihi ſiſtis, ſint viri tum doctrinâ, tum moribus idoneis inſtructi ad miniſterium ſuum ritè obeundum, ad honorem Dei, & eccleſiæ utilitatem.

Archidiaconus reſpondebit.

IN eos inquiſivi, eos etiam examinavi, & in ea ſum ſententia eos eſſe ita inſtructos.

¶ *Tum Epiſcopus ad plebem.*

FRatres, ſi cui veſtrûm innoteſcat, quenquam ex hiſce viris, qui jam nobis ſiſtuntur ad Diaconatûs munus capeſſendum, ullo impedimento aut manifeſto aliquo in crimine teneri, quo minùs eum

eum ſas ſit hoc munus inire, prodeat in nomine Dei, & illud quicquid ſit criminis aut impedimenti palàm proferat.

¶ *Quòd ſi crimen, aut impedimentum aliquod manifeſtum objiciatur, illum ordinare (cui crimen aut impedimentum ejuſmodi fuerit objectum) ſuperſedebit Epiſcopus, uſquè dum ab objecto crimine ſe purgaverit.*

¶ *Tum Epiſcopus, (iis qui digni viſi fuerint qui Ordinentur, ſacri cœtûs precibus commendatis) una cum Clero & Plebe tum præſente, Litaniam cum precibus cantabit aut recitabit dicens:*

Pater de cœlis Deus, miſericordiam exhibe nobis miſeris, &c.

Et ſequentia in ſolita forma quæ habetur inter preces matutinas quâlibet Dominicâ, niſi quod poſt petitionem illam,

Ut omnes Epiſcopos, Preſbyteros, &c. *hæc proximè ſubjungentur:*

Ut hiſce famulis tuis ad Diaconatûs (*Preſbyteratûs*) ordinem nunc admittendis, benedicere, & eos gratiâ tuâ impertire velis, per quam munus ſuum ritè obeant, ad eccleſiæ tuæ utilitatem, & ſancti tui nominis gloriam;

Te quæſumus exaudi nos, Domine.

¶ *Tum cantabitur aut recitabitur officium ſacræ Communionis, cum Collecta, Epiſtola & Evangelio, proùt ſequitur.*

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui, pro divina tua providentia eccleſiæ conſulens, varios in ea ordines inſtituiſti, quíque Sancti tui Spiritûs afflatu in Apoſtolorum tuorum animum induxiſti, ut D. Stephanum Protomartyrem eligerent, qui Diaconorum albo cum cæteris aſcriberetur; hos famulos tuos qui jam ad illud ipſum munus & miniſterium obeundum vocantur, benignè reſpice; & faxis tantam doctrinæ veritatem, morúmque probitatem in ipſis elucere, eóſque in hoc officio cùm verbis, tum probo exemplo fidelem adeò tibi præſtare operam, ut honorem tuo nomini, tuæque eccleſiæ utilitatem afferant, per merita ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui, unà Tecum & cum Spiritu Sancto, vivit & regnat, in diem ſempiternum. *Amen.*

Epiſtola. 1 Tim. iii. 8.

ITidem Diaconi ſint graves, non bilingues, non vino nimìs dediti, non ſordidi, in fidei arcano ſibi benè conſcii. Atque hi priùs probentur, deindè inſerviant Diaconatui, ſint inculpati. Uxores itèm graves, non calumniatrices, ſobriæ, fideles in omnibus. Diaconi ſint ſingularum uxorum viri, liberos, domóſque ſuas benè regentes. Nam, qui rectè miniſtrant, ii præclarum ſibi gradum faciunt, magnámque in fide in Chriſto Jeſu collocanda libertatem.

Aut Act. Apoſt. vi. 2.

ITaquè duodecim, convocatâ diſcipulorum multitudine, ſic verba fecerunt: Non placet nobis, omiſſo Dei ſermone, miniſtrare menſis. Quocircà, fratres, diſpicite homines ex vobis benè audientes ſeptem, Sancto Spiritu, ſapientiâque plenos, quibus hoc negotium mandabimus. Nos vero in precibus & miniſterio ſermonis erimus aſſidui. Placuit hæc oratio univerſæ multitudini: Elegerúntque Stephanum, virum fidei, Spiritûſque Sancti plenum, & Philippum, & Procorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum adventitium Antiochenum, quos in Apoſtolorum conſpectu ſtatuerunt: Qui comprecati manus eis impoſuerunt. Ita augebatur divinus ſermo, creſcebátque diſcipulorum numerus Hieroſolymæ vehementèr, ingénſque ſacerdotum multitudo fidei obediebat.

¶ *Priuſquàm autem prælegatur Evangelium, Epiſcopus ſedens in Cathedra juramentum de primatu Regis, & contra poteſtatem & auctoritatem omnium principum extraneorum, unicuique ordinando curabit adminiſtrari.*

Juramentum de Primatu Regis.

EGO A. B. *planè, prorſúſque teſtificor profiteórque ex conſcientia; quòd Regia majeſtas unica ſit hujuſce Regni ſupremus moderator, atque omnium aliarum ditionum ac regionum majeſtatis ſuæ, tam in rebus vel cauſis ſpiritualibus ſive eccleſiaſticis, quàm in ſecularibus. Quódque nulli principi extraneo, perſonæ, præſuli, ſtatui aut poteſtati ſit aut competat ulla juriſdictio, poteſtas, ſuperioritas, præeminentia vel auctoritas eccleſiaſtica aut ſpiritualis in hoc regno. Ideóque prorſùs repudio omnes juriſdictiones, poteſtates, ſuperioritates,*

tes, & auctoritates extraneas, iiſque planè renuncio, & polliceor in poſterum me fidem & veram alligantiam Regis majeſtatis heredibus & ſucceſſoribus ejus legitimis ſervaturum; necnòn adjuturum atque tuiturum pro virili omnes juriſdictiones, privilegia, præeminentias & auctoritates majeſtati Regiæ conceſſas, & ad ipſum, heredes & ſucceſſores ſuos pertinentes, aut unitas & annexas coronæ imperiali hujuſce regni: Sic me Deus adjuvet, & quæ hoc libro continentur.

¶ *Tum ſingulos ordinandos ad hunc modum coram populo Epiſcopus interrogabit,*

NUM perſuaſum habetis vos intùs Spiritûs Sancti inſtinctu moveri ad hoc munus & miniſterium ſuſcipiendum, Deo ſervituri ad illius gloriam, & eccleſiæ utilitatem promovendam?

RESPONSIO.

Ita perſuaſum habeo.

EPISCOPUS.

NUM in ea eſtis ſententia, vos verè vocari, quemadmodùm Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntas fert, & recta hujus regni conſtitutio poſtulat, ad eccleſiæ miniſterium?

RESPONSIO.

In ea ſum ſententia.

EPISCOPUS.

SIncerène atque ex animo fidem habetis omnibus tum veteris tum novi fœderis literis canonicis?

RESPONSIO.

Iis fidem habeo.

EPISCOPUS.

NUM operam navaturi eſtis ad eas prælegendum populo in ea eccleſia, cui miniſtrandi vobis cura demandabitur, congreſſo?

RESPONSIO.

Eam operam ſum navaturus.

EPISCOPUS.

DIaconi officium eſt in ea eccleſia, cui miniſtrandi munus ipſi demandabitur, dare operam Preſbytero, cùm rem divinam, maximè autem ſacram communionem celebraverit, ad eam diſtribuendam: Quin & ipſi porrò incumbit ſacras literas, homiliáſque prælegere in eccleſia; pueros in doctrina catechetica inſtituere: Infantes, abſente Preſbytero, baptizare: Necnon concionari, modò ſit permiſſu Epiſcopi: Deniquè autem, ubi ità cautum fuerit, illius eſt muneris inquirere in ægrotos, pauperes & infirmo

mos in parochia, de eorum ſtatu parochum facere certiorem, eorúmque nomina & domicilia indicare; ut, eo hortante, parochianorum, aliorúmve liberalitas iis in ſubſidium erogetur. Eſtíſne his omnibus alacritèr & ex animo operam navaturi?

Responsio.

Ita, juvante Deo.

Episcopus.

NUM omnem operam daturi eſtis, ut veſtrî familiarúmque veſtrarum mores ad normam doctrinæ chriſtianæ exacti reſpondeant; útque tum vóſmet ipſos, tum illos, quantum in vobis erit, ovilis Chriſti ſalutaria exempla præbeatis?

Responsio.

Dabo operam, juvante Domino.

Episcopus.

NUM ordinario veſtro, quíque eccleſiæ præſunt, reverentèr præſtabitis obſequium, ut & iis quibus cura veſtrûm & regimen demandatur, piis horum admonitionibus alacritèr atque ex animo obtemperantes?

Responsio.

Enitar omni ope, adjuvante Domino.

¶ *Tunc Epiſcopus ſingulis humilitèr genu flectentibus ſucceſſivè manu impoſitâ dicet:*

ACcipe auctoritatem fungendi officio Diaconi in eccleſia Dei, quod tibi collatum eſt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. *Amen.*

¶ *Tum Epiſcopus unicuique eorum novum teſtamentum tradet, dicens:*

ACcipe auctoritatem prælegendi evangelium in eccleſia Dei, & illud prædicandi, modò ſit permiſſu Epiſcopi.

¶ *Tum aliquis eorum juſſus ab Epiſcopo leget,*

Evangelium D. Luc. xii. 35.

SINT vobis latera ſuccincta, & ardentes lucernæ: Similéſque hominibus eſte Dominum ſuum expectantibus, quandò diſcedet à nuptiis, ut, ſimulac venerit ac pulſaverit, ei aperiant. Felices illi ſervi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Mihi credite, accinget ſe, eóſque accumbere jubebit, & eis miniſtratum veniet. Quòd ſi, ſeu ſecundâ, ſeu tertiâ venerit vigiliâ, idem invenerit, felices ſunt illi ſervi.

¶ *Tum*

¶ *Tum Epiſcopus perget in officio communionis, atque omnes ordinati manebunt, & ſacram ſynaxin participabunt eodem die cum Epiſcopo.*

¶ *Sacrâ cœnâ celebratâ, poſt ultimam collectam, & immediatè ante fauſtam precationem, quæ ſequuntur collectæ recitabuntur.*

OMnipotens Deus, bonorum omnium largitor, qui pro tua tam benigna clementia hos famulos tuos ad Diaconatûs officium in eccleſia tua aſſumere dignatus ſis; da quæſumus, Domine, eos modeſtos eſſe, humiles, & in ſuo munere aſſiduos, & paratos ad omnia diſciplinæ ſpiritualis munera obeunda, útque, bonæ conſcientiæ teſtimonio muniti, & in Chriſto Filio tuo firmi & corroborati, ita hoc inferiori fungantur munere, ut reperiantur digni, qui ad ſuperiora munera eccleſiæ obeunda evocentur, per eundem Jeſum Chriſtum, Filium tuum, Servatorem noſtrum, cui gloria & honor in diem ſempiternum. *Amen.*

IN omnibus noſtris actionibus, clementiſſimo tuo, Domine, favore nos præveni, & perpetuo tuo auxilio nos proſequere, ut in omnibus operibus noſtris inceptis, continuatis, & in Te perfectis, ſacroſanctum nomen tuum illuſtremus, & tandem pro clementia tua ſempiternam vitam conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

DIvina pax omnem mentem exuperans, veſtros animos & cogitationes in cognitione & amore Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri cuſtodiat: Et favor Dei omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti vobis adſit, ſempérque vobiſcum maneat. *Amen.*

¶ *Hic verò denunciandum eſt Diacono, quòd debeat manere in officio Diaconi per annum integrum, (niſi ob cauſas idoneas alitèr Epiſcopo viſum fuerit) ut fiat perfectus, & earum rerum peritus, quæ ad eccleſiaſticam adminiſtrationem attinent. In qua adminiſtratione ſi fidelem ac diligentem ſe præſtiterit, à Diæceſano poterit ad Preſbyteratum admitti, temporibus juxta canonem conſtitutis; aut (re ita poſtulante) alio aliquo dominico aut feſto die, coram eccleſia juxta modum & formam ſequentem.*

FORMA

FORMA & MODUS

Ordinandi Presbyteros.

¶ *Die ab Epiſcopo conſtituto, poſt preces matutinas, habebitur concio aut exhortatio, quâ quid ſit eorum munus atque officium, qui ſunt in Preſbyteros ordinandi, ponetur ob oculos, quámque ſit neceſſarius hic ordo in eccleſia Chriſti, ut & quanti eos facere debeat populus in hocce ſuo munere.*

¶ *Ante omnia, Archidiaconus, aut, eo abſente, alius ad illius munus obeundum conſtitutus, Epiſcopo in cathedra ſedenti juxta menſam Domini, eos qui die illo ſunt ad Preſbyteratûs ordinem admittendi, ſingulos decentem veſtem indutos, ſiſtet, ac dicet:*

REverende in Deo Pater, hoſce coràm viros ſiſto tibi, ad Preſbyteratûs ordinem admittendos.

Episcopus.

VIDE, ut, quos mihi ſiſtis, idonei & digni ſint, cùm ob eruditionem, tum ob ſanctos mores, qui munere ſuo ritè perfungantur, ad honorem Dei, & eccleſiæ illius utilitatem.

¶ *Reſpondebit Archidiaconus.*

IN eos inquiſivi, eos etiàm examinavi, & in ea ſum ſententia eos eſſe ita inſtructos.

¶ *Tunc Epiſcopus dicet Populo:*

VIRI fratres, hos, quos coràm videtis, in ſacrum Preſbyteratûs ordinem aſſumere hodiè nobis in animo eſt: Quippè, debitâ de iis diſquiſitione habitâ, nihil deprehendimus quod impediat, quò minùs ad ſuum officium & munus obeundùm ritè vocentur, ſíntque ad illud idonei. Verùm ſi cui veſtrûm compertum ſit, quenquam eorum ullo impedimento

pedimento teneri, aut gravioris alicujus criminis manifeſtum eſſe, adeò ut non fas ſit eos ad ſanctum hoc miniſterium admitti, prodeat ille in nomine Dei, & illud quicquid ſit criminis aut impedimenti palàm proferat.

¶ *Tum, ſi crimen aut impedimentum aliquod inſigne objiciatur, illius ordinationi, cui crimen aut impedimentum ejuſmodi fuerit objectum, ſuperſedebit Epiſcopus, uſque dum objectum crimen diluerit.*

¶ *Tum Epiſcopus, (iis qui digni viſi fuerint qui ordinentur, ſacri cœtûs precibus commendatis) unà cum Clero & Plebe tum præſente, Litaniam cum precibus cantabit aut recitabit, proùt habetur in formula Diaconos ordinandi, excepto quòd, in ſuffragio proprio ibì addito, vox* (Diaconatus) *omittetur, in cujus locum ſubjicietur vox* (Preſbyteratus.)

¶ *Tum cantabitur aut recitabitur officium pro Sacra Communione, cum Collecta, Epiſtola, & Evangelio, proùt ſequuntur.*

OMnipotens Deus, à quo ſolo omnia proveniunt bona, qui Sancto tuo Spiritu varios in eccleſia ordines ſacra peragentium inſtituiſti, hos famulos tuos, qui ad Preſbyteratûs officium nunc vocantur, benignè reſpice; & faxis tantam doctrinæ veritatem, morúmque probitatem in ipſis elucere, eóſque in hoc officio cùm verbis, tum probo exemplo fidelem adeò tibi præſtare operam, ut honorem tuo nomini, tuæque eccleſiæ utilitatem afferant, per merita Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui unà Tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat, in diem ſempiternum. *Amen.*

Epiſtola. Epheſ. iv. 7.

UNnicuique noſtrûm collatum eſt beneficium, pro portione doni Chriſti. Itaquè aſcendens in ſublime, (inquit ille) captivos abduxit, & dona dedit hominibus. (Quid eſt autem aſcendit, niſi quod priùs in imas terræ partes deſcenderat? qui deſcenderat idem eſt qui ſuprà cœlos omnes aſcendit, ut omnia compleret.) Atque is partìm apoſtolos, partìm vates, partìm evangeliſtas, partìm paſtores & magiſtros dedit, ad condendos ſanctos, ad operis miniſterium, ad Chriſti corporis extructionem, donec perveniamus omnes ad unitatem fidei, cognitioníſque Filii Dei, in

virum

virum adultum, ad modum plenæ ætatis Chriſtianæ.

¶ *Deindè legetur pro Evangelio pars capitis noni Evangelii ſecundùm D.* Matthæum.

Evangelium D. Matt. ix. 36.

VISA autem hominum multitudine, miſertus eſt eorum, quòd vexati erant & palantes errarent tanquàm paſtore carentes oves. Tum ſuos diſcipulos ſic alloquitur: Meſſis quidèm multa eſt, ſed operarii pauci. Orate igitùr meſſis Dominum, ut operarios emittat in meſſem ſuam.

Aut D. Johan. x. 1.

CErtò certóque ſcitote, qui in ovium ſtabulum non per januam intrat, ſed alià tranſcendit, eum furem ac latronem eſſe. Qui verò per januam intrat, paſtor eſt ovium. Huic janitor aperit, ejúſque vocem audiunt oves, íſque ſuas oves appellat nominatìm, educítque, & emiſſis ovibus ſuis præit viam: Eúmque ſequuntur oves, quippè cujus vocem agnoſcunt. Alienum autem non ſequentur, ſed fugient, quippè quæ alienorum vocem non agnoſcunt. Hanc parabolam cùm eis dixiſſet Jeſus, nec illi intelligerent quid ſibi vellent ea quæ eis dicebat, Jeſus porrò dixit eis: Certò certòque ſcitote, Me ovium eſſe januam. Omnes quicunque ante me venerunt, fures ſunt & latrones, nec eos audiverunt oves. Ego ſum janua: Per me qui intrabit, ſervabitur, & intrabit, & exibit, & paſcuum inveniet. Fur non venit niſi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & largiùs habeant. Ego ſum paſtor bonus. Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus. At mercenarius, qui paſtor non eſt, cujus ſuæ non ſunt oves, ſi venientem lupum videt, fugit, relictis ovibus: Lupus oves rapit, ac profligat. At mercenarius fugit, nempè mercenarius, nec ovium curam gerens. Ego ſum paſtor bonus, & meas agnoſco, & à meis agnoſcor. Ut me novit Pater, ſic ego Patrem novi, animámque meam pono pro ovibus; & alias oves habeo, quæ non ſunt hujus ovilis: Quæ etiam mihi adducendæ ſunt, meàmque vocem audient, & fiet unum ovile, unus paſtor.

¶ *Tum Epiſcopus ſedens in cathedra juramentum de Primatu Regis eorum unicuique adminiſtrabit, proùt ſuperiùs habetur in formula ordinandi Diaconos.*

¶ *Quo*

Quo facto, eos affabitur in hunc modum:

AUdiviſtis, fratres, cùm in privato examine, ım in exhortatione apud os jam habita, & in ſacris ɛctionibus ex evangelio ſcritíſque Apoſtolorum depromptis, quantæ dignitatis uantíque momenti ſit mus hoc, ad quod vocemini. t vos nunc iterùm exhoramur in nomine Domini oſtri Jeſu Chriſti, ut memoriâ teneatis ſummam digitatem & maximum moıentum officii & muneris, d quod vocamini: nimirùm os eſſe nuntios, ſpeculatoes, & diſpenſatores Domini, d familiam illius inſtituenam, monendam, paſcenam, & curandam; ad oves hriſti conquirendas, quæ aſſim errant; ejúſque filios, uí in medio hoc mundo ravo verſantur, ut per Chriſum ſalutem ſempiternam onſequantur.

Vobis igitùr indiès animo ccurrat, quantæ opes fidei eſtræ committantur. Sunt nim oves Chriſti, quas ıorte ſuâ redemit, & pro uibus ſanguinem ſuum efudit. Eccleſia & cœtus, quoum vobis cura demandata rit, ſponſa illius eſt & corus. Si igitùr eccleſia illa, ut aliquod illius membrum, quid damni aut detrimenti veſtrâ capiat negligentiâ, vos non latet culpæ gravitas, nec quas horrendas pœnas daturi eſtis. Quibus de cauſis animo vobiſcum contemplamini, quis ſit miniſterii veſtri ſcopus erga filios Dei, & ſponſam, corpúſque Chriſti; & attendite, nè laborem, curam, & diligentiam veſtram adhibere deſinatis, uſquè dum pro viribus operam dederitis, juxta quod tenemini, ut eos omnes, quorum cura vobis demandatur, aut demandabitur, ad eum conſenſum adducatis in fide ac Dei cognitione, & ad eam maturitatem plenæ ætatis Chriſtianæ, quæ nullum in medio veſtrî relinquat locum, ſeu erroribus in religione, ſeu vitiis in vivendi ratione.

Cùm igitùr tanta ſit veſtri muneris dignitas, & difficultas tanta; animadvertitis, quantam diligentiam quantámque operam vos dare neceſſe eſt, tàm ut vos obedienti, gratóque animo dignitatem proſequamini, ad quam vos evexit Dominus; quàm ut caveatis, nè aut ipſi delinquatis, aut in cauſa ſitis cur delinquant alii. Cùm tamèn per vos ipſos ea præſtare & velle nequeatis (ſiquidèm id velle & præſtare à Deo ſolo eſt) vobis igitùr neceſſe

neceſſe eſt, ut à Deo Spiritum Sanctum ſuum contentiùs petatis. Quandoquidèm verò tantum opus, utpotè quod in ſalute verſatur animarum, nullâ aliâ ratione ad optatam metam perduci poſſit, quàm doctrinâ, atque exhortationibus ex ſcripto ſacro depromptis, ut & moribus qui ad illud exacti reſpondeant; animo vobiſcum contemplamini, quàm aſſiduos vos eſſe oportet, cùm in prælegendis & addiſcendis literis ſacris, tum in moribus veſtris, & veſtrarum maximè familiarum, ad normam earundem literarum exigendis; atque ea ipſa de cauſa (quoàd fieri poterit) omnes mundanas ſolicitudines, & curas amoliri, & valedicere oportet.

Speramus vos hæc jamdiù perpendiſſe, iiſque attentè perpenſis, ſtatuiſſe vos totos, Deo juvante, conſecrare huic muneri, ad quod ipſi placuit vos vocare: Adeò ut pro viribus ad hoc unum adjunxeritis animos, omnéſque curas veſtras, omniáque ſtudia impenderitis. Vos autem à Deo Patre, per mediationem unius Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, indiès orabitis, ut Spiritûs Sancti divinum auxilium vobis adſit; ut, in perlegendis & meditandis literis aſſidui, ad maturitatem miniſterii veſtri perveniatis, & corroboremini; útque continuè omni ope enitamini ad mores cùm veſtros, tum illorum, qui vos aliquâ neceſſitudine attingunt, emendandos, eos exigendo ad normam & doctrinam Chriſti, ut vóſmet pia & ſalutaria exempla populo præſtetis.

Jam verò ut hic cœtus Chriſtianus, huc congreſſus, perſpectum habeat, quódnam ſit propoſitum veſtrum, quæve mens circa ea, de quibus agitur impræſentiarum, ut promiſſum, quod eſtis daturi, vos magis magíſque adſtringat ad munus veſtrum ritè perfungendum, vos nullâ circuitione utentes reſpondebitis ad quæſtiones, quas vobis proponemus in nomine Dei & eccleſiæ ejus.

NUM perſuaſum habetis, vos verè vocari, quemadmodùm Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntas fert, & mos eccleſiæ hujus Anglicanæ poſtulat, ad Preſbyteratûs ordinem & miniſterium?

RESPONSIO.

In ea ſum ſententia.

EPISCOPUS.

NUM perſuaſum eſt vobis in literis haberi affatìm doctrinæ omnis, quæ ad æternam ſalutem eſt neceſſaria,

ceſſaria, per fidem in Jeſum Chriſtum? Num etiàm vobis ſtat de iiſdem literis documenta depromere, quibus populum veſtræ curæ demandatum, inſtituatis, nec quicquam prædicare (tanquàm neceſſarium ad ſalutem æternam) niſi quod vobis perſuaſum ſit ex ſacris literis inferri poſſe, & probari?

RESPONSIO.

Ità mihi perſuaſum eſt; itáque ſtat ſententia, favente Deo.

EPISCOPUS.

NUM igitùr fidelem operam ſempèr navaturi eſtis ad doctrinam, & ſacramenta, atque diſciplinam Chriſti adminiſtrandam, proùt Domini voluntas fert, & in hac eccleſia & in hoc regno receptum eſt, ſecundùm Dei mandata: Ità ut populum, veſtræ curæ veſtróque muneri demandatum, docturi ſitis, quo ſummo ſtudio ea exequantur & obſervent?

RESPONSIO.

Eam, favente Deo, operam navabo.

EPISCOPUS.

NUM parati erectíque eritis, ad propulſandum & oppugnandum omnes falſas, & peregrinas doctrinas, quæ à divino Sermone abhorrent; & ad monendum hortandúmque tum privatìm, tum publicê, tam adversâ quàm proſperâ utentes valetudine, veſtræ curæ committendos, proùt facto opus fuerit, & è re nata?

RESPONSIO.

Ità, Deo adjuvante.

EPISCOPUS.

NUM eritis aſſidui in ſupplicationibus, literiſque ſacris perlegendis, iiſque animum intendetis ſtudiis, quæ iis cognoſcendis inſerviunt, de mundanis & corporeis nihil ſoliciti?

RESPONSIO.

Ea conàbor præſtare, adjuvante Domino.

EPISCOPUS.

NUM omnem operam daturi eſtis, ut veſtri familiarúmque veſtrarum mores ad normam doctrinæ Chriſtianæ exacti reſpondeant, útque tum vóſmet ipſos, tum illos, quantum in vobis erit, ovilis Chriſti exempla ſalutaria præbeatis?

RESPONSIO.

Dabo operam, adjuvante Domino.

EPISCOPUS.

NUM conatu omni veſtro uſuri eſtis, ad fovendam & conciliandam quietem, pacem, & charitatem omnes inter Chriſtianos, maximè autem inter eos, quorum cura vobis demandatur, aut demandabitur?

RESPONSIO.

Hoc præſtabo, adjuvante Domino.

EPISCOPUS.

NUM Ordinario veſtro, quíque Eccleſiæ præſunt, reverentèr præſtabitis obſequium, ut & iis quibus cura veſtrûm & regimen demandatur, piis eorum admonitionibus alacritèr atque ex animo obtemperantes?

RESPONSIO.

Enitar omni ope, adjuvante Domino.

¶ *Tum Epiſcopus ſtans dicet,*

OMnipotens Deus, qui vobis dedit hæc omnia præſtare velle, vobis etiam vires & poteſtatem ad ea præſtanda largiatur, ut, qui in vobis opus ſuum inchoavit, idem perficiat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *His peractis, cœtus monebitur, ut hæc ſecretò in ſuis ſupplicationibus petat à Deo, ei propterea ſupplicando humillimè. Atque ut detur locus his precibus, ſilentium per aliquod tempus ſervabitur.*

¶ *Poſteà cantabitur aut recitabitur ab Epiſcopo Hymnus,* Veni, Creator Spiritus, *omnibus ordinandis genu flectentibus: Epiſcopo præeunte, ſacerdotibus autem, aliíſque qui adſunt, alternis reſpondentibus.*

VEni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita:
Imple supernâ gratiâ,
Quæ Tu creâſti, pectora.
Qui paracletus diceris,
Donum Dei altiſſimi;
Fons vivus, ignis, charitas,
Et ſpiritualis unctio.
Tu ſeptiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu ritè promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus;
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longiùs,
Pacémque dones protinus;
Ductore ſic Te prævio,
Vitamus omne noxium.
Per Te ſciamus, da, Patrem,
Noſcamus atque Filium;
Te utriúſque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paracleto;
Nobíſque mittat Filius
Chariſma Sancti Spiritûs.
Amen.

¶ *His peractis, Epiſcopus ſic ſupplicabit & dicet:*

OREMUS.

OMnipotens Deus, & Pater cœleſtis, qui pro tua tam benigna clementia nos ſic amâſti, ut Filium tuum

tuum unicum dederis qui redemptor noſter foret, & ſalutis æternæ cauſa: Qui per ſuam ipſius mortem redemptionem noſtram perfecit, póſtque ſuam in cœlos aſcenſionem, Apoſtolos ſuos, Vates, Evangeliſtas, Doctores & Paſtores dimiſit, quorum labore & miniſterio ex omnibus terris oves plurimas collegit, ad tuum ſanctum nomen æternis laudibus celebrandum: Pro his tantis beneficiis, quæ pro immenſa clementia contuliſti nobis, & propterea quòd hos præſentes famulos tuos vocare dignatus ſis, ad hoc idem munus & miniſterium, ad ſalutem generis humani inſtitutum, tibi gratias agimus ex animo quàm maximas: Te celebramus, Te veneramur, Téque omnibus precibus oramus per eundem Filium tuum beatum, ut omnibus tum hìc, tum alìbì, nomen tuum invocantibus, concedere velis, ut indiès hæc atque alia omnia beneficia tua grato animo proſequamur; &, creſcente in nobis noſtrâ cognitione & fide in Te, tuúmque Filium per Sanctum tuum Spiritum, in iis indiès proficiamus: Ità ut non modò per hos miniſtros tuos, ſed per eos etiàm, quos inter ſuo funguntur munere, ſanctum nomen tuum ſemper illuſtretur, & felicis regni tui proferantur fines, per eundem Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat Tecum in unitate ejuſdem Spiritûs in diem ſempiternum. *Amen.*

¶ *Hâc finitâ oratione, Epiſcopus cum Preſbyteris ibì præſentibus manus ſuas impoment unicuique ſucceſſivè ad Preſbyteratum ordinando, humilitèr in genua provoluto, Epiſcopo dicente:*

ACcipe Spiritum Sanctum ad officium & munus preſbyteri in eccleſia Dei obeundum, quod manuum noſtrarum impoſitione tibi demandatur. Si quorum peccata remiſeris, remiſſa erunt; ſi quorum retinueris, retenta erunt. Et eſto fidelis diſpenſator ſermonis divini, & ſanctorum ejus ſacramentorum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. *Amen.*

¶ *Poſt hæc Epiſcopus unicuique in genua provoluto ſacra biblia in manum tradet, dicens:*

ACcipe poteſtatem prædicandi verbum Dei, & celebrandi ſancta ſacramenta

menta in ea eccleſia, cujus cura tibi legitimè demandabitur.

¶ *His peractis, ſymbolum Nicænum cantabitur aut recitabitur: Deindè Epiſcopus perget in officio ſacræ communionis; quam unà participabunt omnes ordinati, manentes in eodem loco, ubi manus ipſis fuerunt impoſitæ, uſquè dum ſacræ cœnæ communicaverint. Sacrâ verò cœnâ celebratâ, poſt ultimam Collectam, & immediatè ante fauſtam precationem hæ Collectæ dicentur:*

QUæſumus, Pater clementiſſime, hos famulos tuos favore tuo divino proſequere, ut juſtitiâ veſtiantur, & doctrina tua ab iis eloquenda adeò invaleſcat, ut nunquàm fruſtrà proferatur. Nos etiàm impertire gratiâ, per quam audiamus ea, admittamus item, quæ ex ſacris tuis literis deſumpta, aut his conſonantia, tanquàm viam ſalutis præmonſtrantia; ut dictis, factíſque tuæ gloriæ regníque tui incremento ſtudeamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

IN omnibus noſtris actionibus, clementiſſimo tuo, Domine, favore nos præveni, & perpetuo tuo auxilio nos proſequere, ut in omnibus operibus noſtris inceptis, continuatis, & in Te perfectis, ſacroſanctum nomen tuum illuſtremus, & tandèm pro clementia tua ſempiternam vitam conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

DIvina pax omnem mentem exuperans, veſtros animos & cogitationes in cognitione & amore Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri cuſtodiat: Et favor Dei omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti vobis adſit, ſempérque vobiſcum maneat. *Amen.*

¶ *Si autem uno eodémque die alii ad Diaconatûs, alii ad Preſbyteratûs ordinem admittantur, priùs ſiſtentur Diaconi, deindè Preſbyteri. Et ſatìs fuerit ſi ſemèl recitatur Litania pro utriſque. Ambæ Collectæ uſurpabuntur, pro Diaconis primò, deindè etiàm pro Preſbyteris. Epiſtola erit* Epheſ. iv. 7. *uſque ad* 14. *ut ſuprà in hoc officio. Poſtquàm ſtatìm juramentum primatûs*

tûs præſtabunt, examinabuntur & Ordinabuntur (proùt ſuprà præſcriptum eſt) qui ſunt ad diaconatum admittendi. Tum, prælecto ab aliquo eorum evangelio, (quod deſumetur aut ex D. Matth. ix. 36. *ut ſuprà in hoc officio, aut ex* D. Luc. xii. 35. *uſquè ad* 39. *ut anteà in forma pro ordinandis Diaconis:) Et ii, qui ſunt ad Preſbyteratum admittendi, præſtabunt etiam juramentum primatûs, examinabuntur, & ordinabuntur, proùt ſuprà in hoc officio præſcriptum habetur.*

Forma Ordinandi vel Conſecrandi

ARCHIEPISCOPUM aut EPISCOPUM.

¶ *Quæ quidem conſecratio ſemper celebranda eſt die Dominico, aut aliquo die feſto.*

¶ *Rebus omnibus in eccleſia peractis atque ritè diſpoſitis poſt preces Matutinas, Archiepiſcopus aut alius Epiſcopus ad id conſtitutus ordietur ab officio ſacræ Communionis, in quo hæc erit*

COLLECTA.

OMnipotens Deus, qui per Filium tuum Jeſum Chriſtum tot eximiis dotibus ſanctos Apoſtolos tuos locupletâſti, quíque illis in mandatis dediſti ut oves tuas paſcerent: Gratiam, quæſumus, impertire omnibus Epiſcopis, eccleſiæ tuæ paſtoribus, per quam ſermonem tuum ſeduli eloquantur, piámque illius Diſciplinam ritè adminiſtrent: Da etiam, ut ei populus obſequentèr ſe ſubmittat, ſícque omnes coronam æternæ gloriæ conſequantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Alius autem Epiſcopus leget Epiſtolam,* 1 Tim. iii. 1.

CErta res eſt; Si quis Epiſcopi munus expetit, bonum munus cupit. Debet autem Epiſcopus irreprehenſibilis eſſe, unius uxoris vir, ſobrius, frugi, mo-

modeſtus, hoſpitalis, aptus ad docendum: Non vinolentus, non percuſſor, non ſordidus; ſed æquanimis, à jurgiis & avaritia alienus, ſuam domum benè adminiſtrans, liberos habens dicto audientes, ſumma cum gravitate. Quòd quis ſuam ipſius domum adminiſtrare neſcit, quo pacto Dei eccleſiam procurabit? Ne ſit novitius: Nè inflatus in Diaboli criminationem incurrat. Debet etiam honeſto alienorum teſtimonio commendatus eſſe, nè in probrum, Diabolíque laqueum incidat.

¶ *Aut hoc, loco Epiſt.* Act. xx. 17.

EX Mileto autem curavit accerſendos Epheſo ſeniores eccleſiæ, & eos, ubi ad ſe venerunt, ſic alloquutus eſt: Vos ſcitis, ex quo primùm die in Aſiam ingreſſus ſum, quomodò apud vos perpetuò verſatus ſim, Domino ſerviens cum omni modeſtia, multíſque cum lachrymis, ac periculis, quæ mihi per Judæorum inſidias contigerunt: Ut nihil, quod utile eſſet, detrectaverim, quo minùs vos inſtituerem ac docerem, tum publicè, tum intra parietes; & Judæos & Græcos commonefaciens, ut correctis moribus ad Deum ſe converterent, & Domino noſtro Jeſu Chriſto fidem haberent. Et nunc ego, divino conſtrictus afflatu, Hieroſolymam proficiſcor, quid illic mihi ſit eventurum ignorans: Niſi quòd Spiritus Sanctus oppidatìm monet, vincula me & calamitates manere. Sed nihil penſi habeo, neque tanti vitam meam facio, dum curſum meum cum lætitia, & aſſignatum mihi à Domino Jeſu munus abſolvam: Hoc eſt, divinæ gratiæ evangelium teſtificer. Et nunc hoc quidem ſcio: Nemo me veſtrûm, quos inter divinum regnum prædicans verſatus ſum, præſentem poſthàc videbit. Itaquè conteſtor vos hodierno die, me ab omnium pernicie inſontem eſſe. Nihil enim parſi, omne vobis Dei declarare conſilium. Quamobrèm cavete & vobis, & toti ovili, cui vos Sanctus Spiritus præpoſuit cuſtodes; ut Dei paſcatis eccleſiam, quam ipſe ſuo ſanguine comparavit. Nam ego hoc compertum habeo, fore ut vos poſt diſceſſum meum truces invadant lupi, qui gregi non parcent: Utque ex vobiſipſis exiſtant homines, qui perversè loquentur, quò diſcipulos ad ſe ſequendos abducant. Quare vigilate, recor-

cordantes, me per triennium noctes & dies unumquémque cum lachrymis admonere non intermiſiſſe. In præſentia commendo vos, fratres, Deo, & ſermoni ejus gratiæ: Qui vos exædificare, & inter ſanctificatos omnes hereditate donare poteſt. Nullius argentum, aut aurum, aut veſtem concupivi: Quin ipſi vos ſcitis, & meis & meorum uſibus has miniſtrâſſe manus. Omnia vobis oſtendi, quòd ità laborantes oporteat infirmis ſubvenire, & Domini Jeſu verbi meminiſſe, qui dare quàm accipere dixit eſſe beatius.

¶ *Tum alius Epiſcopus leget Evangelium D.* Johan. xxi. 15.

DIcit Jeſus Simoni Petro, Simon Johannide, amas me plùs his? Cui ille; Etiàm Domine; Tu ſcis Te ut diligam. Et ille; Paſce agnos meos. Itémque iterùm, Simon Johannide, amas me? inquit ei. Cui ille, etiàm, Domine; Tu ſcis ut Te diligam. Et ille; Paſce meas oves, inquit. Itémque tertiò, Simon Johannide, diligis me? inquit ei. Hìc Petrus, ægrè ferens illum ex ſe tèr, an ſe diligeret, quæſiviſſe; dixit ei, Domine, Tu nôſti omnia, Tu ſcis ut Te diligam. Et Jeſus, Paſce meas oves, inquit ei.

¶ *Aut hoc, D.* Johan. xx. 19.

IGitùr cùm eſſet veſpere, illo ipſo die, qui proximus erat à Sabbato, clauſis præ Judæorum metu ejus loci portis, ubì erant diſcipuli congregati, venit Jeſus, in medióque ſtetit, & eis dixit, Pax vobis. Ac, eo dicto, oſtendit eis ſuas manus atque latus. Hìc, cùm diſcipuli viſo Domino lætati eſſent, Jeſus eos denuò ſic allocutus eſt, Pax vobis. Quemadmodùm miſit Me Pater, ſic ego mitto vos. Hoc dicto, afflavit, & eis dixit, Accipite Spiritum Sanctum. Si quorum peccata remiſeritis, remiſſa erunt: Si quorum retinueritis, retenta erunt.

¶ *Aut hoc, D.* Matth. xxviii. 18.

ET Jeſus aggreſſus eos, ſic eſt locutus: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Vadite igitùr doctum omnes gentes, eóſque baptizate in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, docentes eos exequi quæcunque vobis præcepi. Ego vobis adfuturus ſum perpetuò, uſquè ad finem ſeculi.

¶ *Poſt*

¶ *Poſt evangelium, ſymbolum Nicænum, & concionem ſacram, electus Epiſcopus (ſupparo, vulgò* Rochetto, *indutus) à duobus Epiſcopis ſiſtetur illius provinciæ Archiepiſcopo, (aliive Epiſcopo ad hoc per legitimam commiſſionem conſtituto,) Archiepiſcopo ſedente in Cathedra juxta ſacram menſam, Epiſcopíſque, qui illum ſiſtunt, dicentibus,*

REverendiſſime in Deo Pater, hunc pium atque eruditum virum Tibi ſiſtimus in Epiſcopum ordinandum atque conſecrandum.

¶ *Tum Archiepiſcopus mandatum regium jubebit exhibere, illúdque curabit prælegi. Juramentum autem de agnoſcendo primatu regio ſingulis in Epiſcopos electis adminiſtrabitur, proùt habetur in formula Diaconos ordinandi, ut & poſteà juramentum obedientiæ, Archiepiſcopo debitæ, juxta ſequentem formulam.*

Juramentum obedientiæ Archiep. debitæ.

IN Dei nomine. Amen. Ego N. *electus Epiſcopus eccleſiæ, ſedíſque* N. *profiteor polliceórque omnimodam reverentiam & obedientiam debitam Archiepiſcopo, atque eccleſiæ metropoliticæ* N. *debitam, & ſucceſſoribus ſuis: Sic me Deus adjuvet per Jeſum Chriſtum.*

¶ *Hoc juramentum omittetur in conſecratione Archiepiſcopi.*

¶ *Tum Archiepiſcopus cœtum ad ſupplicandum exhortabitur, in hæc verba:*

FRatres, habetur in Evangelio juxta D. Lucam, quòd Jeſus Servator noſter pernox orabat; deindè elegit, & dimiſit duodecim Apoſtolos ſuos. Habetur etiàm in D D. Apoſtolorum actis, diſcipulos Antiochiæ, quùm jejunâſſent & ſupplicâſſent, manus Paulo & Barnabæ impoſuiſſe, eóſque dimiſiſſe: Nos igitùr more accepto à Servatore noſtro Chriſto atque ejus Apoſtolis, ſupplicationi vacemus, priuſquàm hunc virum, oblatum nobis, cooptemus, & dimittamus ad munus perfungendum, cui Spiritum Sanctum

ctum deſtinâſſe illum ſperamus.

¶ *Tum recitabitur Litania, ut ſuperiùs in formula Diaconos ordinandi; excepto tantummodò, quòd, poſt hunc locum* (ut omnes Epiſcopos, Preſbyteros) *proprium ſuffragium quod ibi habetur omittetur, hoc ſequente ſuffragio in ipſius locum ſubſtituto.*

UT huic fratri noſtro electo, tum favorem tum gratiam tuam cœleſtem impertire digneris, per quam munere ſuo, ad quod vocatus eſt, ritè perſungatur, ad eccleſiæ tuæ utilitatem, & nominis tui honorem, laudem & gloriam.

RESPONSIO.

Te quæſumus, exaudi nos, Domine.

¶ *Tum ſequens precatio recitabitur.*

OMnipotens Deus, à quo ſolo omnia proveniunt bona, qui Sancto tuo Spiritu varios in eccleſia tua ordines ſacra peragentium inſtituiſti, hunc famulum tuum, ad munus & miniſterium Epiſcopi nunc vocatum, benignè reſpice; eúmque ita reple doctrinæ veritate, vitæque innocentiâ exorna, ut Tibi in hoc officio dictis, factíſque fidelem navet operam, ad nominis tui gloriam, & eccleſiæ tuæ utilitatem & rectam gubernationem, per merita Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui, unà Tecum & cum Spiritu Sancto, vivit & regnat in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Tum Archiepiſcopus, in cathedra ſedens, eum, qui in Epiſcopum conſecrandus eſt, ſic alloquetur:*

FRater, quandoquidèm literæ ſacræ, ut & antiqui canones vetant nos manus citò imponere, aut cooptare quenquam ad regimen in eccleſia Chriſti, quam non minore pretio, quàm ſuo ipſius effuſo ſanguine comparavit: Te igitùr ad hoc regimen admittam, examinatione priùs habitâ in quibuſdam articulis, eo nempè conſilio, ut præſens cœtus compertum habeat, & teſtimonium perhibere poſſit, quo pacto Te gerere in eccleſia Dei apud Te ſtatueris.

NUM perſuaſum habes Te verè vocari ad hoc munus perſungendum, proùt Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntas fert, & recta hujus regni conſtitutio poſtulat?

RESPONSIO.

Ita perſuaſum habeo.

ARCHI-

ARCHIEPISCOPUS.

NUM perſuaſum eſt Tibi in literis ſacris haberi affatìm doctrinæ omnis, quæ ad æternam ſalutem eſt neceſſaria per fidem in Jeſum Chriſtum? Num etiàm Tibi ſtat de iiſdem literis documenta depromere, quibus populum, tuæ curæ demandatum, inſtituas; nec quicquam docere, aut tenere (tanquàm neceſſarium ad æternam ſalutem) niſi quod Tibi perſuaſum ſit ex literis inferri poſſe & probari?

RESPONSIO.

Ita mihi perſuaſum eſt, itáque ſtat ſententia, favente Deo.

ARCHIEPISCOPUS.

NUM igitùr fidelem operam in iiſdem literis perlegendis navaturus ſis, & Deum precibus interpellaturus, ut Te eas intelligere concedat, quo poſſis docere, & ſanâ doctrinâ cohortari, & reſiſtere & refellere contradicentes?

RESPONSIO.

Ita faciam, juvante Deo.

ARCHIEPISCOPUS.

NUM paratus erectúſque eris ad propulſandum & oppugnandum omnes falſas & peregrinas doctrinas, quæ à divino ſermone abhorrent, alióſque cùm privatìm tum publicè ad illud ipſum monere & hortari?

RESPONSIO.

Ita facere apud me conſtitui, mihi Domino opitulante.

ARCHIEPISCOPUS.

NUM igitùr, omni impietati, mundaníſque cupiditatibus valedices, frugalitèr & juſtè piéque vives in hoc ſeculo, ut in cunctis Teipſum rectè factorum exemplum præſtes, ut adverſarii moveantur, nihil habentes de Te dicere vitioſum?

RESPONSIO.

Ita faciam, juvante Domino.

ARCHIEPISCOPUS.

NUM ſummo conatu tuo uſurus ſis ad fovendam & conciliandam quietem, charitatem & pacem, inter omnes: inquietos autem, immorigeros, & crimini obnoxios intra tuam Diœceſin corriges & plectes, pro ea auctoritate, quâ ex divino ſcripto præditus es, & quæ Tibi ex legibus hujus regni delegabitur?

RESPONSIO.

Ita faciam, juvante Deo.

ARCHIEPISCOPUS.

NUM Te fidelem præſtabis in ordinandis mittendíſque aliis, iíſque manus imponendo?

RESPONSIO.

Ita, juvante Deo.

ARCHIEPISCOPUS.

NUM Teipſum præbebis mitem, & liberalitatem propter Chriſtum exercebis erga pauperes & egenos, necnon peregrinos omnes auxilio deſtitutos?

RESPONSIO.

Præbebo, Deo juvante.

¶ *Tum Archiepiſcopus ſtans, dicet:*

OMnipotens Deus, Pater noſter cœleſtis, qui tibi dedit hæc omnia præſtare velle, tibi etiam vires & poteſtatem ea præſtandi largiatur; ut, perfecto, quod in Te incepit, bono opere, perfectus & inculpatus in ultimo die reperiaris, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum, electo in Epiſcopum reliqua Epiſcopalia veſtimenta induto, & genibus flexis, hymnus,* Veni, Creator Spiritus, *ſuper ipſum cantabitur aut recitabitur, incipiente Archiepiſcopo; Epiſcopis autem, cum aliis præſentibus, alternis reſpondentibus, prout habetur in ſequentibus.*

VENI, Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita:
Imple supernâ gratiâ, *&c.*

Ut ſuprà in formula Preſbyteros ordinandi.

¶ *Quo finito, Archiepiſcopus dicet:*

Nos, Domine, invocantes exaudi.

RESPONSIO.

Et ad Te perlata ſit querela noſtra.

ARCHIEPISCOPUS.

OREMUS.

OMnipotens Deus & clementiſſime Pater, qui pro tua ſingulari clementia Filium tuum unicum dederis, ut Redemptor noſter eſſet, & ſalutis æternæ cauſa; qui per ſuam ipſius mortem noſtram perfecit redemptionem, póſtque ſuam in cœlos aſcenſionem, ſuis homines donis largè perfudit; aliis conſtitutis Apoſtolis, aliis Vatibus, aliis verò Evangeliſtis, aliis paſtoribus & magiſtris, ad eccleſiæ utilitatem, eámque condendam: Hunc famulum tuum gratiâ impertire, quæſumus, per quam ſempèr ſit paratus ad Evangelium tuum

tuum publicandum (quod nobis favorem tuum conciliatum nunciat) eámque exercendam auctoritatem, ei commiſſam, non ad perniciem, ſed ad ſalutem, non ad officiendum, ſed ad juvandum; ita ut, tanquàm fidelis & prudens diſpenſator, familiæ tuæ demenſo ſuo commodè diſtributo, in æternam tandèm voluptatem ingrediatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui, unà Tecum & cum Spiritu Sancto, vivit & regnat unus Deus, in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Tum Archiepiſcopus & Epiſcopi qui aderunt, electo in Epiſcopum coram ipſis in genua provoluto, manus imponent, Archiepiſcopo dicente:*

ACcipe Spiritum Sanctum ad officium & munus Epiſcopi perfungendum in eccleſia Dei, quod jam noſtrarum manuum impoſitione Tibi committitur; in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen. Ac memento, ut ſuſcites divinam gratiam, quâ per noſtrarum manuum impoſitionem præditus es: Non enìm dedit nobis Deus timiditatis ſpiritum, ſed fortitudinis, & charitatis ac frugalitatis.

¶ *Tum Archiepiſcopus ipſi tradet ſacra biblia, dicens:*

ATtende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Ea Tecum contemplare, quæ hoc in libro habentur. In his eſto, ut in omnibus proficere videare; curam gere & tui ipſius, & doctrinæ, in iiſque perſevera: Hoc enìm faciens & teipſum ſervabis, & auditores tuos. Eſto gregi Chriſti paſtor, non lupus; paſce oves illius, ne devores. Infirmis opitulare, ægras cura, fractas obliga, profligatas revoca, perditas quære. Eâ utere clementiâ, nè ſis æquo remiſſior: Ita exerce diſciplinam, nè obliviſcaris miſericordiam; ut, quùm advenerit paſtorum Magiſter, nunquàm flacceſcentem gloriæ coronam accipias, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Archiepiſcopus perget in officio ſacræ communionis; quîcum jam conſecratus Epiſcopus (unà cum aliis) cænæ Domini communicabit.*

¶ *Et pro ultima Collecta, immediatè ante fauſtam precationem, hæ precationes recitabuntur.*

Quæſumus,

QUæſumus, Pater clementiſſime, hunc famulum tuum divino tuo favore proſequaris, eúmque Spiritu tuo Sancto ità repleas, ut tuam doctrinam publicans non ſolùm inſtet, arguat, cohortetur, increpet, ſumma cum patientia, ac doctrina, verùm etiàm fidentibus, exemplo ſalutari ſit, verbis, moribus, charitate, fide, caſtitate, puritate; ut curſu fidelitèr abſoluto, in die ultimo juſtitiæ coronam accipiat, quæ ipſi reſervata eſt à Domino juſto Judice, qui vivit, & regnat unus Deus, cum Patre & Spiritu Sancto, in perpetua ſecula. *Amen.*

IN omnibus noſtris actionibus, clementiſſimo tuo, Domine, favore, nos præveni, & perpetuo tuo auxilio nos proſequere, ut, in omnibus operibus noſtris inceptis, continuatis & in Te perfectis, ſacroſanctum nomen tuum illuſtremus, & tandèm pro clementia tua ſempiternam vitam conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

DIvina pax, omnem mentem exuperans, veſtros animos & cogitationes in cognitione & amore Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti cuſtodiat: Et Favor Dei omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti vobis adſit, ſempérque vobiſcum maneat. *Amen.*

FORMA PRECUM

In Utraque

DOMO CONVOCATIONIS:

SIVE

Synodi Prælatorum & cæteri Cleri, ſeu provincialis ſeu nationalis; in ipſo ſtatìm cujúſlibet conventûs initio ſolennitèr recitanda.

Litania ſeu ſupplicatio generalis, initio cujúſlibet conventûs, ſolennitèr recitabitur: Præeunte, in domo quidèm ſuperiori, Epiſcopo noviſſimè conſecrato; in inferiori autem, Prolocutore, poſtquàm fuerit electus, approbatus, & confirmatus.

PAter de cœlis, Deus, miſericordiam exhibe nobis miſeris peccatoribus, &c.

Et ſequentia in ſolita forma, niſi quòd poſt petitionem illam,

Ut omnes Epiſcopos, Preſbyteros & Diaconos verâ cognitione, &c. hæc *proximè ſequentur:*

Ut præſenti huic Convocationi (vel Synodo) Spiritu tuo Sancto afflare & præeſſe digneris, qui nobis præeat ad veritatem omnem, quæ in religione ſita eſt.

Deindè, Litaniâ finitâ, ſequetur ſupplicatio pro ſuprema Senatûs Curia, durante illius conventu.

Clementiſſime Deus, ſupplice prece poſtulamus, &c.

Huic ſubſequitur ſupplicatio pro præſente Convocatione ſive Synodo.

DOmine Deus, Pater luminum, & fons omnis ſapientiæ, nos, ad pedum

dum tuorum ſubſellium provoluti, humiles tui, & indigni famuli, Te precibus interpellamus, ut, qui in nomine tuo ſub clementiſſimi Regis GEORGII auſpiciis hìc ſumus congreſſi, gratiâ tuâ supernè adjuti, ea omnia inveſtigare, contemplari, tractare, & diſcernere valeamus, quæ honorem tuum & gloriam promoveant, & in eccleſiæ cedant utilitatem. Concede igitùr, ut Spiritus tuus, qui concilio olim Apoſtolico, huic noſtro etiàm nunc inſideat, præeátque nobis ad veritatem omnem quæ in religione ſita eſt: Ut qui, ad normam ſanctæ noſtræ reformationis, errores, corruptelas, & ſuperſtitiones olim hìc graſſantes, nempè tyrannidem papalem, juſtis de cauſis & feriò repudiavimus; fidem apoſtolicam, & verè catholicam firmitèr & conſtantèr teneamus omnes, & Te ritè puróque cultu intrepidè colamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum & Servatorem. *Amen.*

Superaddi poterunt quatuor Collectæ, vel aliquot earum, proùt viſum fuerit, pro univerſo Clero. Quæ autem illas ſequitur, quinta, quæ Divi Chryſoſtomi *dicitur, nunquàm omittatur.*

I. OMnipotens Deus, qui eccleſiam tuam ſuper Apoſtolorum, Vatúmque fundamentum extruxiſti, anguli capite ipſo Jeſu Chriſto; fac nos per eorum doctrinam in unitate Spiritûs ità compingi, ut in ſanctum templum Tibi acceptum creſcamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

II. Omnipotens & ſempiterne Deus, cujus Spiritu univerſum eccleſiæ corpus regitur, ſanctúmque efficitur, ſupplicationes & preces noſtras pro cujuſcunque ordinis hominibus, qui in tuam eccleſiam cooptantur, oblatas tibi admitte, ut quiſque, ſicut ſuæ convenit vocationi & miniſterio, Tibi ſincerè & piè ſerviat, per Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

III. Omnipotens Deus, qui, per Filium tuum Jeſum Chriſtum tot eximiis dotibus Apoſtolos tuos locupletâſti, &, ut oves tuas paſcerent, etiàm atque etiàm juſſiſti; fac, quæſumus, ut omnes Epiſcopi & Paſtores tuum Sermonem ſeduli eloquantur, & ei populus dicto ſit audiens, quo coronam æternæ gloriæ accipiant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

 IV. Da,

IV. Da, quæſumus, Domine, ſub tuo ductu rerum humanarum curſum tranquillè adeò dirigi, ut eccleſia tua Tibi cum lætitia & pia quiete ſerviat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

V. Omnipotens Deus, qui nobis gratiam impertitus es, per quam uno ore unóque animo publicas háſce ſupplicationes apud Te effundimus: Quíque polliceris, ubi ſunt duo tréſve tuo nomine congregati, Te eorum poſtulata exauditurum; tuos famulos, Domine, votorum & petitionum redde compotes, proùt Tibi maximè illis expedire videbitur, conceſsâ nobis in hoc ſeculo veritatis tuæ cognitione, & vitâ æternâ in futuro. *Amen.*

Domini noſtri Jeſu Chriſti gratia, & Dei amor, & Sancti Spiritûs communio nobis ſempèr adſit omnibus. *Amen.*

FOR-

FORMULA PRECUM,

CUM

GRATIARUM ACTIONE

Quotannis Uſurpanda

Quinto *NOVEMBRIS*,

OB

Felicitèr ereptos Regem JACOBUM I. & tres ordines Regni, maximè proditoriæ ac cruentæ cædi Nitrati Pulveris, quæ ipſis parabatur: Ob felicem quoquè adventum nuperi GULIELMI Regis iſto quaſi die, ad liberandum Eccleſiam noſtram, populúmque hujus Regni.

¶ *Idem erit officium in omnibus cum eo quod eſt in uſu feſtis diebus; niſi ubi alitèr cautum eſt in ſequentibus.*

¶ *Si dies iſte incidat in Dominicam, Collecta illius Dominicæ tantùm ſuo loco addetur huic officio.*

¶ *Preces Matutinæ incipient ab his ſententiis:*

MIſericors & exorabilis Dominus, irâ tardus, clementiâ multus. *Pſal.* ciii. 8.

Non perpetuò rixabitur, non ſempèr injuriæ memor. ℣. 9.

Non nos pro noſtris peccatis tractat; non nos, ut digna ſunt noſtra vitia, remuneratur. ℣. 10.

¶ *Pro Pſalmo* Adeſte, cantemus, *&c. ſequens Hymnus recitabitur aut cantabitur, Preſbytero præeunte, Clerico autem & plebe alternis reſpondentibus.*

CElebrate Dominum, qui bonus, qui æternâ eſt

clementiâ. *Pſal.* cvii. 1.

Prædicent illum Domini clientes; quos redemptos vindicavit è manu opprimentium. ℣. 2.

Sæpè oppugnatus ſum à pueritia, dicat Iſraëlita. *Pſ.* cxxix. 1.

Sæpè opugnatus ſum à pueritia, neque tamen expugnatus. ℣. 2.

Contra me ſine cauſa ſuum pernicioſum rete abdiderunt: Sine cauſa foveam in meum fecerunt periculum. *Pſal.* xxxv. 7.

Rete meis compoſuerunt greſſibus, ad meæ vitæ ruinam cavârunt ante me ſcrobem, in quam mediam ceciderunt ipſi. Pſal. lvii. 7.

Magnus eſt Dominus noſter, multarum virium, & immenſæ prudentiæ. *Pſal.* cxlvii. 5.

Sublevat humiles Dominus: Impios ſternit humi. ℣. 6.

Adſit tua manus hominibus dexteræ tuæ, hominúmque generi, quos tu tibi confirmâſti. *Pſ.* lxxx. ℣. 17.

Ità nos à Te non recedemus, ſed à Te conſervati nomen tuum invocabimus. ℣. 18.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicùt erat in principio, & nunc, & ſempèr, erit & in perpetua ſecula. Amen.

¶ *Pſalmi proprii,* lxiv. cxxiv. cxxv.

¶ *Lectiones Propriæ,* { *Prior,* 2 Sam. xxii. *Te Deum. Poſterior,* Act. xxiii. *Perſonate Dominum; &c.* Pſal. c. }

¶ *Suffragiis poſt Symbolum hæc inſerentur, ac dicentur pro Rege.*

PRESBYTER.

Defende regem, Domine.

POPULUS.

Qui ſuam collocat in Te fiduciam.

PRESBYTER.

Mitte ei auxilium ex ſano tuo;

POPULUS.

Et potens ei ſempèr opitulare.

PRESBYTER.

Ne eum inimici ejus opprimant:

POPULUS.

Nec ad eum infeſtandum accedant impii.

¶ *Loco primæ collectæ ad Matutinas, hæ duæ Collectæ dicentur.*

OMnipotens Deus, qui per omne ævum potentiam & clementiam tuam declarâſti, miris modis eccleſiam tuam clementèr ex periculis vindicando, juſtos

ſtos pióſque Reges & Reſpublicas, ſanctam & æternam tuam veritatem profitentes, protegendo, adversùs nefarias conjurationes, & infeſta hoſtium conſilia: Te laudibus, gratiarúmque actionibus ex animo celebramus, qui tuo numine, miríſque modis, JACOBUM primum, Regem noſtrum olim clementiſſimum, unà cum Regina, Principe, & Stripe Regia univerſa, ut & Nobilibus, Clero, & Plebe hujúſce Regni, tum comitia celebrantibus vindicâſti: Qui omnes, perquàm immani novóque modo, ac ſuprà quàm quod unquàm in retrò actis ætatibus auditum eſt, tanquàm oves ad cædem, Pontificiorum inſidiis, deſtinati erant. Ab hac immani conjuratione, non meritum noſtrum, ſed clementia tua, non noſtra, ſed tua ſolius providentia, nos aſſeruit. Atque adeò ne nobis, Domine, ne nobis, ſed tuo nomini tribuatur omnis honor & gloria, in omnibus eccleſiis ſanctorum, deincèps in perpetuum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

GRatas etiàm habe, clementiſſime Pater, quas Tibi ex animo gratias habemus, qui animos noſtros iterùm explevisti lætitiâ & gaudio, priùs tamen perturbatos, & ori noſtro carmen novum ſuppeditâſti, iſto quaſi die nuperum noſtrum Regem GULIELMUM adducendo, ad eccleſiam, populúmque hujus Regni ex Pontificio jugo & dominatione tyrannica vindicandum. Sapientiam & juſtitiam tuæ providentiæ celebramus, quæ nobis in ſummas anguſtias adductis commodè adeò auxilio fuit, & omnia conſilia noſtrorum hoſtium irrita reddidit. Da, quæſumus, nos gratâ adeò & perenni memoriâ ea proſequi, quæ tunc & exindè nobis præſtitiſti, ne de ſingulari tua bonitate æquè ac immerita arrogantèr adeò ſentiamus, ut, vanâ ſpe allecti, debitum Tibi cultum præſtare obliviſcamur; verùm ad pœnitentiam nos invitet, ut majori cum diligentia & ſtudio omnia religionis noſtræ officia, quam in mirum adeò modum vindicâſti, exequamur. Veritas & juſtitia, fraternus amor & charitas, devotio & pietas, concordia & unanimitas, cæteræque virtutes nos inter adeò vigeant, ut noſtri ævi ſint firmamentum, & eccleſiæ noſtræ laudi ducantur in terra. Quæ omnia ſupplici prece poſtulamus, propter beatum noſtrum

ſtrum Dominum, & Servatorem. *Amen.*

¶ *In fine Litaniæ (quæ ſempèr die iſto recitabitur) poſt Collectam* (Quæſumus, Pater, infirmitates, &c.) *dicetur hæc, quæ ſequitur.*

OMnipotens Deus & cœleſtis Pater, qui benignâ tuâ providentiâ, & ſummâ erga nos clementiâ, malevolentiam in nos inimicorum noſtrorum, & conſilia reddidiſti irrita, detecto & profligato horrendo & nefario eorum facinore, quod, hoc quaſi die, perpetrandum in Regem, totámque hanc Rempublicam machinati eſſent; hoc quidèm conſilio, ut res tum Politicas, tum Eccleſiaſticas, legibus apud nos confirmatas, everterent; & iſto itidèm die (quod eſt miraculi inſtar) ſervum tuum, nuperum Regem noſtrum GULIELMUM, tuo ductu in hoc Regnum incolumem adduxiſti, ut nos ex nuperis hoſtium noſtrorum inſidiis, quas ad religionem & leges noſtras evertendas ſtruebant, vindicaret: Summa cum animi demiſſione, ſummíſque laudibus tuum maximè glorioſum nomen illuſtramus, cujus immenſa erga nos clementia tum in hac conſervatione, tum in illa exhibetur. Tuæ ſolius miſericordiæ acceptum referimus, nos eſſe non omninò confectos: Quippè querelæ peccatorum noſtrorum ad cœlum uſquè contra nos perlatæ ſunt; & noſtra vitia Te ad ſupplicium ſumendum de nobis provocârunt: Sed Tu non nos pro noſtris peccatis tractâſti: non nos, ut digna ſunt noſtra vitia, remuneratus es; neque nos paſſus es, ut merita erant noſtra, in prædam cedere inimicis noſtris, ſed pro clementia tua, nos, ab eorum malitia liberatos, à morte & pernicie vindicâſti. Fac, Domine, ut hujus tui collati iterùm nobis beneficii meditatio nos verè mores corrigere præſtet, nè ſit nobis iniquitas in ruinam. Nobis etiam fidem vividam, & charitatem in omni ſancta obedientia fructus ferentem, magis magíſque adaugeto, ut nobis adhùc favere pergas, & nos, poſteróſque noſtros luce Evangelii illuſtrare, deincèps in perpetuum, ídque propter chariſſimum Filium tuum, unicum noſtrum Advocatum & Mediatorem. *Amen.*

¶ *Pro ſupplicatione* [Tempore belli ac tumultuum] *dicetur hæc, quæ ſequitur.*

DOmine, qui hoc quaſi die inſidias mortis nobis ſtructas detexiſti, &

nos

nos ab iis non ſine miraculo vindicâſti; perge porrò noſter potens vindex eſſe, noſtróſque hoſtes ſanguinarios diſſipa; infatua, & perime conſilia eorum, ſuperbiam cohibe, malevolos affectus compeſce, & machinas fruſtrare. GEORGII Regis noſtri clementis eorúmque omnium, qui ſub eo publico aliquo munere funguntur, manus confirma, ut judicium & juſtitiam exerceant, ad maleficos omnes excindendos, qui rebellioni obtendunt religionem & ſeditioni fidem; ut nunquàm expugnent nos, neque de tua eccleſia everſa triumphent; ſed noſter Princeps clementiſſimus & Regna illius in vera tua religione conſerventur, & pro ſingulari tua miſericordia in ea colenda protegantur, adeò ut nos omnes fidelem tuo cultui navemus operam, Téque in ſancta eccleſia tua gratiarum actionibus celebremus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *In officio ſacræ Communionis, pro Collecta diei, ſequens Collecta dicetur.*

ÆTerne Deus & potentiſſime noſter propugnator, nos indigni famuli tui aſtamus ſupplices coram tua majeſtate, agnoſcentes potentiam tuam, ſapientiam & bonitatem, quippè qui Regem, tréſque hujus regni Ordines, dum comitia celebrarent, ſervâſti, de quibus perdendis iſto die conjuratum eſt. Da, quæſumus, ut tum hoc, tum alia tua eximia beneficia, quæ nobis contuliſti, grato & ſincero animo proſequamur; præcipuè autem clementiam tuam ſingularem, per quam iterùm iſte dies quàm maximè nobilitatus eſt. Te collaudamus ob felicem Regis noſtri GULIELMI adventum; & quòd, proſtrato nefario adverſariorum molimine, in ſolio hujus Regni Regem & Gubernatorem collocâſti. Perge, quæſumus, ad protegendum & defendendum Regem noſtrum GEORGIUM, & univerſam Stirpem Regiam, ab omnibus proditionibus & conjurationibus. Cuſtodi eum in fide, metu, & amore tui: Illius regnum adeò proſpera, ut diu felicem ætatem producat hìc in terra; & illi poſthàc æternæ da coronam gloriæ, per Jeſum Chriſtum Servatorem, & unicum noſtrum Redemptorem. *Amen.*

Epiſtola Rom. xiii. 1.

OMnes mortales ſuperioribus poteſtatibus pareant.

reant. Nulla eſt enim poteſtas, niſi à Deo: Ac quæ ſunt proteſtates, eæ à Deo ſunt inſtitutæ. Itaque qui poteſtati repugnat, Dei inſtitutioni reſiſtit: Quíque reſtiterint, pœnas dabunt: Non enìm rectè factis metuendi ſunt magiſtratus, ſed pravè factis. Vis poteſtatem non timere? benefacito & ab ea laudem conſequêris. Nam Dei miniſter eſt, tibi quod ſit bono: Verùm ſi malè feceris, formida. Nec enìm ſine cauſa gladium geſtat: Quippè cùm ſit Dei miniſter, ad irrogandas pœnas iis, qui malè faciunt. Quapropter parere neceſſe eſt, non ſolum ſupplicii metu, ſed etiam quia officii eſt. Siquidèm hanc ob cauſam tributa penditis: Sunt enim publici Dei miniſtri, in hoc ipſo aſſidui. Quocircà ſolvite quod cuíque debetis: Cui tributum, tributum: Cui vectigal, vectigal: Cui metum, metum: Cui honorem, honorem.

Evangelium D. Luc. ix. 51.

CUM autem compleretur ejus aſſumptionis dies, ipſe ita compoſito vultu, ut Hieroſolymam ire videretur, præmiſit ante ſe nuncios, qui profecti intrârunt in Samaritanorum vicum, ut ei diverſorum pararent. Sed illi eum non admiſerunt, quoniàm ire ſe Hieroſolymam præ ſe ferebat. Quo viſo, ejus diſcipuli, Jacobus & Johannes, dixerunt, Domine, vis jubeamus ignem de cœlo deſcendere, qui eos conficiat, ut & fecit Elias? At Jeſus converſus eos objurgavit: Neſcitis, inquit, cujuſmodi ſpiritûs Filii ſitis vos. Nam Filius hominis hominum vitas non perditum venit, ſed ſervatum. Ita in alium vicum profecti ſunt.

¶ *Poſt Symbolum, ſi habeatur concio nulla, prælegetur una aliqua ſex homiliarum contra Rebellionem.*

Legenda eſt hæc ſententia ad Offertorium.

QUicquid igitùr vultis, ut vobis faciant alii, idem vos quoquè eis facite: Nam ea lex eſt atque Vates. D. *Matth.* vii. 12.

Poſt ſupplicationem pro Eccleſia Militante *dicetur hæc, quæ ſequitur.*

DEUS, cujus nomen eſt nobile in toto orbe terrarum, & majeſtas in cœlis, qui iſto quaſi die non ſine miraculo eccleſiam noſtram, ſtatúmque hujus regni, contra clandeſtina papiſticarum partium conſilia,

&

& infernalem prorsùs eorum malitiam, protexiſti, eodémque quaſi die inchoâſti inſignem nobis liberationem, à manifeſta tyrannide & injuriis eorundem crudelium inimicorum, qui ſanguinem ſitiunt: Glorioſam tuam majeſtatem collaudamus & veneramur, cùm ob iſtam, tum ob miram hanc clementiam tuam, quâ nupèr erga eccleſiam noſtram, & hoc regnum, in conſervandis aris focíſque noſtris, uſus es. Et à Te ſupplices poſtulamus, nos ita grato ſenſu iteratæ tuæ hujus clementiæ affici, ut renovetur & augeatur in nobis ſpiritus amoris & gratitudinis erga Te, (cui ſoli nos acceptum referimus,) ſpiritus, per quem placidè pareamus clementi noſtro Regi GEORGIO & obſequamur; ſpiritus, per quem ſummo ſtudio proſequamur ſanctam religionem noſtram, quam mirum adeò in modum nunc iterùm vindicâſti, & nobis poſteríſque noſtris in favorem ſtabilîſti. His annue propter Jeſum Chriſtum. *Amen.*

FOR-

Formula Precum Publicarum cum JEJUNIO Quotannis uſurpanda Trigeſimo *JANUARII*, QUI EST

Dies Martyrii Caroli beati Regis, ejus nominis primi, ad divinam miſericordiam implorandum, ut à nobis aut poſteris noſtris Deus non repetat pœnas ſacri & innocui illius ſanguinis, & aliorum criminum, quibus ipſe inſenſus nos & Regem noſtrum tradidit in manus crudelium & malè feriatorum hominum.

¶ *Si dies iſte inciderit in Dominicam aliquam, officium hoc, unà cum jejunio, ſequenti die, celebrabitur.*

¶ *Et Dominicâ proximâ ante præfatum diem inter Matutinas, immediatè poſt ſymbolum Nicænum, oportet monitionem dari, ut dies iſte præfatus cum debita obſervatione celebretur.*

¶ *Officium idem erit in omnibus cum officio pro diebus feſtis conſueto; niſi ubi poſteà alitèr præſcriptum fuerit.*

ORDO Precum Matutinarum.

¶ *Miniſter incipiet ab una aut pluribus harum ſententiarum.*

DOmini Dei noſtri eſt lenitas, & placabilitas in quem nos rebellavimus, neque Domini Dei noſtri voci auſcultavimus, ut ex ejus legibus viveremus, quas nobis propoſuerat. *Dan.* ix. 9, 10.

Caſtiga me, Domine, ſed ratione, non iratè, nè me diminuas. *Jer.* x. 24.

Ne

Nè in jus nobiſcum, qui tui ſumus, venito: nam coram Te nemo mortalium abſolvetur. *Pſal.* cxliii. 2.

¶ *Pro Pſalmo* [Adeſte, cantemus Dominum, *&c.*] *ſequens Pſalmus alternis recitabitur, aut cantabitur à Preſbytero, & à Clerico & Populo.*

JUſtus es, Domine, rectæque ſunt tuæ ſententiæ. *Pſal.* cxix. 137.

Tu quidèm in omnibus, quæ nobis evenêre, juſtus es, æquumque feciſti, & nos impiè egimus. Neh. ix. 33.

Verùm ego ferè pedibus deflexi, greſſu propemodùm labefactato. *Pſal.* lxxiii. 2.

Quòd indignarer in vecordes, res impiorum proſperas animadvertens. ℣. 3.

Conſpirabant orbis reges, coierunt optimates contra Dominum, atque ejus unctum. *Pſal.* ii. 2.

Conſpirabant uno animo, icto contra eum fœdere. Pſal. lxxxiii. 5.

Nam à multis audivit contumelias, terrore circumſeſſus conſpirantium contra eum, & illi animam eripere conantium. *Pſal.* xxxi. 15.

Impium perfidúmque os in eum apertum eſt: Adversùs eum locuta eſt lingua mendax: Verbis circumſeſſus inimicis oppugnabatur immeritò. Pſal. cix. 2.

Quinetiàm illius amici quibus fidebat; illius convictores calce eum petierunt. *Pſal.* xli. 9.

Illi malum pro bono reddebant, ut eum vitâ orbarent. Pſal. xxxv. 12.

Conſultabant in hunc modum; Deus eum deſeruit: Perſequendus eſt, & capiendus dum nullus defendit. *Pſal.* lxxi. 9.

Narium noſtrarum ſpiritus, Domini Unctus, captus eſt ab illis perniciofis, cujus nos in umbra fore ſperabamus, ut tutò vitam ageremus. Lam. iv. 20.

Ingreſſus eſt adverſarius & hoſtes per portas Hieroſolymæ dicentes, Quandò morietur, ejúſque nomen peribit? *Lam.* iv. 12. *Pſal.* xli. 5.

Malâ re urgeatur, neque jam, poſtquàm decubuit, ſurrecturus ſit. Pſal. xli. 8.

Surrexerunt item teſtes injurii; quæ ignorabat, eorum illum poſtulantes. *Pſal.* xxxv. 11.

Ob peccata populi, & ſacerdotum vitia, in Hieroſolymæ medio ſanguinem effudêre innocentem. Lam. iv. 13.

In arcanum eorum ne ingreditor, anima mea, in cœtum eorum ne adunator, gloria mea; qui pro ira ſua occi-

occiderunt virum. *Gen.* xlix. 6.

Hominem dexteræ tuæ, Filium hominis, quem Tu tibi confirmâſti. Pſal. lxxx. 17.

Viſus eſt quidèm inſipientium judicio mori, & putatus eſt malus illius exitus. *Sapient.* iii. 2.

Dementes illius vitam putaverunt inſaniam, & exitum inhoneſtum, ſed ſalvus eſt. Sapient. v. 4. iii. 3.

Nam in hominum conſpectu ſi cruciatus eſt, illius ſpes eſt immortalitatis plena. *Sapient.* iii. 4.

Ergo divis annumeratus ſanctorum conſors eſt! Sapient. v. 5.

Verùm, Deus ultor, Domine Deus ultor, benefac pro tuo favore Sioni. *Pſal.* xciv. 1. & li. 18.

Propitiare tuis, quos redemiſti, Domine: Noli injuſtam cædem in tuos vindicare. Deut. xxi. 8.

Noli noſtram animam ad improbos, vitam ad ſanguinarios aggregare. *Pſal.* xxvi. 9.

Vindica nos à ſanguine, Deus, Deus noſtræ ſalutis: Noſtra lingua tuam modulabitur juſtitiam. Pſal. li. 14.

Neque enim Tu Deus es, cui placeat improbitas, cui familiares ſunt mali. *Pſal.* v. 4.

Falſiloquos perdis: Abominaris ſanguinarios, & fraudulentos, Domine. ℣. 6.

Adeò, ut, quàm repentinâ deleti calamitate, horribili modo conficiantur! *Pſal.* lxxiii. 18.

Ut ſomnium evaneſcit expergefactis, ſic Tu eorum imaginem, Domine, in civitate abolebas. Pſal. lxxiii. 19.

Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens: Juſta veráque ſunt inſtituta tua, ſanctorum Rex. *Apoc.* xv. 3.

Juſtus es, Domine, rectæque ſunt ſententiæ tuæ. Pſal. cxix. 137.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicùt erat in principio, & nunc, & sempèr, & in perpetua ſecula. Amen.

¶ *Pſalmi proprii*, ix, x, xi.

¶ *Lectiones Propriæ*, { *Prior*, 2 Sam. i. *Poſter. D.* Mat. xxvii.

¶ *Pro prima Collecta ad Matutinas, hæ duæ proximè ſequentes recitabuntur,*

POtentiſſime Deus, in exemplis edendis terribilis, & erga genus humanum mirifice, qui incandeſcens permiſeris animam clementiſſimi Principis noſtri CAROLI Primi defuncti, die quaſi iſto per improborum manus & ſanguinariorum eripi;

eripi; nos creaturæ tuæ onuſtæ vitiis, coram Te congreſſæ, univerſi hujus gentis populi nomine confitemur ſupplices, eorum peccata fuiſſe cauſam, quare graviſſimum illud in nos ederetur judicium. At, Deus clementiſſime, quùm ſanguinis pœnam expetis, noli in nos effuſi illius ſanguinis innocentis peccatum (quod nihil niſi ſanguis Filii tui expiare valeat) noli in populum hujus Regni vindicare; nec ejus ſanguinem luamus nos, noſtríve nati. Propitiare, Domine, propitiare tuis, quos redemiſti, & nobis ſuccenſere noli in perpetuum, ſed pro clementia tua parce nobis, per merita Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

DOmine laudabilis, in cujus oculis tuorum mors piorum in pretio habetur, nomen tuum illuſtramus, qui principem noſtrum defunctum Martyrem tuum gratiâ largè perfudiſti, per quam acceperit vires ad veſtigia collaudandi Magiſtri & Servatoris ſui alacritèr adeò ſubſequendum, conſtantèr, mitique animo indigniſſimas omnes contumelias perpetiens, & tandem ad ſanguinem uſquè reſiſtens: & tum etiàm illius exemplo pro ſuis orans interfectoribus. Illius memoria apud nos, Domine, in perpetuum prorsùs collaudetur, ut de eo fortitudinis, conſtantiæ, manſuetudinis, patientiæ, ſummæque charitatis exemplum capiamus. Et concede, ut terra hæc noſtra non luat pœnas ſanguinis illius innocentis, & clementia tua, noſtrorum peccatorum remiſſione, gloriâ illuſtretur. His annue, propter Jeſum Chriſtum, unicum Advocatum noſtrum & Mediatorem. *Amen.*

¶ *In fine Litaniæ (quæ ſempèr die iſto recitabitur) poſt collectam* [Quæſumus, Pater, infirmitates noſtras, *&c.*] *dicendæ ſunt hæ tres Collectæ,*

PReces noſtras, quæſumus, Domine, pro tua clementia admitte, & ſingulis parce ſua peccata coram Te confitentibus, ut eorum delicta (quorum ſua ipſos accuſat conſcientia) pro miſericordia tua remittantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

DEUS, cui præſtantiſſimæ vires & clementia ſumma, qui omnium hominum miſereris, & nihil quod creâſti odio proſequeris, cui impium mori non placet,

ſed recedere eum à via ſua & vivere; pro miſericordia tua remitte nobis peccata noſtra; recipe nos, & conſolare, quibus dolet onere peccatorum laborantibus. Tuum eſt ſempèr miſereri, tuum unius eſt remittere peccata. Ignoſce nobis, Domine, ignoſce populo tuo, quem redemiſti. Nè venito in jus nobiſcum, qui tui ſumus, vilis terra, & peccatores miſeri; ſed tuam adversùm nos iram reprime, qui demiſſè vilitatem noſtram agnoſcimus, & ex animo deſciſcimus à peccatis; & ità nobis ſuppetias veni in hoc ævo, ut in futuro Tecum vivamus in perpetua ſecula, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

REvoca nos, ô bone Domine, & ſic redibimus: Adſis, Domine, adſis populo tuo, qui ad Te redit, cum ploratu, jejunio & ſupplicatione: Proptereà quod Tu es Deus miſericors, & exorabilis, longanimis, clementiáque magnus. Tu nobis ignoſcis ſupplicio dignis, & in ſævitia tua es manſuetudinis memor; parce populo tuo, miſericors Domine, parce, néve tuam hereditatem probro addixeris. Exaudi nos, Domine, pro tua clementia, & pro tua ſingulari miſericordia nos reſpice, propter merita & mediationem Filii tui benedicti Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

¶ *In officio ſacræ Communionis immediatè poſt precationem pro Rege* [Omnipotens Deus, cujus regnum eſt omnium ſeculorum, &c.] *pro Collecta Diei dicendæ ſunt hæ duæ,*

Potentiſſime Deus, &c. Domine laudabilis, in cujus, &c.	*Ut inter Matutinas.*

Epiſtola. 1. *D.* Pet. ii. 13.

OMnibus parete perſonis humanis propter Dominum: Et Regi, ut poteſtate pollenti; & prætoribus, ut ab eo tum ad maleficorum ultionem, tum ad beneficorum laudationem miſſis. Nam ea eſt Dei voluntas, ut, rectè facientes, amentium hominum ignorantiam compeſcatis; ut liberi, non ùt vitiorum prætextum habentes libertatem, ſed ùt Dei ſervi. Omnes honorate: Fraternitatem amate; veremini Deum, Regem honorate. Servi, parete cum omni metu heris, non ſolùm bonis & æquis,

quis, verùm etiàm iniquis. Hoc enìm gratiam emeretur, ſi quis, quoniàm ſibi ſit Dei conſcius, dolores fert, patiens injuſte. Nam quæ gloria eſt, ſi peccantes cædi vos ſuſtinetis? At ſi rectè facientes toleratis injuriam, hoc verò gratiam meretur apud Deum. Ad hoc enìm vocati eſtis, ſiquidèm Chriſtus quoquè pro nobis injuriam paſſus eſt, nobis exemplum relinquens, ut ejus veſtigia ſubſequamini; qui peccatum nullum commiſit, nec extitit in ejus ore dolus.

Evangelium D. Mat. xxi. 33.

FUIT quidam paterfamilias, qui vineam conſevit, & ſepto circumdedit, in eáque torcular defixit, & turrim extruxit, eámque agricolis elocavit, deindè peregrè profectus eſt. Poſtea, inſtante tempore fructuum, miſit ſervos ſuos ad agricolas, ad ejus fructus percipiendos. At agricolæ comprehenſos ejus ſervos partìm pulsârunt, partìm interfecerunt, partìm lapidaverunt. Ille rursùs alios plures prioribus miſit; ſed illi eis idem fecerunt. Poſtremò miſit ad eos Filium ſuum, ità cogitans; reverebuntur Filium meum. Agricolæ verò, viſo Filio, ſic inter ſeſe dicere: Hic eſt heres; agite, interficiamus eum, & ejus hereditatem occupemus. Itaque eum ceperunt, & ejectum extra vineam peremerunt. Cùm ergo venerit vineæ Dominus, quid faciet illis agricolis? Cui illi, Malos malè perdet, inquiunt, & vineam aliis elocabit agricolis, qui ei fructus pendent ſuis temporibus.

¶ *Poſt ſymbolum* Nicænum, *loco concionis prælegentur prima & ſecunda pars Homiliæ contra rebellionem & contumaciam, publicâ autoritate editæ; aut à miniſtro, qui ſacra peragit, quam ipſe ſuper idem argumentum compoſuerit, concio habebitur.*

¶ *Legenda eſt hæc ſententia ad offertorium,*

QUicquid vultis, ut vobis faciant alii, idem vos quoque eis facite: Nam ea lex eſt atque vates. D. *Matt.* vii. 12.

¶ *Poſt orationem* (Pro univerſo ſtatu Eccleſiæ Chriſti, *&c.*) *hæ duæ Collectæ ſequentes dicentur,*

DOmine, Pater noſter cœleſtis, qui nos non remuneratus es, quo digna ſunt noſtra vitia, ſed jam ſupplicium ſumpturus miſereri

 memi-

meminiſti,; favori tuo ſingulari acceptum ferimus, quod licèt, pro tot tantiſque peccatis, quibus Te irritavimus, permiſeris, ut unctus tuus Rex beatus CAROLUS Primus, iſto quaſi die, in manus incideret hominum effrænatorum, & ſanguinem ſitientium, & ab iis barbarâ morte plecteretur; non tamen nos in perpetuum dereliquiſti, tanquam paſtore carentes oves; ſed benigno tuo numine, coronæ illius heredem indubitatum, Regem CAROLUM II. Dominum noſtrum tunc temporis clementiſſimum, non ſine miraculo ab inimicis defendiſti ſanguinariis, abdens eum in alarum umbra tuarum, dum tranſierit inhumanitas; ipſúmque tuo tempore præſtituto reduxiſti, ut in ſolio patris ſui conſideret; & cum ſtirpe Regia jura, legéſque tum Eccleſiæ, tum Regni in integrum reſtituiſti. Pro his tantis ineffabilibúſque tuis beneficiis, Te ex imo corde gratiarum actionibus humillimis celebramus, ſupplicantes, ut benignam tuam tutelam univerſæ Stirpi Regiæ perpetuam eſſe velis, clementiſſimumque noſtrum Dominum GEORGIUM diù felicitérque in nos regnare concedas. Sic nos populus tuus Te in omnem ſeculorum perpetuitatem, tuas enarrando laudes, concelebrabimus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum & Servatorem. *Amen.*

DA, quæſumus, Domine, ſub tuo ductu rerum humanarum curſum tranquillè adeò dirigi, ut Eccleſia tua Tibi cum lætitia & pia quiete ſerviat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

O R D O

P R O

VESPERTINIS PRECIBUS.

¶ *Hymnus, qui pro Pſalmo* [Adeſte, cantemus Dominum, *&c.*] *ſubſtitutus eſt, hìc etiam uſurpabitur ante proprios Pſalmos.*

Juſtus es, Domine, *&c.*

¶ *Pſalmi proprii,* lxxix. xciv. lxxxv.

¶ *Lectiones propriæ,* *Prior,* Jer. xii. *aut* Dan. ix. *uſque ad* ℣. 22. *Poſterior,* Heb. xi. ℣. 32. *&* xii. *ad* ℣. 7.

¶ *Loco primæ Collectæ in precibus Veſpertinis adhibeantur duæ iſtæ quæ ſequuntur,*

DOmine Deus collaudande, qui ſapientiâ tuâ non tantùm moderaris omnia, dirigíſque ùt juſtitiæ tuæ maximè reſpondet, ſed ita tuo arbitratu agis, ut non poſſimus non agnoſcere, Te juſtum eſſe in omnibus tuis inſtitutis, & benignum in tuis omnibus actis: Nos populus tuus, qui tot de peccatis tenemur, coram Te procidimus, confitentes juſta eſſe judicia tua, qui permiſeris, ut, iſto quaſi die, homines nefarii & perditi manus ſuas cruentarent ſanguine uncti tui; merito nempe noſtro accidit hæc nobis judicia immitti, propter tot flagitia, quibus tamdiù à nobis efferatus es. Propterea igitùr nos ipſos Tibi ſummittimus, ſupplicantes ut eorum ampliùs reminiſci nolis, útque hanc gentem à ſanguine vindicares, (ab eo maximè, qui iſto quaſi die effuſus eſt) eáque omnia à nobis, natíſque noſtris judicia averteres, quibus digna ſunt noſtra vitia: His annue propter ſuperabundantia merita Filii tui Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

COllaudande Deus, juſte ac potens, qui permiſiſti chariſſimum famulum tuum Carolum Primum,

 vene-

venerandum Principem noſtrum defunctum, die quaſi iſto, atrocibus improborum injuriis affici, indignis modis accipi, tandémque ab iis interfici: Quanquàm autem tam horrendum ſcelus non niſi cum horrore atque attoniti nobiſcum in animo verſare valeamus, animis tamèn quam gratiſſimis ſplendores tuæ gratiæ proſequimur, qui tunc in uncto tuo effulſerunt; cui etiàm in articulo mortis memorabilem exemplaris patientiæ, manſuetudinis, & charitatis modum impertire dignatus es, in conſpectu crudelium ſuorum inimicorum. Quamvìs autèm tuo permiſſu eò uſquè ſceleris progreſſi ſint, ut eum ſupplicio afficerent capitali, ſoliúmque ipſius occuparent; Filium tamèn ejus, ad quem jure hereditario pertinebat, pro ſingulari tua clementia, ſervâſti incolumem, tandémque mirabili providentiâ reducem in eo collocâſti, ut veram tuam religionem in integrum reſtitueret, pacémque confirmaret. Quibus de cauſis nomen tuum gloriâ illuſtramus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum collaudandum. *Amen.*

¶ *Immediatè poſt Collectam* [Quæſumus, Domine, diſcutias lumine tenebras, *&c.*] *hæ tres proximè ſequentes adhibeantur,*

Preces noſtras, quæſumus, Domine, *&c.*	*Proùt in Matutinis.*
Deus, cui præſtantiſſimæ vires, *&c.*	
Revoca nos, ô bone Domine, *&c.*	

¶ *Immediatè ante Supplicationem D.* Chryſoſtomi, *hæc Collecta dicetur,*

OMnipotens & ſempiterne Deus, cujus juſtitia proceris montibus altior, & judicia oceano profundiora, qui barbarâ illâ cæde, in perſonam ſacram uncti tui, die quaſi iſto, perpetratâ, docuiſti nos, vel Regum maximos, vel optimos hominum, violentæ morti æquè ac naturæ concedere: Hinc etiàm ætatem metiri noſtram ſic oſtende, ut mentem acquiramus ſapientem. Da etiam, ut neque ſplendor ullius rei magnæ, neque bona de nobiſmet opinio, avertat oculos noſtros, quo minùs eos conjiciamus in nos ipſos tanquàm in pulverem & cinerem peccato inquinatum; ſed,

ſed, de beato hoc tuo martyre exemplum capientes, ad ſcopum contendamus, ad palmam, ad quam ſupernè vocati ſumus, in fide & patientia, in modeſtia & manſuetudine; item perimendo & abnegando nos ipſos, exercendo charitatem, & ad extremum uſquè conſtantèr perferendo; his omnibus annue propter Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui Tecum & cum Spiritu Sancto ſit omnis honor & gloria in diem ſempiternum. *Amen.*

FORMA PRECUM
CUM
GRATIARUM ACTIONE
AD

Deum Omnipotentem, pro eo quòd finem impoſuerit vegrandi Rebellioni, reſtituto Rege Regiáque Familiâ, & Reſtaurato Gubernio ſive Regimine, quod per multos annos interciſum fuerat. Quæ inenarrabilia beneficia miraculosè abſoluta & completa erant Vigeſimo nono die Maii, Anno Dom. 1660.

In cujus rei memoriam ſtatutum eſt auctoritate Parlamenti, ut dies iſte quotannis in perpetuum ſanctus obſervetur.

¶ *Statutum Parlamentarium factum* 12 *& confirmatum* 13 *Regis* CAROLI *Secundi, pro obſervando* 29 *die* Maii *quotannis, utpotè die publico Gratiarum Actioni præſtituto, oportet legi publicitus in omnibus Eccleſiis inter Matutinas preces immediatè poſt ſymbolum* Nicænum, *die Dominico proximo ante præfatum quemlibet* 29 *diem* Maii, *unà cum monitione, ut dies iſte præfatus cum debita obſervatione celebretur.*

¶ *Officium*

¶ *Officium idem erit in omnibus cum officio pro diebus feſtis, niſi ubi in hoc officio aliter præſcriptum eſt.*

¶ *Si dies iſte inciderit in diem Aſcenſionis aut Pentecoſtes, addendæ erunt propriis locis Collectæ hujus officii feſtorum iſtorum officiis. Si verò in feriam ſecundam aut tertiam Pentecoſtes, aut in Dominicam Trinitatis, Pſalmi proprii proùt hìc aſſignantur in hunc diem, pro Pſalmis juxta conſuetum ordinem uſitatis, erunt inſupèr uſurpandi, & Collectæ addendæ ùt priùs. Et in omnibus hiſce caſibus cætera officii omittenda ſunt. Quòd ſi inciderit in alium quemvis Dominicum, hoc totum officium uſurpandum erit, proùt ſequitur, ex integro. Et quodcunque feſtum inciderit in hunc ſolemnem diem Gratiarum Actionis, ſequens Hymnus, qui pro Pſalmo* [Adeſte, cantemus Dominum, *&c.*] *ſubſtitutus eſt, conſtantèr uſurpabitur.*

¶ *Preces Matutinæ ab hiſce Sententiis incipient,*

DOmini Dei noſtri eſt lenitas & placabilitas, in quem nos rebellavimus, neque Domini Dei noſtri auſcultavimus voci, ut ex ejus legibus viveremus, quas nobis propoſuerat. *Dan.* ix. 9, 10.

Summæ benignitatis eſt Jehovæ, quod non ſumus abſumpti: Non defecit miſericordia. *Lamen.* iii. 22.

¶ *Pro Pſalmo* [Adeſte, cantemus Dominum, *&c.*] *recitabitur aut cantabitur Hymnus ſequens, alternis à Preſbytero, atque à Clerico & Populo.*

TUAM, Domine, clementiam perpetuò canam; tuam fidem in alia atque alia ſæcula hoc ore demonſtrans. *Pſal.* lxxxix. 1.

Famam ſibi ſuis comparavit miraculis exorabilis & miſericors Dominus. Pſal. cxi. 4.

Quis Domini virtutes, quis omnes fando virtutes exprimat? *Pſal.* cvi. 2.

Magna ſunt Domini facta ſtupenda quibuſcunque placent. Pſal. cxi. 2.

Sublevat humiles Dominus: Impios ſternit humi. *Pſal.* cxlvii. 6.

Dominus æquum júſque facit omnibus oppreſſis. Pſal. ciii. 6.

Non perpetuò rixabitur, non ſempèr injuriæ memor erit. ℣. 9.

Non nos pro noſtris peccatis tractavit, non nos, ùt digna ſunt noſtra vitia, remuneratus eſt. ℣. 10.

Quin

Quin quantùm terras ſuperéminent cœli, tantùm excellit ejus erga ipſius reverentes clementia. ℣. 11.

Ut miſeretur filiorum pater, ſic Dominus ſui reverentium. ℣. 13.

Expertus es Tu quidèm nos Deus; exploràſti, ſicùt exploratur argentum. *Pſal.* lxvi. 9.

Homines impoſuiſti capitibus noſtris, venimus per ignes & aquas: Et idem nos in ubertatem duxiſti. ℣. 11.

Quanta nobis exhibuiſti adverſa atque triſtia, qui nobis vitam reconciliatus defenderis; qui nos ex ima tellure reconciliatus extraxeris. *Pſal.* lxxi. 18.

Qui in humilitate noſtrâ memor fuiſti noſtrî, nóſque noſtris eripuiſti adverſariis quia æternâ benignitate es. Pſal. cxxxvi. 23, 24.

Faviſti, Domine, terræ, tuæ, revocatis ex captivitate Jacobæis. *Pſal.* lxxxv. 1.

Deus erga nos ſuâ clementiâ uſus eſt: Deus nobis in adverſarios noſtros exemplum edidit. Pſal. lix. 10.

Illi ſubacti ceciderunt, at nos erecti conſiſtimus. *Pſal.* xx. 8.

Eò delapſi ſunt malefici, ſic agitati, ut ſurgere non poſſint. Pſal. xxxvi. 12.

Dominus noſtrî memor fortunabit; fortunabit Iſraëlis domum, fortunabit Aaronis domum. *Pſal.* cxv. 12.

Fortunabit Domini reverentes, parvos juxta atque magnos. ℣. 13.

Celebrent illi Domini clementiam, & miracula apud hominum genus. *Pſal.* cvii. 21.

Faciántque grati animi ſacrificia, ejus opera cum cantu narrantes. ℣. 22.

Neque celent eorum prognatos; enarrandis poſterorum generi Domini laudibus, potentiâ & editis miraculis. *Pſal.* lxxviii. 4.

Qum ſciat poſteritas, quíque procreandi ſuccedent, ſuis porrò natis enarrent; nè ſint quales eorum majores, natio degener atque contumax. ℣. 6, 9.

Collaudate Deum Dominum gregatìm, vos ex fonte Iſraëlis. *Pſal.* lxviii. 26.

Laudetur Dominus in dies in nos munificus, noſtræ Deus ſalutis. ℣. 19.

Coërcitâ impiorum perverſitate, juſtos confirma. *Pſal.* vii. 9.

Exultent & lætentur in Te omnes Tui ſtudioſi, jugitérque Dominum extollendum eſſe dictitent amatores tuæ tutelæ. Pſal. xl. 19.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicùt erat in principio, &

nunc, & ſempèr erit, & in perpetua ſecula. Amen.

¶ *Pſalmi Proprii,* cxxiv. cxxvi. cxxix. cxviii.

¶ *Lectiones Propriæ,* *Prior,* 2 Sam. xix. 9. *vel* Numb. xvi. Te Deum. *Poſterior, Epiſtola,* D. Judæ, Perſonate Dominum, &c.

¶ *Suffragia proximè à Symbolo Apoſtolico hæc ſunto,*

PRESBYTER.

Exhibe nobis tuam, Domine, clementiam.

RESPONSIO.

Tuámque nobis defenſionem præſta.

PRESBYTER.

Salvum fac Regem, Domine.

RESPONSIO.

Qui ſuam in Te fiduciam collocat.

PRESBYTER.

Mitte ei auxilium ex fano tuo.

RESPONSIO.

Et in æternum potens ei opitulare.

PRESBYTER.

Nè eum inimici ejus opprimant.

RESPONSIO.

Nec ad eum infeſtandum accedant impii.

PRESBYTER.

Tui ſacerdotes juſtitiâ veſtiantur.

RESPONSIO.

Tuíque pii ovent.

PRESBYTER.

Pacem præbe nobis noſtro ævo, Domine.

RESPONSIO.

Quia Tu ſolus, Deus, pro nobis pugnas, & prætereà nullus.

PRESBYTER.

Eſto nobis, Domine, turris valida.

RESPONSIO.

A facie inimicorum.

PRESBYTER.

Nos, Domine, invocantes exaudi;

RESPONSIO.

Et ad Te perlata ſit querela noſtra.

¶ *Pro prima Collecta ad Matutinas hæ duæ ſequentes dicentur,*

OMnipotens Deus, qui famulis tuis es turris valida & propugnaculum adversùs ipſorum hoſtes: Te laudibus, gratiarúmque actionibus celebramus, qui mirum adeò in modum hæc tria Regna à vegrandi illa rebellione, quæque indè calamitates, oppreſſionéſque ortæ ſunt (quibus tamdiù graviter adeò afflicta fuerant) vindicâſti. Benignitati tuæ acceptum ferimus, quod

quòd ipſis in prædam non ceſſimus; obſecrantes, ut favores illos tuos perpetuos nobis eſſe velis, omnibúſque perſpicuum ſit, Te Servatorem noſtrum & potentem vindicem eſſe, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

O Domine Deus ſalutis noſtræ, qui regionem hanc tanto tuo favore proſequutus es, & nos à calamitatibus, quibus omnia permiſcebantur, non ſine miraculo providentiâ tuâ vindicâſti; reddito nobis, legitimíſque & indubitatis juribus ipſius, clementiſſimo noſtro tunc temporis Principe ac Domino Rege CAROLO Secundo, famulo tuo (omni potentiâ, omnique malitiâ inimicorum ſuorum nequicquàm obſtantibus) & in ſolio hujus Regni collocato; undè publica liberáque veræ tuæ religionis, veríque tui cultûs profeſſio, unà cum antiqua pace, florentibúſque rebus noſtris, nobis inſimùl reſtituta eſt; quæ ſummo ſolatio, ſummóque gaudio animos noſtros perfuderunt. Hìc coram Te congreſſi ſumus, ut, cum omni debita gratitudine, ineffabilem illam benignitatem tuam, die quaſi iſto exhibitam nobis, agnoſcamus, gratíque animi faciamus ſacrificia, magnum & glorioſum nomen tuum ea propter illuſtrantes; demiſsè rogantes, ut hanc ſinceram noſtrî ipſorum libationem, indignam licet, gratam habeas, qui omnimodam ſanctam obedientiam cognitione, verbis, & facto divinæ tuæ majeſtati vovemus, pollicentes itèm in Te & propter Te omnem veram & debitam fidem uncto tuo, in nos regnare conſtituto, & poſtmodùm heredibus ejus: Quem ut gratiâ, honore, & felicitate in hoc mundo abundè cumules, & in futuro immortalitate & gloriâ corones, quæſumus, propter Jeſum Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum. *Amen.*

¶ *Recitatâ Litaniâ (quæ ſempèr die iſto recitabitur) poſt Collectam,* [Quæſumus, Pater, infirmitates noſtras, &c.] *dicetur hæc, quæ jam ſequitur:*

O Mnipotens Deus, qui ab ævo condito oſtendiſti potentiam tuam & miſericordiam; quippè qui, miraculo & clementiâ uſus, eccleſiam tuam vindicâſti; & Reges, réſque publicas, juſtos & religioſos, qui veritatem tuam ſacroſanctam æternámque profitentur,

 pr[illegible]texiſti

protexiſti contra malignas conjurationes nefariáſque omnium inimicorum ſuorum machinationes; nos Te ab imis pectoribus, tum debitis gratiarum actionibus, tum laudibus celebramus, qui tot támque manifeſta nobis contuliſti beneficia; præcipuè autem ob inſignem adeò & miraculoſam liberationem, hoc quaſi die, per ſapientem tuam & inſignem providentiam clementiſſimo noſtro tum temporis Domino ac Regi CAROLO Secundo, & univerſæ Stirpi Regiæ, & per illos, & unà cum illis omni huic eccleſiæ noſtræ reíque publicæ, & omnibus cujuſcunque ſtatûs atque ordinis tam in hac quàm in illa hominibus, plenè confectam, & benignè præſtitam, ab effera rebellione, uſurpatione, & tyrannide improborum & crudelium hominum, & horrenda illa ruina, per quam omnia adeò permiſcebantur. Ab his omnibus, clemens & miſericors Domine Deus, non meritum noſtrum, ſed tua clementia; non prudentia noſtra, ſed tua providentia; non noſtrî ipſorum lacerti, ſed tua dextera, tuum brachium, tui vultûs lumen eripuit nos & vindicavit, quòd nobis favebas. Quare nè nobis, Domine, nè nobis, ſed tuo Nomini tribuatur omnis honor, gloria, & laus, ùt & humillimæ & devotiſſimæ gratiarum actiones in omnibus ſanctorum concionibus: Ità laudetur & ejusglorioſum Nomen in æternum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum & Servatorem. *Amen.*

¶ *In Officio Communionis immediatè ante lectionem Epiſtolæ hæ duæ Collectæ recitabuntur, loco Collectæ pro Rege & Collectæ diei.*

Omnipotens Deus qui famulis, *&c.*	*ùt inter preces matutinas.*
O Domine Deus ſalutis noſtræ, *&c.*	

¶ *Epiſtola,* 1 D. Pet. ii. 11—17.

CHariſſimi (cohortor ut inquilinos ac peregrinos) abſtinete vos à corporeis cupiditatibus, quæ contra animum militant, honeſtè vos gerentes apud exteros, ut, pro eo quod vobis, tanquàm maleficis, detrahunt, rectè facta conſiderantes, honorent Deum in die curationis. Itaque omnibus parete perſonis humanis propter Dominum; & Regi, ut poteſtate pollenti; & prætoribus, ut ab

eo tum ad maleficorum ultionem, tum ad beneficorum laudationem miſſis. Nam ea eſt Dei voluntas; ut, rectè facientes, amentium hominum ignorantiam compeſcatis; ut liberi, non ut vitiorum prætextum habentes libertatem, ſed ut Dei ſervi omnes honorate; Fraternitatem amate, veremini Deum; Regem honorate.

¶ *Evang.* D. Matth. xxii. 16 —— 22.

EIque Diſcipulos ſuos cum Herodianis miſerunt, qui dicerent: Magiſter, ſcimus Te veracem eſſe; divinámque vitæ viam docere, neque quenquam curare, quippè qui non ſpectes hominum perſonam. Dic ergò nobis quid cenſeas; liceátne pendere tributum Cæſari? At Jeſus, cognitâ eorum malitiâ, dixit: quid me tentatis? ſimulatores: oſtendite mihi nummum tributarium. Illi ei denarium attulerunt. Et ille, Cujus eſt imago hæc, inquit eis, & inſcriptio? Cui illi, Cæſaris, inquiunt. Tunc ille, Solvite igitùr, inquit eis, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo. Hoc audito, admirati illi, eo relicto, diſceſſerunt.

¶ *In offertorio hæc ſententia legetur.*

NON quiſquis mihi dicet, Domine, Domine, intrabit in cœleſte regnum: Sed qui fecerit quod vult Pater meus, qui eſt in cœlis. *D. Matth.* vii. 21.

¶ *Poſt ſupplicationem* [Pro univerſo ſtatu eccleſiæ Chriſti,] *hæc ſequens Collecta uſurpanda eſt.*

OMnipotens Deus, & Pater cœleſtis, qui, pro infinita & ineffabili tua erga nos clementia, novo miróque modo nefaria ſeditioſorum, effrænatorum, & inflatorum conſilia reddidiſti irrita & peremiſti, qui ſub pietatis & ſanctiſſimi tui nominis prætextu conſilium inierant funditùs evertendi eccleſiam hanc, & regnum, & tantùm non effectum dederant: Sicùt nos hodiè ſumma cum animi devotione glorioſum nomen tuum veneramur & celebramus, pro tanta hac infinita clementia tua, quâ jampridèm erga nos uſus es, ità humillimè Te obteſtamur, ut nos porrò gratiâ tuâ & favore impertire velis, abdendo & protegendo nos in alarum tuarum umbra, ut nequa iſtiuſmodi unquàm horrenda calamitas nobis iterùm

terùm inferatur. Hac de cauſa mitte lucem, veritatémque tuam, quæ has Satanæ calliditates, hoc ſceleris myſterium detegant. Dementa & perime clandeſtina omnia improborum conſilia: Superbiam eorum cohibe; malevolos affectus compeſce; & quæ machinantur permiſce. GEORGII Regis noſtri clementis, eorúmque omnium, qui ſub eo publico aliquo funguntur munere, manus confirma, ut judicium & juſtitiam exerceant, ad maleficos omnes excindendos, qui rebellioni obtendunt religionem, & ſeditioni fidem, ut neque iterùm nos expugnent, neque de monarchia, aut eccleſia tua quæ eſt apud nos, everſa triumphent. Protege & defende clementiſſimum Regem noſtrum & univerſam Stirpem Regiam ab omnibus proditionibus & conjurationibus. Eſto illi ſalutis galea, propugnaculum, validáque turris adversùs hoſtes ſuos omnes. Implacabiles pudore & turpitudine circumfundantur, ipſe autem, poſteríque ipſius diadema floridum in perpetuum geſtent. Quare nos populus tuus, & oves tui paſcui, Te in omnem ſeculorum perpetuitatem, tuas enarrando laudes, concelebrabimus, per Jeſum Chriſtum unicum noſtrum Servatorem & Vindicem: Cui Tecum, ô Pater, & cum Spiritu Sancto, ſit gloria in eccleſia, in omnem omnium ſeculorum perpetuitatem. *Amen.*

FORMULA PRECUM

Secundo Die *SEPTEMBRIS*,

Propter

Diram LONDINI Conflagrationem,

Quotannis uſurpanda.

¶ *Idem erit Officium ac quod uſurpatur diebus feſtis, in omnibus, niſi ubì deincèps alitèr prſcriptum fuerit.*

ORDO in Matutinis Precibus obſervandus.

¶ *Qui Officio fungitur has ſententias ex S. literis depromptas altâ voce recitet.*

DOmini Dei noſtri eſt lenitas, & placabilitas, in quem nos rebellavimus: Neque Domini Dei noſtri voci auſcultavimus, ut ex ejus legibus viveremus, quas nobis propoſuerat. *Dan.* ix. 9. 10.

Caſtiga nos, Domine, ſed ratione, non iratè, nè nos diminuas. *Jer.* x. 24.

¶ *Pro* Adeſte, cantemus Dominum, *&c. ſequens hymnus uſurpabitur: Preſbytero, Clerico & Populo alternatìm reſpondentibus.*

JUſtus es, Domine, rectæque ſunt tuæ ſententiæ. *Pſal.* cxix. 137.

Peccavimus cum majoribus noſtris; vitioſè & impiè egeramus. Pſal. cvi. 6.

Nos igitur, dum iraſcebaris, quaſi in ardentem redegiſti fornacem: Irâ tuâ nos confecit Dominus, atque

igne conſumpſit. *Pſal.* xxi. 9.

Fuimus inimicis noſtris probro; qui nos ſpectantes motu capitis deridebant. Pſal. cix. 24.

Tu verò tandèm reconciliabare: Et tuis placatus fuiſti. *Pſal.* xc. 13.

Non perpetuò rixabitur Dominus: Non ſempèr injuriæ memor eſt. Pſal. ciii. 9.

En quantum terras ſupereminent cœli: tantum etiam excellit ejus erga ipſius reverentes clementia. ℣. 11.

Idem cruciat & medicatur: Idem ſuis manibus vulnerat, iiſdémque ſanat. Job v. 18.

In nos conjecit ſuos oculos boni causâ: Nóſque, ut olìm, ædificavit. *Jer.* xxiv. 6. xxxiii. 7.

Celebrent igitùr homines Domini clementiam: ipſiúſque miracula apud hominum genus. Pſal. cvii. 31.

Eum in hominum cœtu extollant: Et in ſenum conſeſſu collaudent. ℣. 32.

Qui ſapit, obſervabit hæc: Et Domini beneficia intelliget. ℣. 43.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper erit; & in perpetua ſecula. Amen.

¶ *Pſalmi proprii,* xi. xxv. lxxxvi.

¶ *Lectiones Propriæ*
- *Prior,* Neh. ii. *vel* Iſaiæ i.
- Deinde, *Te Deum:*
- *Poſter.* D. Lucæ xxi.
- Deinde, *Grates Domino Iſraëlitarum Deo,* &c.

¶ *Pro Collecta prima in matutinis precibus uſurpabitur Collecta diei cinerum.*

¶ *Finitâ Litaniâ (hoc die ſemper uſurpandâ) Preſbyter & Clericus, vel qui Miniſtri officio fungitur, flexis etiamnùm genibus eò loci, quò pro more cantatur aut recitatur Litania, Pſalmum quinquageſimum primum recitabit. Deindè, ſuffragia & preces proximè Comminationem ſequentes (ultimâ omiſſâ) uſurpabuntur.*

RESpice, Domine, pro tua erga nos tanta miſericordia, dolores & calamitates ſervorum tuorum; qui judiciorum tuorum ſtupendorum, & tot tantorum noſtrorum flagitiorum ſenſu perculſi, coram Te proſtrati, pulveréque conſperſi advolvimur.

Tibi, ſancte Deus & verax, convenit lenitas & placabilitas;

cabilitas, tuo autèm populo frontis pudor, quo nunc perſundimur: Tuis enim judiciis reſtitimus, tuíſque miſerationibus ſumus abuſi; caſtigationes tuas habuimus contemptui, tuam gratiam in laſciviam convertentes.

Quid ergò dicemus Tibi, ô hominum Salvator? Tu noſtra crimina deprehendebas: & vindictâ, qualem flagitia gravia adeò & pœnas exigentia meruerunt, affeciſti. Superbia, violentia, & victûs ſaturitas in cauſa fuerunt, ut civitati huic idem ac olim Sodomæ & Gomorrhæ accideret.

Tuam agnoſcimus, Domine, juſtitiam, quibuſcunque modis ſe exerit, noſtróſque mores vitioſos: En tamen nos tui ſumus, Domine, ingrati licèt huc uſquè & immorigeri: Liceat igitùr nobis clementiam tuam & tantam miſericordiam implorare, & tui nominis, lenitatis tuæ & Jeſu Chriſti gratiâ, facilem nobis aurem præbeas & nos conſerves.

Quod maximè petimus, ne in noſtras ipſorum manus nos dedas; ſed quocunque pacto nos in vitam reducere Tibi viſum fuerit, quamvìs huic tetro furoris tui poculo pleniorem adhùc miſcueris calamitatum hauſtum; ullo tamen, acerbiſſimo licèt, modo nos Tibi ipſi ſubjicito; & fac ea videamus, quæ nobis ſaluti ſunt, priuſquàm oculos noſtros latent; ut, tuæ potenti dexteræ nos ritè ſummittendo, digni ſimus quibus Tu ità ſuccurras, ut tuo tempore exaltemur per Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *In Officio Communionis, loco Collectæ diei, adhibebitur Collecta diei cinerum propria.*

Epiſtola, 1 Cor. x. *à* ℣ *primo ad decimum quartum.*

NOLO autem vos ignorare, fratres, majores noſtros omnes ſub nube fuiſſe, & omnes mare trajeciſſe, & omnes nomine Moſis nube maríque baptizatos, & omnes eodem ſpirituali cibo uſos fuiſſe, & omnes eandem potionem ſpiritualem bibiſſe: Bibebant enim ex ſpirituali ſequente petra, quæ petra Chriſtus erat. Et tamèn eorum plerique Deo accepti non fuerunt: ſunt enim in ſolitudine proſtrati. Hæc autem nobis exempla præbent, ne ſimus malorum cupidi, ut illi concupiverunt. Nevè Deaſtrorum cultores ſitis, ut illorum nonnulli, ſicutì ſcriptum eſt: Sedit populus ad capiendum cibum

ac potionem, deindè ſurrexerunt ad ludendum. Nevè ſcortemur, quemadmodùm eorum nonnulli ſcortati ſunt, ideóque ceciderunt uno die viginti tria millia. Nevè Chriſtum tentemus, quemadmodùm eorum nonnulli tentârunt; itaquè à ſerpentibus perierunt. Nevè murmurate, quemadmodùm eorum nonnulli murmurârunt, itaquè ab exterminatore perierunt. Hæc autem omnia illis ut exempla contigerunt, ſcriptáque ſunt noſtrî, qui in extrema ſeculorum incidimus, admonendi gratiâ. Proindè qui ſibi ſtare videtur, videat ne cadat. Nulla vos, niſi humana, invaſit tentatio. Sed ita fidelis Deus eſt, ut vos non ſit permiſſurus tentari ſuprà quàm poſſitis; ſed cum tentatione ejuſmodi eventum facturus, ut ferendo vincere poſſitis.

Evangelium, D. Lucæ xiii. *ad* ℣. 10.

ADfuerunt autem quidam eodem tempore, qui ei de Galilæis nunciârunt, quorum ſanguinem Pilatus cum eorum ſacrificiis miſcuerat. Quibus Jeſus in hæc verba reſpondit: An putatis Galilæos illos omnium fuiſſe Galilæorum improbiſſimos, quòd talia paſſi ſint? Nequaquàm, inquam vobis; ſed vos, niſi ad frugem redieritis, omnes ſimilitèr peribitis. Itèm illos duodeviginti, quos delapſa turris in Siloa interfecit, an fuiſſe putatis omnium Hieroſolymitanorum nocentiſſimos? Nequaquàm, inquam vobis; ſed vos, niſi ad frugem redieritis, omnes ſimilitèr peribitis. Dixit itèm hoc exemplum: Ficum habebat quidam in vinea ſua ſatam, ex qua ficu fructum petitum venit, nec invenit. Itaquè dixit vinitori; Ego jam per tres annos fructum ex hac ficu petitum venio, nec tamèn invenio: Abſcinde eam, quorsùm terram inutilitèr occupat? Cui ille, Domine, inquit reſpondens, ſine eam etiam hunc annum, dum eam ego ablaqueem atque ſtercorem, ſi fortè fructum edat: Sin minùs, Tu eam poſtea abſcinde.

Aut D. Lucæ xvii. *à* ℣. 26. *ad finem.*

QUemadmodùm Noæ temporibus accidit, ſic accidet temporibus Filii hominis. Comedebant, bibebant, ducebant uxores, nubebant, uſquè ad eum diem quo, ingreſſo arcam Noâ, venit diluvium, quod omnes perdidit. Similitèr ut & Loti temporibus accidit: Comedebant, bibebant, emebant, vendebant,

vendebant, plantabant, ædificabant : Quo verò die exiit Sodomis Lotus, pluit ignis & ſulphur de cœlo, quod omnes perdidit. Itidèm accidet quâ die Filius hominis patefiet. In illa die qui in tecto erit, ſi erit ejus ſupellex domi, ne deſcendat ad eam auferendam. Itidèm qui ruri, ne retrò revertatur. Memineritis autem uxoris Loti. Qui animam ſuam ſervare conabitur eam perdet; &, qui eam perdiderit, conſervabit. Hoc vobis dico: In ea nocte erunt in uno cubili duo, quorum alter aſſumetur, alter relinquetur. Duarum, quæ ſimùl molent, altera aſſumetur, altera relinquetur. Duorum qui ruri erunt, alter aſſumetur, alter relinquetur. Et illi eum alloquentes, Ubì Domine? inquiunt: Quibus ille, Ubì corpus, inquit, erit, eò etiam aquilæ coibunt.

¶ *Habitâ concione, hæ ſequentur ſententiæ.*

SIC luceat lux veſtra apud homines, ut veſtra rectè facta videntes, collaudent veſtrum Patrem, qui eſt in cœlis. D. *Matth.* v. 16.

Beatus eſt qui egentium habet rationem; eum adverſo tempore liberabit Dominus. *Pſal.* xli. 1.

¶ *Perlectâ precatione pro* Univerſo ſtatu Eccleſiæ Chriſti, *hæ duæ Collectæ uſurpandæ ſunt.*

TE collaudamus, Domine, tuúmque nomen pro ſingulari tua clementia, quâ nos dignatus es, ſummis laudibus efferimus, dum juſta & terribilia tua judicia nos opprimerent. Tuæ miſericordiæ prorsùs acceptum referimus, nos penitùs confectos non fuiſſe; & cùm laceſſitus internecionem & vaſtitatem in nos omnes ſtatuiſſes, & porrecta eſſet manus tua, ut tuam atrociſſimam bilem in nos effunderet; Tu tamèn reliquias, quaſi torres ex incendio ereptos conſervâſti; nè penitùs in delictis noſtris abſumeremur: Te imploramus ut, tuo potenti Spiritu nos coarguente, conſcientiæ noſtræ excitentur, adeò ut tuis caſtigationibus humiliati, pro ſingulari tua miſericordia vitam corrigamus, nec peccemus ampliùs, nè quid deterius nobis accidat. Nos omnes impertire gratiâ, per quam providentiæ tuæ mirandam hanc diſpenſationem in melius convertamus, quò nomen tuum illuſtretur, & inſtruatur tuus populus, animíque eorum in die Domini ſerventur. His annue, ô Pater,

Pater, gratiâ unici noſtri Mediatoris & Redemptoris Jeſu Chriſti. *Amen.*

O Omnipotens Domine Deus, Tu omnia tum in cœlo tum in terra moderaris. Tuo imperio parent flammæ, omneſque univerſi orbis poteſtates: Hæ tibi flagrorum inſtar horribilium inſerviunt, quotieſcunque iis in populum impium animadvertere tibi placeat; ubi verò per tuam intimam miſericordiam nullus ultrà ſeveritati datur locus; edicis iis huc uſquè & non ultrà venietis, tuóque dicto audientes ſunt. Niſi Tu cuſtodias *urbem*, cuſtos fruſtra vigilat. Illi ſoli evadunt incolumes, quos Tu conſervas. Tibi igitùr hanc *urbem* præcipuæ Tui tutelæ ſupplices commendamus, quippè qui es omnibus Tui ſtudioſis propugnaculo, iiſque, qui tuam voluntatem exequuntur, & in potentia tua & clementia fiduciam ſibi collocant. Populo tuo impertire gratiam, ut ſeriò miſerandam illam vaſtitatem, cujus hodiè ſolennis *memoria* celebratur, ſecum recolant; gratóſque adversùm Te animos illis infundas, qui eos erutos iterùm extruxiſti. Dignare ut eo, quo par eſt, ſenſu omnium eorum criminum affecti ſint, ob quæ gravia hæc adeò exempla in eos edidiſti. Tua gratia ſingularis nos prohibeat, quò minùs Te iterùm laceſſamus, undè Tua denuò incendatur ira, quæ nobis internecioni ſit. Hanc *urbem* à flammarum rabie, diriſque iis caſibus, quos incandeſcens infligis, nec non malevolorum hominum violentiâ conſerva. Incolas ejus ſub alarum tuarum umbra abde; fac tibi fideliter ſerviant, ut ſempèr ſis miſericors Pater, & potens eorum propugnator, per Jeſum Chriſtum Mediatorem noſtrum & Advocatum. *Amen.*

¶ *Hìc adjicias* Collectas ſecundæ & quartæ Dominicæ in Quadrageſimâ, *vel unam vel utramque ſimùl, unà cum Collecta*, Omnipotens Deus, qui pollicitus es, *&c. finito Communionis Officio: Tum verò Preſbyter eos dimittet hâc fauſtâ precatione.*

DOmini pax, omnem mentem exuperans, veſtros animos & cogitationes in cognitione & amore Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti cuſtodiat: & favor Dei omnipotentis, Patris, Filii & Spiritûs Sancti vobis adſit, ſempérque vobiſcum maneat. *Amen.*

FORMULA

FORMULA PRECUM
CUM
GRATIARUM ACTIONE
AD

Deum omnipotentem; in omnibus hujúſce regni eccleſiis & ſacellis undecimo *Junii* die quotannis uſurpanda, Duo ſcilicèt die Regia Majeſtas ſolium felicitèr aſcendit.

¶ *Officium idem erit in omnibus cum officio pro diebus feſtis conſueto; niſi ubì poſteà in ſequentibus alitèr præſcriptum fuerit.*

¶ *Eccleſiâ S.* Barnabæ *Apoſtoli hodiè Feſtum celebrante, ex integro omittetur ejus officium, & hoc totum uſurpabitur: de quo publicè Dominicâ præcedente prænunciabitur Populo.*

¶ *Si Dies hic in* Dominicam Pentecoſtes *inciderit, hujus officii Collectæ ſuo loco addentur officio illius Feſti: Si autem in* Feriam ſecundam, *aut* Feriam tertiam *in* Pentecoſte, *aut* Dominicam Trinitatis, proprii Pſalmi, *qui hodiè, loco communium, recitari præſcribuntur, uſurpabuntur unà cum* Collectis, *quæ ſuo loco, ut ſuprà adnotavimus, addentur; cætera verò hujus officii omittentur. Sin in aliam quamlibet* Dominicam *ceciderit, per totùm retinebitur hoc officium, ut infra recitatum. Nec ullum feſtum, quod in hunc Diem ſolennem*Gratiarum actionis *inciderit, obſtet, quin Hymnus, loco Pſalmi,* Adeſte, cantemus Dominum, *&c. sempèr recitabitur.*

¶ *Miniſter incipiet preces matutinas ab hiſce ſententiis.*

EXhortor igitùr primum omnium ut fiant ſupplicationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones pro cunctis hominibus: Pro regibus & omnibus poteſtate pollentibus; ut tranquillam quietámque vitam agamus cum omni pietate ac gravitate: Hoc enim honeſtum eſt, noſtróque Servatori Deo acceptum. 1 *Tim.* ii. 1, 2, 3.

Si nos peccati expertes eſſe dicimus, fallimus nos ipſos, nec eſt in nobis veritas; at ſi confitemur peccata noſtra, ille ita fidelis & juſtus eſt, ut nobis peccatorum veniam det, nóſque ab omni culpa expiet. 1 D. *Johan.* i. 8, 9.

¶ *Pro*

¶ *Pro Pſalmo* [Adeſte, cantemus Dominum, *&c.*] *Sequens Pſalmus recitabitur aut cantabitur à Preſbytero, & à Clerico & Populo alternatìm reſpondentibus.*

O Domine, noſter gubernator, quàm nobile tuum nomen eſt in toto orbe terrarum! *Pſal.* viii. 1.

Domine, quid eſt homo, ut ejus habeas rationem! Quid eſt homine natus, ut eum ità cures? Pſal. cxliv. 3.

Exorabilis & miſericors Dominus ſuis miraculis famam ſibi comparavit. *Pſal.* cxi. 4.

Celebrent igitùr populi Domini clementiam, & miracula apud hominum genus! Pſal. cvii. 21.

Propugnaculum noſtrum, aſpice, Deus; & tui uncti perſonam reſpice. *Pſal.* lxxxiv. 9.

Suſtine greſſus ejus in tuis orbitis, ne ejus labefiant veſtigia. Pſal. xvii. 5.

Ætatem ætati Regis adjice; Et eum tui voluptate vultûs lætifica. *Pſal.* lxi. 6. & xxi. 7.

Habitet æternùm apud Te, Deus: Paratâ tuâ clementiâ & fide illum cuſtodi. Pſal. lxi. 7.

Floreant ejus tempore boni: Et omnibus noſtris finibus concilietur pax. *Pſal.* lxxii. 7. & cxlvii. 14.

Ejus hoſtes pudore circumfunde: Cum intereà ipſe diadema floridum geſtabit. Pſal. cxxxii. 19.

Laudetur Dominus Deus Iſraëlitarum: Deus ſolus mirificus. *Pſal* lxxii. 18.

Laudetur & ejus glorioſum nomen in æternum: ejuſque gloriâ repleatur univerſus orbis terrarum: Etiam atque etiam. Pſal. lxxii. 19.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto:

Sicùt erat in principio, & nunc, & ſempèr erit, & in perpetua ſecula. Amen.

¶ *Pſalmi proprii ſunt,* xx. xxi ci.

¶ *Lectiones Propriæ,*
- *Prior,* Joſhuæ i. *uſque ad finem commatis noni.* Deinde, *Te Deum,* &c.
- *Poſterior,* Rom. xiii. Deinde, *Perſonate Dominum,* &c.

¶ *Poſt Symbolum Apoſtolicum hæc ſuffragia ſubſequentur.*

SACERDOS.

Exhibe nobis tuam, Domine, clementiam.

RESPONSIO.

Tuámque nobis defenſionem præſta.

SACERDOS.

Defende Regem, Domine.

RE-

RESPONSIO.

Qui ſibi in Te fiduciam collocat.

SACERDOS.

Mitte ei auxilium ex ſano tuo.

RESPONSIO.

Et in æternum ei opitulare potens.

SACERDOS.

Nè eum inimici ejus opprimant.

RESPONSIO.

Nec ad eum infeſtandum accedant impii.

SACERDOS.

Tui Sacerdotes juſtitiâ veſtiantur.

RESPONSIO.

Tuíque electi ovent.

SACERDOS.

Serva tuos, Domine.

RESPONSIO.

Tuæque hereditati fave.

SACERDOS.

Pacem præbe nobis noſtro ævo, Domine.

RESPONSIO.

Quia Tu, Domine, ſolus pro nobis pugnas, & prætereà nullus.

SACERDOS.

Eſto nobis, Domine, turris valida.

RESPONSIO.

A facie inimicorum.

SACERDOS.

Nos, Domine, invocantes exaudi.

RESPONSIO.

Et ad Te perlata ſit querela noſtra.

¶ *Pro prima Collecta in Matutinis precibus, uſurpabitur ſequens Collecta gratiarum actionis, quòd Majeſtas ejus ſolium aſcenderit.*

OMnipotens Deus, qui ditioni tuæ univerſi orbis terrarum gentes ſubjicis, quíque ex conſilio tuo eas homini committis: Tibi ſinceras ex animo gratias habemus, cui placuit hoc quaſi die tuum famulum clementiſſimum noſtrum Regem GEORGIUM in regnorum horum ſolio collocare: Sapientia tua quâ viâ ei ſit eundum oſtendat, & tua manus eum ſtabiliat; juſtitia, veritas & pietas, pax & charitas, quæque aliæ virtutes Chriſtianæ profeſſioni ornamento ſunt, eo imperante, floreſcant; omnia ejus conſilia & conatus ad Tui gloriam & populi ſalutem dirige; & nos gratiâ impertire, per quam propter conſcientiam alacritèr & ſponte ei pareamus, ut neque pravæ animorum noſtrorum perturbationes, nec privata noſtra commoda conatus ejus irritos reddant, quò minùs commodè rempublicam adminiſtret; ſubditi ejus ſempèr erga eum benè animati ſint, ut nunquàm ipſi & honore & pio auctoritatis ejus obſequio deſint, diù

regnet felicitèr, & in futuro ſeculo eum corones immortalitate, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *In fine Litaniæ (quæ ſemper hoc die recitabitur) poſt Collectam* [Quæſumus, Pater, infirmitates, &c.] *hæc quæ ſequitur, pro Rege & Stirpe Regia dicetur.*

DOmine Deus noſter, qui omnia tum in cœlo tum in terra ſuſtines & moderaris, ſupplices noſtras preces admitte, unà cum ex animo gratiarum actionibus pro ſupremo Rege noſtro GEORGIO, qui quaſi hoc die gratiâ tuâ & providentiâ nobis Rex præfectus eſt; atque cum eo Frederico *Walliarum* Principi, Principiſſæ *Walliarum*, Duci, Principiſſis, *Walliarum* Principum Soboli, & univerſæ ſtirpi Regiæ fave: ut ii omnes perpetuò tuâ benignitate freti, tuo tecti præſidio, & clemente tuo perpetuo favore coronati, per Te in terris cum ſalute, pace, gaudio & honore vitam longam & felicem exigant, & mortui æternam vitam & gloriam in cœleſti regno conſequantur, per merita & mediationem Jeſu Chriſti Servatoris noſtri, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat unus Deus in perpetua ſecula. *Amen.*

¶ *Tunc ſequetur hæc Collecta, ut Deus Regem contra inimicos ejus protegeret.*

CLementiſſime Deus, qui famulum tuum GEORGIUM Regem noſtrum in ſolio majorum ejus collocâſti; Te quàm maximè ſupplices obſecramus, ut, dum regnat, ab omnibus periculis, in quæ adduci forsàn poſſet, velis defendere; ſubtrahe eum improborum conatui, inſultui maleficorum; emolli manus, conſilia perime, & fac conata omnium ejus inimicorum irrita, ut nullæ conjurationes clandeſtinæ nec apertæ vires ejus perturbent imperium, ſed in tuto abditus ſub alæ tuæ umbra, & tuâ adjutus potentiâ, de omnibus ei adverſantibus triumphet, ut innoteſcat apud omnes gentes Te in omnibus rebus tum dubiis tum adverſis illius eſſe defenſorem, & potentem vindicem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum ſupplicatio pro ſuprema ſenatûs curiæ (conventum agente) dicenda eſt.*

¶ *In officio ſacræ Communionis, immediatè ante Lectionem Epiſtolæ, loco Collectæ pro Rege & Collectæ diei, hæc Supplicatio pro Rege, utpotè ſupremo hujus eccleſiæ moderatore recitabitur.*

Beate

BEate Deus, qui chriſtianos Principes ad tuam fidem defendendam vocâſti, & injunxiſti iis hoc officii munus, ut tum ſpirituali tum temporali ſubditorum ſuorum commodo conſulant, humilibus gratíſque animis magna tua erga nos beneficia agnoſcimus, qui huic eccleſiæ & genti famulum tuum noſtrum Regem clementiſſimum præfeciſti; orna eum, quæſumus, omnibus iis dotibus, quibus tantâ præditum dignitate decet; quodcunque pro Te, Deo ejus, ſuſcipit benè ſuccedat; oculi ſui videant quàm felicem exitum habeant, quæ ſpectant ad commodum veræ tuæ religionis apud nos ſtabilitæ; fac ut felicitèr ſubſerviat defenſioni & propagationi tuæ veritatis, quaçunque in orbis parte calamitatibus & violentiâ urgeatur; coram illo fugiant ſimulatio, impietas, ſuperſtitio & idololatria; ne hæreſes, pravæque doctrinæ eccleſiæ pacem perturbent; ne ſchiſmata nec diſſidia immeritò eam frangant; ſed da ut uno corde, unóque animo Tibi, Deo noſtro, pareamus, & ei ſecundùm voluntatem tuam obtemperemus: útque hæc beneficia poſteris etiam conſerventur, nunquàm deſit ei ex Stirpe Regia, qui ei ſuccedat in horum regnorum imperio, ut poſteri noſtri videant ejus natorum natos ſalvis Iſraëlitis. Quare nos populus tuus, tuíque paſcui oves, Te in omnem ſeculorum perpetuitatem tuas enarrando laudes concelebrabimus. *Amen.*

Epiſtola 1 *D.* Petri ii. 11.

CHariſſimi, cohortor ut inquilinos ac peregrinos, abſtinete vos à corporeis cupiditatibus, quæ contra animum militant, honeſtè vos gerentes apud exteros, ut pro eo quòd vobis tanquàm maleficis detrahunt, rectè facta conſiderantes honorent Deum in die viſitationis. Itaquè omnibus parete perſonis humanis propter Dominum: Et Regi, ut poteſtate pollenti: Et prætoribus, ut ab eo tum ad maleficorum ultionem, tum ad beneficorum laudationem, miſſis. Nam ea eſt Dei voluntas, ut, rectè facientes, amentium hominum ignorantiam compeſcatis; ut liberi, non ut vitiorum prætextum habentes libertatem, ſed ut Dei ſervi. Omnes honorate: Fraternitatem amate, veremini Deum, Regem honorate.

Evangelium D. Matth. xxii. 16.

EIque diſcipulos ſuos cum Herodianis miſerunt,

qui dicerent: Magiſter, ſcimus Te veracem eſſe, divinámque vitæ viam verè docere, neque quenquam curare, quippè qui non ſpectes hominum perſonam. Dic ergò nobis, quid ſentias; liceátne pendere tributum Cæſari, nécne? At Jeſus, cognitâ eorum malitiâ, dixit: Quid me tentatis, Simulatores? Oſtendite mihi nummum tributarium. Illi ei denarium attulerunt. Et ille, cujus eſt imago hæc, inquit eis, & inſcriptio? Cui illi, Cæſaris, inquiunt. Tunc ille, ſolvite igitùr, inquit iis, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo. Hoc audito, admirati illi, eo relicto, diſceſſerunt.

¶ *Poſt ſymbolum* Nicænum *habebitur concio.*

¶ *Legenda eſt hæc ſententia ad Offertorium.*

Sic luceat veſtra lux apud homines, ut veſtra rectè facta videntes collaudent veſtrum Patrem, qui eſt in cœlis. D. *Matth.* v. 16.

¶ *Poſt precationem* [Pro univerſo ſtatu Eccleſiæ Chriſti, *&c.*] *hæ collectæ ſequentes dicentur.*

¶ *Oratio pro Unitate.*

DEUS Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, unici noſtri Servatoris, pacíſque principis, nobis gratiam impertire, per quam ſeriò animis perpendamus ingentia pericula, quibus miſeræ diſcordiæ inteſtinæ nos objiciunt, fac ut nihil ſit odii, nihil diſcriminis inter nos invicèm, nec quidquam præterea quod nobis impedimento ſit, quò minùs ad piam unionem & concordiam adducamur: quippè quemadmodùm eſt tantùm unum corpus, unúſque Spiritus & noſtræ vocationis ſpes, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium; ità ſit nobis unum cor, unus animus, ut in poſterum uno pio vinculo veritatis & pacis, fidei & charitatis conjuncti, uno animo unóque ore celebremus Te, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

DA, quæſumus, Domine, ſub tuo ductu rerum humanarum curſum tranquillè adeò dirigi, ut eccleſia tua tibi cum lætitia & pia quiete ſerviat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen*

Largire,

LArgire, quæſumus, omnipotens Deus, ut quæ verba hodiè externis auribus accepimus, ea intùs animis noſtris per gratiam tuam ita inſerantur, ut fructus piæ vitæ feramus, ad nominis tui honorem & laudem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

OMnipotens Deus, fons omnis ſapientiæ, qui ſcis non ſolùm quibus rebus opus ſit nobis, antequàm petimus, ſed etiam noſtram dum petimus ignorantiam, Te ſupplices oramus, ut noſtrarum infirmitatum miſerearis; & quæ vel propter indignitatem noſtram non audemus petere, vel propter cæcitatem noſtram nequeamus, iis nos impertire digneris, propter merita Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

DIvina pax, omnem mentem exuperans, veſtros animos, & cogitationes in cognitione & amore Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti cuſtodiat: Et favor Dei omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti vobis adſit, ſempérque vobiſcum maneat. *Amen.*

FORMA

STRUMOSOS ATTRECTANDI.

IN omnibus noſtris actionibus, clementiſſimo tuo, Domine, favore nos præveni, & perpetuo tuo auxilio nos perſequere, ut in omnibus operibus noſtris inceptis, continuatis, & in Te perfectis, ſacroſanctum nomen tuum illuſtremus, & tandem pro clementia tua ſempiternam vitam conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Evangelii D. Marci xvi. 14. *& deinceps, ſic ſcriptum habemus:*

DIſcumbentibus undecim apparuit Jeſus & eis incredulitatem & pervicaciam exprobravit, quòd eis, qui ſe reſurrexiſſe viderant, non crediddiſſent; eíſque dixit, Ite in totum orbem, prædicate Evangelium omni creaturæ: Qui

crediderit, & baptizatus fuerit, ſervabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient: Linguis loquentur novis: Serpentes tollent: Et ſi quid mortiferum biberint, non iis nocebit: *Quum ægrotis manus imponent, illi bene habebunt.* Igitur Dominus, poſtquam eos alloquutus eſt, ſublatus eſt in cœlum, & ad Dei dexteram ſedit. Illi verò digreſſi ubique prædicârunt, Domino adjuvante, & orationem ſequentibus ſignis confirmante.

Oremus.

Miſerere noſtrî, Domine.
Miſerere noſtrî, Chriſte.
Miſerere noſtrî, Domine.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctè colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in cœlo, ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodiè: Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: Néve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere; Quoniàm tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſempiternum. *Amen.*

¶ *Tum Strumoſi ſigillatim Regi ſiſtentur, in genua provoluti; atque ut ſingulus ſiſtitur, & dum Rex iis manus imponit, auróque colla circumdat, Capellanus, qui Officium præſtat, ad Regiam Majeſtatem converſus ita dicet:*

DEUS huic operi propitius adſit; & det ut hi Strumoſi, quibus Rex manus imponit, ex morbo convaleſcant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Cùm omnes ſiſtantur, ita dicet Capellanus:*

Salvos fac, Domine, hos famulos tuos.

Responsio.

* *Qui ſibi fiduciam in Te collocant.*

* Hæ Reſponſiones à Strumoſis dicendæ ſunt.

Capellanus.

Mitte eis auxilium ex ſano tuo:

Responsio.

Et potens eos ſempèr protege.

Capellanus.

Succurre nobis, Deus ſalutis noſtræ:

Responsio.

Et tui nominis gloriæ cauſâ libera nos; & tui nominis gratiâ peccatis noſtris veniam da.

Capellanus.

Nos, Domine, invocantes exaudi:

Responsio.

Et ad te perlata ſit querela noſtra.

Oremus.

OREMUS.

OMnipotens Deus, cui omnis valetudo prorſùs debetur, quìque iis Te defenſorem præbes, qui ad Te perfugiunt ad auxilium; pro miſericordia tua, quæſumus, his tuis famulis auxilium ferto, tuâque in eos clementiâ utere, ut, hoc morbo levati, Tibi gratias in eccleſia ſancta tua agant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Tum Capellanus, ad ſanandos converſus, dicet:

OMnipotens Deus omnibus ei confidentibus turris firmiſſima, cui omne ſe genu flectit, cœleſtium & terreſtrium, & ſubterraneorum, & nunc & in perpetua ſecula tibi ſit munimento; & faxit cognoſcas, & certior factus ſis, nullum aliud eſſe nomen ſub cœlo apud homines datum, in quo, & per quod à morbo tibi confirmetur valetudo, & ſervandus ſis, niſi nomen unum Jeſu Chriſti Domini noſtri.

DOmini Jeſu Chriſti gratia, & Dei amor, & Sancti Spiritûs communio nobis adſit omnibus in perpetua ſecula. *Amen.*

ARTICULI

De quibus convenit inter ARCHIEPISCOPOS & EPISCOPOS UTRIUSQUE PROVINCIÆ, ET

Clerum Univerſum in Synodo Londini, Anno 1562. ad tollendam opinionum diſſenſionem, & conſenſum in verâ religione firmandum.

De fide in ſacroſanctam Trinitatem.

UNUS eſt vivus & verus Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, impaſſibilis, immenſæ potentiæ, ſapientiæ ac bonitatis, Creator & Conſervator omnium, tum viſibilium tum inviſibilium. Et, in unitate hujus divinæ Naturæ, tres ſunt

ſunt Perſonæ ejuſdem eſſentiæ, potentiæ ac æternitatis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

De Verbo, ſive Filio Dei, qui verus homo factus eſt.

2. FIlius, qui eſt Verbum Patris, ab æterno à Patre genitus, verus & æternus Deus, ac Patri conſubſtantialis, in utero beatæ Virginis, ex illius ſubſtantia, naturam humanam aſſumpſit: Ita ut duæ naturæ, divina & humana, integrè atque perfectè in unitate perſonæ fuerint inſeparabiliter conjunctæ, ex quibus eſt unus Chriſtus, verus Deus & verus homo, qui verè paſſus eſt, crucifixus, mortuus, & ſepultus, ut Patrem nobis reconciliaret, eſſétque hoſtia, non tantùm pro culpa originis, verùm etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

De deſcenſu Chriſti ad inferos.

3. QUemadmodùm Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & ſepultus; ita eſt etiam credendus ad inferos deſcendiſſe.

De Reſurrectione Chriſti.

4. CHriſtus verè à mortuis reſurrexit, ſuúmque corpus cum carne, oſſibus, omnibúſque ad integritatem humanæ naturæ pertinentibus, recepit: Cum quibus in cœlum aſcendit, ibíque reſidet, quoad extremo die ad judicandos homines reverſurus ſit.

De Spiritu Sancto.

5. SPiritus Sanctus, à Patre & Filio procedens, ejuſdem eſt cum Patre & Filio eſſentiæ, majeſtatis, & gloriæ, verus ac æternus Deus.

De divinis ſcripturis, quòd ſufficiant ad ſalutem.

6. SCriptura ſacra continet omnia, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ita ut quicquid in ea nec legitur, neque inde probari poteſt, non ſit à quonam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur, aut ad ſalutis neceſſitatem requiri putetur.

Sacræ ſcripturæ nomine, eos canonicos libros veteris & novi Teſtamenti intelligimus, de quorum auctoritate in eccleſia nunquam dubitatum eſt.

De nominibus & numero librorum Canonicorum.

Geneſis.
Exodus.
Leviticus.
Numeri.
Deuteron.
Joſuæ.
Judicum.
Ruth.
Prior liber Samuelis.
Secundus liber Samuelis.
Prior liber Regum.
Secundus liber Regum.
Prior liber Paralipomen.
Secundus liber Paralipomen.
Primus liber Eſdræ.
Secundus liber Eſdræ.
Liber Heſter.
Liber Job.
Pſalmi.
Proverbia.
Eccleſiaſtes vel Concionator.
Cantica Solomonis.
4 *Prophetæ Majores.*
12 *Prophetæ Minores.*

Alios autem libros (ut ait Hieronymus) legit quidem eccleſia, ad exempla vitæ, & formandos mores: Illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet, ut ſunt,

Tertius liber Eſraæ.
Quartus liber Eſdræ.
Liber Tobiæ.
Liber Judith.
Reliquum libri Heſter.
Liber Sapientiæ.
Liber Jeſu filii Sirach.
Baruch Propheta.
Canticum trium Puerorum.
Hiſtoria Suſannæ.
De Bel & Dracone.
Oratio Manaſſis.
Prior liber Maccabæorum.
Secundus liber Maccabæorum.

Novi Teſtamenti omnes libros (ut vulgò recepti ſunt) recipimus, & habemus pro canonicis.

De Veteri Teſtamento.

7. TEſtamentum vetus novo contrarium non eſt, quandoquidèm tam in veteri Teſtamento quàm in novo, per Chriſtum, qui unicus eſt Mediator inter Deum & hominem, Deus & homo, æterna vita humano generi eſt propoſita. Quare malè ſentiunt, qui veteres tantùm in promiſſiones temporarias ſperâſſe confingunt. Quan-

Quanquàm lex à Deo data per Moſen (quoad Ceremonias & Ritus) Chriſtianos non aſtringat, neque civilia ejus præcepta in aliqua republica neceſſariò recipi debeant; nihilominùs ab obedientia mandatorum (quæ moralia vocantur) nullus (quantumvis Chriſtianus) eſt ſolutus.

De tribus Symbolis.

8. SYmbola tria, Nicænum, Athanaſii, & quod vulgò Apoſtolorum appellatur, omnino recipienda ſuut, & credenda; nam firmiſſimis ſcripturarum ſanctarum teſtimoniis probari poſſunt.

De Peccato Originali.

9. PEccatum originale non eſt (ut fabulantur Pelagiani) in imitatione Adami ſitum, ſed eſt vitium, & depravatio naturæ cujuſlibet hominis ex Adamo naturalitèr propagati. Quâ fit, ut ab originali juſtitia quàm longiſſimè homo diſtet, ad malum ſuâ naturâ propendeat, & caro ſemper adversùs Spiritum concupiſcat; unde, in unoquoque naſcenium, iram Dei atque damnationem meretur. Manet etiam in renatis hæc naturæ depravatio: Quâ fit ut affectus carnis Græcè Φρόνημα σαρκὸς (quod alii ſapientiam, alii ſenſum, alii affectum, alii ſtudium carnis interpretantur) legi Dei non ſubjiciatur. Et quanquàm baptizatis & credentibus nulla eſt condemnatio, peccati tamen in ſeſe rationem habere concupiſcentiam, & libidinem, fatetur Apoſtolus.

De Libero Arbitrio.

10. EA eſt hominis poſt lapſum Adæ conditio, ut ſe naturalibus ſuis viribus, & bonis operibus, ad fidem & invocationem Dei convertere, ac præparare non poſſit. Quare abſque gratia Dei (quæ per Chriſtum eſt) nos præveniente, ut velimus, & cooperante, dum volumus, ad pietatis opera facienda, quæ Deo grata ſunt, & accepta, nihil valemus.

De hominis Juſtificatione.

11. TAntùm propter Meritum Domini ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti per fidem, non propter opera & merita noſtra, juſti coram Deo reputamur. Quare ſolâ fide nos juſtificari doctrina eſt ſaluberrima, ac conſolationis pleniſſima, ut, in homilia de juſtificatione hominis, fuſiùs explicatur.

De

De bonis Operibus.

12. QUanquam bona opera, quæ ſunt fructus fidei, & juſtificationem ſequuntur, peccata noſtra expiare, & divini judicii ſeveritatem ferre non poſſunt; Deo tamen grata ſunt, & accepta in Chriſto, atque ex vera & viva fide neceſſariò profluunt, ut planè ex illis æquè fides viva cognoſci poſſit, atque arbor ex fructu judicari.

De Operibus ante Juſtificationem.

13. OPera quæ ſunt ante gratiam Chriſti, & Spiritûs ejus afflatum, cùm ex fide Jeſû Chriſti non prodeant, minimè Deo grata ſunt, neque gratiam (ut ſcholaſtici vocant) de congruo merentur: Imò, cùm non ſunt facta, ut Deus illa fieri voluit & præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.

De Operibus Supererogationis.

14. OPera, quæ Supererogationis appellant, non poſſunt ſine arrogantia & impietate prædicari. Nam illis declarant homines, non tantùm ſe Deo reddere, quæ tenentur, ſed plùs in ejus gratiam facere, quàm deberent; cùm apertè Chriſtus dicat, cùm feceritis omnia quæcunque præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus.

De Chriſto, qui ſolus eſt ſine peccato.

15. CHriſtus, in noſtræ naturæ veritate ſimilis per omnia factus eſt nobis, peccato ſolo excepto, à quo prorsùs erat immunis, tum in carne, tum in Spiritu. Venit ut agnus, abſque macula, qui mundi peccata, per immolationem ſui ſemel factam, tolleret; & peccatum (ut inquit Johannes) in eo non erat: Sed nos reliqui etiam baptizati, & in Chriſto regenerati, in multis tamen offendimus omnes. Et, ſi dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

De peccato poſt Baptiſmum.

16. NON omne peccatum mortale, poſt baptiſmum voluntariè perpetratum, eſt peccatum in Spiritum Sanctum, & irremiſſibile. Proinde lapſis à baptiſmo in peccata locus pœnitentiæ non eſt negandus; poſt acceptum Spiritum Sanctum poſſumus à gratia data recedere, atque peccare, denuóque per gratiam Dei reſurgere, ac vitam corri-

corrigere: Ideóque illi damnandi ſunt, qui ſe quamdiù hìc vivant, ampliùs non poſſe peccare affirmant, aut verè reſipiſcentibus veniæ locum denegant.

De Prædeſtinatione, & Electione.

17. PRædeſtinatio ad vitam eſt æternum Dei propoſitum, quo, ante jacta mundi fundamenta, ſuo conſilio, nobis quidem occulto, conſtantèr decrevit, eos, quos in Chriſto elegit ex hominum genere, à maledicto & damnatione liberare, atque (ut vaſa in honorem efficta) per Chriſtum ad æternam ſalutem adducere. Unde qui tam præclaro Dei beneficio ſunt donati, illi Spiritu ejus, opportuno tempore, operante, ſecundùm propoſitum ejus, vocantur, vocationi per gratiam parent, juſtificantur gratìs, adoptantur in filios Dei, unigeniti ejus Jeſu Chriſti imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus ſanctè ambulant, & demum ex Dei miſericordia perveniunt ad ſempiternam felicitatem.

Quemadmodùm prædeſtinationis & electionis noſtræ in Chriſto pia conſideratio, dulcis, ſuavis, & ineffabilis conſolationis plena eſt, verè piis, & his qui ſentiunt in ſe vim Spiritûs Chriſti, facta carnis, & membra quæ adhuc ſunt ſuper terram mortificantem, animúmque ad cœleſtia & ſuperna rapientem; tum quia fidem noſtram de æterna ſalute conſequenda per Chriſtum plurimùm ſtabilit, atque confirmat, tum quia amorem noſtrum in Deum vehementèr accendit: Ita hominibus curioſis, carnalibus, & Spiritu Chriſti deſtitutis, ob oculos perpetuò verſari prædeſtinationis Dei ſententiam, pernicioſiſſimum eſt præcipitium, unde illos Diabolus protrudit, vel in deſperationem vel in æquè pernicioſam impuriſſimæ vitæ ſecuritatem. Deinde promiſſiones divinas ſic amplecti oportet, ut nobis in ſacris literis generalitèr propoſitæ ſunt, & Dei voluntas in noſtris actionibus ea ſequenda eſt, quam in verbo Dei habemus luculentèr revelatam.

De obtinenda æterna ſalute tantùm in nomine Chriſti.

18. SUNT & illi anathematizandi, qui dicere audent unumquemque, in lege, aut ſecta quam profitetur, eſſe ſervandum, modò juxta illam & lumen naturæ accuratè vixerit, cùm ſacræ literæ tantùm Jeſu

Chriſti

Chriſti nomen prædicent, in quo ſalvos fieri homines oporteat.

De Eccleſia.

19. ECcleſia Chriſti viſibilis eſt cœtus fidelium, in quo verbum Dei purum prædicatur, & ſacramenta, quoad ea, quæ neceſſariò exigantur, juxta Chriſti inſtitutum rectè adminiſtrantur. Sicut erravit eccleſia Hieroſolymitana, Alexandrina, & Antiochena; ità & erravit eccleſia Romana, non ſolùm quoad agenda, & cerimoniarum ritus, verùm in his etiàm, quæ credenda ſunt.

De Eccleſiæ auctoritate.

20. HAbet eccleſia ritus ſive ceremonias ſtatuendi jus, & in fidei controverſiis auctoritatem; attamèn eccleſiæ hon licet quicquam inſtituere, quod verbo Dei ſcripto adverſetur, nec unum ſcripturæ locum ſic exponere poteſt, ut alteri contradicat. Quare licèt eccleſia ſit divinorum librorum teſtis & conſervatrix, attamèn ut adversùs eos nihil decernere, ità præter illos nihil credendum de neceſſitate ſalutis debet obtrudere.

De auctoritate Conciliorum Generalium.

21. GEneralia Concilia ſine juſſu & voluntate principum congregari non poſſunt, &, ubì convenerint, (quia ex hominibus conſtant, qui non omnes Spiritu & Verbo Dei reguntur) & errare poſſunt, & interdùm errârunt, etiam in his quæ ad Deum pertinent: Ideóque quæ ab illis conſtituuntur, ut ad ſalutem neceſſaria, neque robur habent neque auctoritatem, niſi oſtendi poſſint è ſacris literis eſſe deſumpta.

De Purgatorio.

22. DOctrina Romanenſium de purgatorio, de indulgentiis, de veneratione & adoratione tum imaginum, tum reliquiarum, nec non de invocatione ſanctorum, res eſt futilis, inanitèr conficta, & nullis Scripturarum teſtimoniis innititur: Imò verbo Dei contradicit.

De Miniſtrando in Eccleſia.

23. NON licet cuiquam ſumere ſibi munus publicè prædicandi, aut adminiſtrandi ſacramenta in eccleſia, niſi priùs fuerit ad hæc obeunda legitimè vocatus & miſſus. Atque illos legitimè vocatos & miſſos

exiſtimare debemus, qui per homines, quibus poteſtas vocandi miniſtros, atque mittendi in vineam Domini publice conceſſa eſt in eccleſia, cooptati fuerint & aſciti in hoc opus.

De loquendo in Eccleſia linguâ, quam populus intelligit.

24. LInguâ populo non intellectâ, publicas in eccleſia preces peragere, aut ſacramenta adminiſtrare, verbo Dei, & primitivæ eccleſiæ conſuetudini, planè repugnat.

De Sacramentis.

25. SAcramenta, à Chriſto inſtituta, non tantùm ſunt notæ profeſſionis Chriſtianorum, ſed certa quædam potiùs teſtimonia, & efficacia ſigna gratiæ atque benignæ in nos voluntatis Dei, per quæ inviſibilitèr ipſe in nos operatur, noſtrámque fidem in ſe non ſolùm excitat, verùm etiam confirmat.

Duo à Chriſto Domino noſtro in Evangelio inſtituta ſunt ſacramenta; ſcilicèt Baptiſmus, & Cœna Domini.

Quinque illa vulgò nominata ſacramenta: Scilicèt confirmatio, pœnitentia, ordo, matrimonium, & extrema unctio, pro ſacramentis Evangelicis habenda non ſunt; ut quæ, partìm à prava Apoſtolorum imitatione profluxerunt, partìm vitæ ſtatus ſunt in ſcripturis quidèm probati: ſed ſacramentorum eandem cum Baptiſmo & Cœna Domini rationem non habent, ut quæ ſignum aliquod viſibile, ſeu ceremoniam, à Deo inſtitutam, non habeant.

Sacramenta non in hoc inſtituta ſunt à Chriſto, ut ſpectarentur, aut circumferrentur, ſed ut ritè illis uteremur, &, in his duntaxàt qui digni percipiunt, ſalutarem habent effectum & operationem: Qui verò indignè percipiunt, damnationem (ut inquit Paulus) ſibi ipſis acquirunt.

De vi ſacramentorum, quòd eam non tollat malitia miniſtrorum.

26. QUamvìs in eccleſia viſibili bonis mali ſempèr ſunt admixti, atque interdùm miniſterio verbi & ſacramentorum adminiſtrationi præſint, tamèn cùm non ſuo, ſed Chriſti nomine agant, ejúſque mandato & auctoritate miniſtrent, illorum miniſterio uti licet, cùm in verbo Dei audiendo, tum in ſacramentis percipiendis. Neque per illorum malitiam effectus in-

inſtitutorum Chriſti tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoàd eos qui fide & ritè ſibi oblata percipiunt; quæ propter inſtitutionem Chriſti & promiſſionem efficacia ſunt, licèt per malos adminiſtrentur.

Ad eccleſiæ tamèn diſciplinam pertinet, ut in malos miniſtros inquiratur, accuſentúrque ab his, qui eorum flagitia noverint; atque tandèm juſto convicti judicio deponantur.

De Baptiſmo.

27. BAptiſmus non eſt tantùm profeſſionis ſignum, ac diſcriminis nota, quâ Chriſtiani à non Chriſtianis diſcernantur; ſed etiam eſt ſignum regenerationis, per quod, tanquàm per inſtrumentum, rectè baptiſmum ſuſcipientes eccleſiæ inſeruntur; promiſſiones de remiſſione peccatorum atque adoptione noſtrâ in filios Dei per Spiritum Sanctum, viſibilitèr obſignantur, Fides confirmatur, & vi divinæ invocationis Gratia augetur.

Baptiſmus parvulorum omninò in eccleſia retinendus eſt, ùt qui cum Chriſti inſtitutione optimè congruat.

De cæna Domini.

28. COena Domini non eſt tantùm ſignum mutuæ benevolentiæ Chriſtianorum inter ſeſe, verùm potiùs eſt ſacramentum noſtræ per mortem Chriſti redemptionis.

Atque adeò, ritè, dignè, & cum fide ſumentibus, panis quem frangimus eſt communicatio corporis Chriſti: Similitèr poculum benedictionis eſt communicatio ſanguinis Chriſti.

Panis & vini tranſubſtantiatio in Euchariſtia ex ſacris literis probari non poteſt: Sed apertis ſcripturæ verbis adverſatur, ſacramenti naturam evertit, & multarum ſuperſtitionum dedit occaſionem.

Corpus Chriſti datur, accipitur, & manducatur in cœna, tantùm cœleſti & ſpirituali ratione. Medium autem quo corpus Chriſti accipitur, & manducatur in cœna, fides eſt.

Sacramentum Euchariſtiæ ex inſtitutione Chriſti non ſervabatur, circumferebatur, elevabatur, nec adorabatur.

De manducatione Corporis Chriſti, & quòd impii illud non manducent.

29. IMpii, & fide vivâ deſtituti, licèt carnalitèr, & viſibilitèr (ut S. Auguſtinus loquitur) corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum dentibus premant, nullo tamèn modo Chriſti participes efficiuntur. Sed potiùs tantæ rei ſymbolum, ſeu Sacramentum ad judicium ſibi manducant & bibunt.

De utrâque Specie.

30. CAlix Domini Laïcis non eſt denegandus: Utraque enìm pars Dominici Sacramenti, ex Chriſti inſtitutione & præcepto, omnibus Chriſtianis ex æquo adminiſtrari debet.

De unica Chriſti Oblatione in Cruce perfecta.

31. OBlatio Chriſti ſemèl facta perfecta eſt Redemptio, Propitiatio, & Satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tàm originalibus, quàm actualibus. Neque, præter illam unicam, eſt ulla alia pro peccatis expiatio. Undè miſſarum ſacrificia, quibus vulgò dicebatur, ſacerdotem offerre Chriſtum in remiſſionem pœnæ aut culpæ, pro vivis & defunctis, blaſphema figmenta ſunt, & pernicioſæ impoſturæ.

De conjugio Preſbyterorum.

32. EPiſcopis, Preſbyteris, & Diaconis nullo mandato divino præceptum eſt, ut aut cœlibatum voveant, aut à matrimonio abſtineant. Licet igitur etiàm illis, ut cæteris omnibus Chriſtianis, ubi hoc ad pietatem magìs facere judicaverint, pro ſuo arbitratu matrimonium contrahere.

De excommunicatis vitandis.

33. QUI, per publicam eccleſiæ denunciationem, ritè ab unitate eccleſiæ præciſus eſt & excommunicatus, is ab univerſa fidelium multitudine (donec per pœnitentiam publicè reconciliatus fuerit arbitrio Judicis competentis) habendus eſt tanquàm ethnicus & publicanus.

De Traditionibus Eccleſiaſticis.

34. TRaditiones atque ceremonias eaſdem non omninò neceſſarium eſt eſſe ubiquè, aut prorſùs conſimiles. Nam ut variæ ſempèr fuerunt, &

mutari

mutari poſſunt, pro regionum, temporum, & morum diverſitate, modò nihil contra verbum Dei inſtituatur.

Traditiones & ceremonias eccleſiaſticas, quæ cum verbo Dei non pugnant, & ſunt auctoritate publicâ inſtitutæ atque probatæ, quiſquis privato conſilio volens & datâ operâ, publicè violaverit, is, ùt qui peccat in publicum ordinem eccleſiæ, quíque lædit auctoritatem magiſtratûs, & qui infirmorum fratrum conſcientias vulnerat, publicè, (ut cæteri timeant) arguendus eſt.

Quælibet eccleſia particularis, ſive nationalis, auctoritatem habet inſtituendi, mutandi, aut abrogandi ceremonias, aut ritus eccleſiaſticos, humanâ tantùm auctoritate inſtitutos, modò omnia ad ædificationem fiant.

De Homiliis.

35. TOmus ſecundus homiliarum, quarum ſingulos titulos huic articulo ſubjunximus continet piam & ſalutarem doctrinam, & his temporibus neceſſariam, non minùs quàm prior tomus homiliarum, quæ editæ ſunt tempore EDVARDI Sexti: Itaque eas in eccleſiis per miniſtros diligentèr & clarè, ut à populo intelligi poſſint, recitandas eſſe judicavimus.

De nominibus Homiliarum.

1. *Of the right uſe of the Church.*
2. *Againſt Peril of Idolatry.*
3. *Of repairing and keeping clean of Churches.*
4. *Of Good Works. Firſt of Faſting.*
5. *Againſt Gluttony and Drunkenneſs.*
6. *Againſt Exceſs of Apparel.*
7. *Of Prayer.*
8. *Of the Place and Time of Prayer.*
9. *That Common Prayers and Sacraments ought to be miniſtred in a known Tongue.*
10. *Of the reverent Eſtimation of God's Word.*
11. *Of Alms-doing.*
12. *Of the Nativity of Chriſt.*
13. *Of the Paſſion of Chriſt.*
14. *Of the Reſurrection of Chriſt.*
15. *Of the worthy Receiving of the Sacrament*

 of

of the Body and Blood of Chriſt.
16. *Of the Gifts of the Holy Ghoſt.*
17. *For the Rogation-Days.*
18. *Of the State of Matrimony.*
19. *Of Repentance.*
20. *Againſt Idleneſs.*
21. *Againſt Rebellion.*

De Epiſcoporum & Miniſtrorum Conſecratione.

36. LIbellus de conſecratione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & de ordinatione Preſbyterorum & Diaconorum, editus nupèr temporibus Edvardi Sexti, & auctoritate Parliamenti illis ipſis temporibus confirmatus, omnia ad ejuſmodi conſecrationem & ordinationem neceſſaria continet, & nihil habet, quod ex ſe ſit, aut ſuperſtitioſum, aut impium. Itaque quicunque juxta ritus illius libri conſecrati, aut ordinati ſunt, ab anno ſecundo prædicti regis Edvardi, uſquè ad hoc tempus, aut in poſterum juxta eoſdem ritus conſecrabuntur, aut ordinabuntur, ritè atque ordine, atque legitimè ſtatuimus eſſe & fore conſecratos & ordinatos.

De Civilibus Magiſtratibus.

37. REgia majeſtas in hoc Angliæ regno, ac cæteris ejus dominiis, ſummam habet poteſtatem, ad quam omnium ſtatuum hujus regni, ſive illi eccleſiaſtici ſint, ſive civiles, in omnibus cauſis, ſuprema gubernatio pertinet, & nulli externæ juriſdictioni eſt ſubjecta, nec eſſe debet.

Cùm regiæ majeſtati ſummam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi, non damus regibus noſtris, aut verba Dei, aut ſacramentorum adminiſtrationem, quod etiàm injunctiones ab Elizabetha Regina noſtra nupèr editæ apertiſſimè teſtantur: Sed eam tantùm prærogativam, quam, in ſacris ſcripturis à Deo ipſo, omnibus piis principibus videmus ſempèr fuiſſe attributam; hoc eſt, ut omnes ſtatus atque ordines fidei ſuæ à Deo commiſſos, ſive illi eccleſiaſtici ſint, ſive civiles, in officio contineant, & contumaces ac delinquentes gladio civili coërceant.

Romanus pontifex nullam habet juriſdictionem in hoc regno Angliæ.

Leges

Leges regni poſſunt Chriſtianos, propter capitalia & gravia crimina, morte punire. Chriſtianis licet, ex mandato magiſtratûs, arma portare & bella adminiſtrare.

De Facultatibus & Bonis Chriſtianorum quòd non ſint communia.

38. FAcultates & bona Chriſtianorum non ſunt communia, quoad jus & poſſeſſionem, (ùt quidam Anabaptiſtæ falsò jactant :) Debet tamèn quiſque de his quæ poſſidet, pro facultatum ratione, pauperibus eleemoſynas benignè diſtribuere.

De Jurejurando hominis Chriſtiani.

39. QUemadmodùm juramentum vanum & temerarium à Domino noſtro Jeſu Chriſto, & Apoſtolo ejus Jacobo, Chriſtianis hominibus interdictum eſſe fatemur: Ità Chriſtianorum religionem minimè prohibere cenſemus, quin, jubente magiſtratu, in cauſa fidei & charitatis, jurare liceat, modo id fiat, juxta prophetæ doctrinam, in juſtitia, in judicio & veritate.

Confirmatio Articulorum.

HIC liber, antedictorum Articulorum jam denuò approbatus eſt, & per aſſenſum & conſenſum ſereniſſimæ Reginæ ELIZABETHÆ *Dominæ noſtræ, Dei gratiâ Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginæ, defenſoris fidei, &c. retinendus, & per totum regnum Angliæ exequendus. Qui articuli, & conſultò lecti ſunt, & denuò confirmati, ſubſcriptione D. Archiepiſcopi & Epiſcoporum ſuperioris domûs & totius cleri inferioris domûs in Convocatione, Anno Domini,* 1571.

FINIS.

[illegible] Oct. 18. 64. Cad.
[illegible] Oct. 19. 64. Cad.

Gratias agendis pro gratias agendi. Ps. 69, 31 eodem modo quo Ad accusandum

homines pro ad accusandum homines

Vid. Philpy. L. G. p. 112 Charterhouse p. 115

Petissima pars Ps. 90, 10

Considerandis rebus pro considerandi rerum. Eccles. 1, 14. — Castalio

Gerundive — Wordsworth, L. G. p.

Audiendo. Dative, Ps. 102, 20. Phil.

Accipiendo stipendio. 2 Cor. 11, 8. Cast.

Stipendio cumulando. Livy 21, 5. Ps. 104, 21 Trem.

Omnia genera gentes Ps. 107

Augendo imperio. Liv. 21, 2

Inter caedendum mulierem. Cast. Reg. 18, 6, 5

Ad obediendum Christi. 2 Cor. X, 5. Cast.

Eruendum = eripiendum. Ps. 105, 26

[illegible]

THE FORGIVENESS OF GOD.—Some have learnt their
eat need, and every day the prayer goes up from their
arts, expressing their most earnest feeling and desire,
Forgive us our sins." To such, how full of comfort
even their own prayer! For it is not their own
ly; it is what their Lord taught them. He would
ver have taught a vain prayer, or led his disciples to
k a blessing that could not be theirs. This petition,
taught by him, is a promise as well as a prayer. It
ures us that God will forgive us, and forgive us all
have done amiss. He who came to seek and to
e that which was lost, he who shed his blood to
ne for sin and to make our peace, he to whom all
wer is given in heaven and in earth, he bids us
proach the father and say, "Forgive us our sins."
e cannot rid ourselves of our sins, and then present
rselves before God. We must go with our sins; not
eed loving them, and determined to keep them, but
ing them, and desiring to put them away for ever;
with our sins we must go to God, to be forgiven and
ansed. Thus we must stand before him, unworthy,
lty, helpless; unable to cleanse ourselves from the
in of one past sin; bringing all to be washed away
the blood of Jesus. We may bring all; we need not,
must not, leave one behind, as either too bad to be
fessed, or too trifling to need pardon; we are taught
invited to say, "Forgive us our debts," "Forgive
our sins," *all* our debts, all our sins, all we have ever
e wrong, forgive us all. Even so will God forgive
se who seek him by Jesus Christ, thus freely, thus
ly. "Thou wilt cast all their sins into the depths
the sea." "The blood of Jesus Christ his Son
anseth us from all sin." "If we confess our sins, he
aithful and just to forgive us our sins, and to cleanse
from all unrighteousness." Not merely merciful,
faithful and just; forgiving us because his dearly
oved Son bore our sins in his own body on the tree
died, the just for the unjust.—*Sunday at Home*